

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.

Handwritten text line, possibly a date or location.

Handwritten text line, possibly a name or subject.

Handwritten text line, possibly a description or entry.

Handwritten text line, possibly a date or location.

Handwritten text line, possibly a name or subject.

Handwritten text line, possibly a description or entry.

Handwritten text line, possibly a date or location.

Handwritten text line, possibly a name or subject.

Handwritten text line, possibly a description or entry.

Handwritten text line, possibly a date or location.

Handwritten text line, possibly a name or subject.

Handwritten text line, possibly a description or entry.

Handwritten text line, possibly a date or location.

Handwritten text line, possibly a name or subject.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or footer.



BENEDICTA SIT SS. TRINITAS.

CRISIS DE CRITICES ARTE,

S I V E

TRACTATUS

DE VETERE ET NOVA CRITICE,

I N Q U O

ALTERA CUM ALTERA

confertur, utriusque natura exponitur,

& Fructus enucleantur.

A U T H O R E

Rmo. P. Fr. Michaelè à S. Joseph, Madritano,
Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum,

Ex-Superiore Generali ejusdem pro Familia Hispana

SS. Jesu Redemptoris: & Serenissimi D. Cardinalis

Infantis in Sacra Theologia intimo

Reg. 7. 192

Consultore.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI: Ex Officina ANTONII MARIN. ANNO MDCCXLV.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, including the word "S" on the right side.

Handwritten text in the middle section of the page, appearing to be a list or series of entries.


Handwritten text in the lower middle section of the page, continuing the list or entries.

Handwritten text in the lower section of the page, possibly a concluding paragraph or a separate entry.

Handwritten text at the bottom of the page, including a line that appears to be a signature or a date.

SERENISSIMO DOMINO
D. L U D O V I C O
J A C O B O B O R B O N I O,
R E G I O H I S P A N I A R U M I N F A N T I,
S a n c t æ R o m a n æ E c c l e s i æ C a r d i n a l i , T o l e -
s a n t a n i & H i s p a l e n s i s A r c h i e p i s c o p a t u u m
A d m i n i s t r a t o r i , & c .

Fr. Michael à S. Josepho
diuturnam vitam & felicitatem.



X quo, faustissimo Orthodoxæ
Ecclesiæ Omine, *primitias* æta-
tis tuæ verè aureæ, ac (nisi
præpropera Rationis lux len-
tos naturæ gressus prævenisset)
vix adultæ, sacris curis dedicasti; atque inter
regales delicias ad ea, quæ Religionis & Pie-
tatis sunt, candidissimum animum conver-
tisti,

tisti, totius Orbis Christiani *expectatio* factus
es, *Infans Serenissime*. Multis instar prodigii
visum, quòd tenerrimum *Germen Augustissi-*
mae Domus Borbonicae, tot Sceptra & Coronis
inclytæ, atque amplissima per quatuor Mun-
di plagas Dominatione gloriosæ, *Flores* emit-
teret, qui sacrandi viderentur *Propitiatorio*.
Conspiciebant alii mirabundi generosissimæ
indolis Adolescentulum, quem jucundum
Charites constituissent sibi Domicilium,
haud inter *Lilia* pueriliter ludentem, sed se-
ria, pia, religiosa & divina Virili prorsus in-
dustria, Menteque excelsa pertractantem. In-
tereà Sacratissimus fidelium populorum *Tris-*
megistus, verè ter *Maximus*, *Summus* noster eo
tempore *Sacerdos*, ut sacrum Purpuratorum
Patrum *Cætum* novo, ac planè Regio *Jubare*,
magnificentius exornaret, Infantulum desi-
deratissimum *Vaticana* decoravit *Purpura*, quæ
inter infantiles penè fascias, & delapsas è
Coelo *Flores* augustius splenderet, ac planè
mirabiliter rutilaret. Ne autem videretur id
non nisi ornamenti gratia à Gloriosissimo &
Potentissimo *Genitore* tuo, ac *Domino* nostro

religiosissimè expetitum, & à Pontifice libentissimè decretum, successit illicò *Nomi- ni, Res ipsa; Onus, Honori; & splendido Ti- tulo, Ecclesiæ Cura, Sollicitudo & Administratio.* At qualis rogo Ecclesiæ novello *Pastori* de- mandata est vigilantia? Nempè, illius, quæ inter cæteras Hispaniæ & Americæ *Primatuum* obtinet, *Toletana* scilicèt, ejusque Vastissi- mæ Archidioeceseos. Tantumne Coelum te- nello adhuc *Atlanti* suppositum? Et nulla sanè coelestis fabricæ jactura. Protinùs omnia in melius mutata. Dilexisti enim, *Serenissime Domine*, decorem Domus Dei, & abjectis vel rescisis, quæ florentissimam decebant ætatem, oblectamentis; quæ probatissimi & consummatissimi essent *Artistitis* munera & officia ita explesti, vel expleri per Ministros apprimè idoneos curasti ac jussisti, ut vel lyn- cæis oculis visa fuerit pulcherrima Ecclesiast- icarum rerum facies. Canonorum Capitu- lis, & illi potissimùm, quod *Primatiale* in Orbe nostro Hispano jure habetur, eos Vi- ros nobilitate & doctrina eximios adscripsis- ti, quos velut micantia sydera suspiciat ac ve-



neretur Plebs Christiana. Parœciis vel, ut
Latiniùs loquar, Curiis (quæ summi momen-
ti res est) Rectores illos præfecisti, quos me-
ritum digniores exhibuit, non favor elegit.
Mira penitùs œconomia cuncta à *Te* disposi-
ta, constituta, ordinata. Sed qualis, quanta-
que *Tua* erga egenos & inopes dulcis *Mise-*
ricordia, & regalis *Munificentia*? Id Ego fruf-
trà exponere vellem, nisi greges pauperum,
qui per *Te* vivunt, dinumerare possem. Hęc,
quæ sinistra tua nescit, novit Dominus, &
sua dextera scribit in Cœlo, remuneraturus
in adventu suo. Interim Opera ipsa linguas
habent, quæ sine vocibus disertissimè lo-
quuntur. Compluti Civitas, Dominationi
tuæ subjecta, quæ priscas Athenas sapientia
& eruditione æmulatur vel superat, epide-
mico ferè confecta esset morbo, nisi à *Te*,
Domino & *Pastore* suo, ea obtinisset effusissi-
mæ *Charitatis* subsidia, quibus & infirmi in
pristinam sanitatem restituerentur, & præ-
servarentur sani ab imminente ægotandi pe-
riculo. Quid fecisset in extremo filiorum dif-
crimine piissimus *Pater*, quod *Tu* erga afflic-
tis

tissimos subditos amore plusquam paterno non feceris? Erunt quidem hæc in memoria æterna: nec oblivione unquam oblitteranda, quæ in Claustris & Templis insculpta sunt *Magnificentia* tuæ monumenta. Quot Monasteria Sacrarum Virginum vel collapsa jam essent, vel penè vacua existerent, nisi Liberalitate tua instaurata fuissent, vel copiosis elemosynis sublevata? Provisum abs *Te* est pagorum & oppidorum Ecclesiis, quæ aut fulcimento aut sacra suppellectili indignissent. In illustrioribus quoque locis, & in ipsa Regia Matriti Urbe augustiora Tempia sumptibus tuis ædificantur; inter quæ illud verè egregium, quod Tu adhuc Puer, in honorem Sanctorum Puerorum Martyrum Justi & Pastoris, extruendum decrevisti, & ad Colophonem properare jam videmus. Quare & optima ratione ulteriora & potiora à *Pietate & Magnificentia* tua expectamus.

Toletanæ Ecclesiæ Curæ accessit *Hispalensis*, totius Bæticiæ Provinciæ præclarissimæ, *Sollicitudo & Administratio*. Utriusque æquè fortunata conditio. Sub umbra enim tua & Vir-

tus protegitur, & Doctrina diligitur. Doctrina, inquam, Hispana, illibata scilicet pura & antiqua, talis nempe, qualem mihi commendasti, cum *Consultoris Theologi* munus benignissimè injunxisti. Undè, quia Sapientum hominum judicio, ejus indolis est, quam expono, & pro viribus propugno in ista Opella, sobria cum pietate Critica, haud indigna à me censetur, quæ *Potentissimo Patrocinio* tuo committatur, quatenus magno tuo nomine authorata, & refragantes, si qui sint, compescat, & veritatis studiosos ad sequelam germanæ Critices fortiùs alliciat. Sic optabam in Matritensi Conventu S. Ord. PP. Discalceatorum SS. Trinitatis Redempt. Capt. die 2. Martii ann. 1745.

AVE MARIA.

CENSURA RR. PP. FF. JOANNIS A S. AUGUSTINO,
Sacr. Theolog. Lect. & nunc Diffinitoris Generalis: & Pe-
tri à S. Gabriele, Sacr. Theolog. Lect. & Diffinitoris ac
Secretarii Generalis Familiæ Hispaniæ Ordinis Discalceato-
rum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, &c.

PRæclarum Opus, cui titulus: *Crisis de Critices Arte*, jussu N. R. P.
Fr. Didaci à Conceptione Sacr. Theolog. Lect. & hujus nostræ
Familiæ intra Hispaniæ, Jesu Redemptoris, Ordinis Discalceatorum
SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Commissarii Generalis, at-
tentè, neque minùs jucundè legimus, meritòque asserimus, quòd
factus est *liber quasi mel dulce in ore nostro, nec amaricatus est venter nos-
ter*: nam cum in ipso nihil Orthodoxæ Fidei adversum, morumque
candori dissonum degustaverimus, sed potiùs cuncta in illo contenta
veræ Fidei morumque puritatem; sanam doctrinam, pietatemque ac
modestiam redoleant: omnia jucunda plenaque dulcedine experti su-
mus, quæ Virum religiosum ac sapientem decent.

Ipsius quidem Operis materia, solida, atque profunda eruditio
haud alium indigitant Authorem, quàm N. R. P. Fr. Michaëlem à S.
Joseph, ejusdem nostræ Familiæ Ex-Commissarium Generalem, de quo
magna rumor præconia fecit, ob ejusdem præclara Opera jam pridem
edita. Authorem hunc præclarissimum prodidisse, sat nobis, ut Opus
non modò probemus, verumetiam ut laudem præconii extollamus.
Ceterùm obstare videtur tritum illud *Proverb. cap. 27. laudet te alienus,*
nimirum, ut exponit Augustinus *tract. 35. in Joan. qui est alterius cogna-
tionis, Religionis, & Familiæ: propria enim laus ea est, quæ splendore sua
doctrinæ alios compellat ad laudandum.* Quid igitur, cum egregius Au-
thor, Parens & Frater noster sit, ejusdem nobiscum cognationis, ejus-
dem Religionis & Familiæ? Num ab omni vel exigua laude nobis absti-
nendum, dimittendusque inglorius, & sine honore Parens honorabi-
lis, charissimus Frater & Consodalis, qui est *gloria Jerusalem, latitia
Israel, & honorificentia populi nostri?* Liceat domesticis, eximium Scrip-
torem exiguis saltim laudibus prosequi, quem alieni exterique tot ce-
lebrant præconiis, quot egregiis omnis ævi Doctoribus adaptari so-
lent. Neque enim repetere laudes, quas ab alienis & exteris accepi-
mus, suspectas habere licebit, sed eas dumtaxat, quas silentibus exte-
ris, nos jactaremus.

Noster ergo Scriptor vel ab ipsa pueritia satis ostendit, quantus fu-

turus esset homo, coruscantibus in eo subtilis ac præstantis ingenii indicibus. Dialecticæ abstrusiora primò, ut ita dicamus, intuitu, in tantum percussit & devoravit, ut ipsis Magistris stupori esset, & quasi in ostio, per quod ad severiores disciplinas aditus patet, ipsum sistere piguerit, ad Sacræ Scripturæ secretiora exponenda arcana, quodam ingenii impetu sese contulit. Prudenter tamen cohibitus, Physica, Metaphysicaque systemata simili ingenii eruptione brevi perdidit; mox Sacræ Theologiæ assiduus incumbens, tantum in hac Sacra Disciplina incrementum fecit, ut penè idem fuerit Theologiam salutare, ac penetrare omnino. Jussus subindè Magisterium assumere (qui vix Discipulus, nam semper Magister) Philosophiam docuit, moxque Theologiam in Complutensi Academia, haud minori Discipulorum profectu, quam Academicorum plausu.

Trigesimum ætatis annum vix expleverat, cùm in lucem publicam dedit famosum illud Opus, cui titulus: *Estudio de la Verdad*: mole quidem exiguum, sed succo ac solidissima doctrina reverè magnum. *Aureum* dixerere plerique Viri graves & sapientes. Eminentissimus Cardinalis Pipia, præclarissimi Ordinis Prædicatorum, pretioso dono potitus, tanti habuit, ut in Scriniis, ubi pretiosiora servabat scripta, tamquam thesaurum recondideret, crebrò dicere solitus, se hætenus non legisse Theologum, qui veriùs & uberiùs mentem S. Thomæ circa agibilia moralia percussisset, quam Scriptor noster. Idem luculentissimum testimonium Viri alii doctissimi præbuere, præsertim ex Illustrissima Dominicana Schola, quibus nulla alia doctrina visa est solidior fundatiorque. Illud sanè inter alia maximum, juvenem Scriptorem non juvenili ardore, ut juvenibus, quibus cum sanguine fervet ingenium, sæpè sæpiùs accidit, sed canoso cerebro, ac lenili judicio, salubrosam ac præstantissimam materiam pro dignitate pertractasse.

Novo noster Scriptor primogenito sui ingenii foetu jam felicitatus, majores alios mente concipiebat: sed ecce, insperatò Procurator Generalis ad Romanam Curiam electus, calamum, licèt invitus reposuit. Brevi sui fecit expectatricem Curiam, mirantibus plerisque in juvene, tum in negotiis gerendis, veluti inter ipsa nato, peritiam; tum ingenii magnitudinem, copiosamque eruditionem. Quare Archigymnasii Sapientiæ in Pontificium Censorem adscitus, majores sapientiæ radios emisit, Curia Prælati, Purpuratis Patribus, ipsisque Summis Pontificibus acceptus.

Quantas verò qualesque Ordini nostro utilitates contulerit noster Procurator Generalis, palam est cunctis. Namque ea, qua apud ipsos Summos Ecclesiæ Pastores valebat autoritate, circumspectè usus, plura assequutus est, quæ non alter assequi potuisset. Causam Declarationis Identitatis Corporis Sanctissimi Parentis ac Patriarchæ nostri Joannis de Matha semel & iterum deperditam, & ferè ad desperationem
lap-

lapsam, contra spem omnium instauravit, erexit, tantaque gessit dexteritate, ut à S. Congregatione declarari obtinuerit, prævio recessu à decisis, *Constare de identitate Corporis S. Joannis de Matha*. Neque hic sistit: quandoquidem ejusdem S. Corporis proprietatem suæ Discalceatæ Familiæ acquisivit, facta eidem à piæ memoriæ Innocentio XIII. Sacrarum exuviarum solemnè Donatione.

Interea, quamvis nostro Scriptori, variis distracto negotiis minimè liceret assiduæ, ut habebat in votis, lectioni atque scriptioni vacare, tamen scribendarum postea rerum meditationi incumberebat; jactoque ex tunc fundamento magni Operis inscripti, *Lexicon seu Idioma Sapientum*, cujus ipse meminit in vestibulo suæ *Bibliographiæ*, cœpit ad tanti moliminis Opus elaborandum *Apparatum* disponere. Undè post duodecim annos in Hispaniam redux, concepto Operi manus statim & colla dare in recessu statuerat, cum iterum calamum relinquere compellitur, & regiminis virgam assumere, Provincialis primùm, moxque Commissarii Generalis functus muneribus. Intermissum huic nostro Scriptori scribendi consilium, dolebat, quòd ferè jam maturum haud posset emittere foetum: sed tamen arte usus detrahendi somno tempus, & virgam simul & calamum sustinuit. Sed enim, cum jam properabat ad expolliendum cudendumque *Lexicon*, mutato consilio, de lucubrandâ priùs *Bibliographiâ* ideam sumpsit, propter à se in ipsius Operis præfatione dicta, præsertim numero nono.

Quantum verò qualeque ejusmodi Opus sit, plerique Sapientes pleno, ut ajunt, gurgite vociferantur. In eo namque foecundum Authoris ingenium, reconditoris literaturæ plenitudinem, selectam in omni Disciplinarum genere eruditionem, mentem conspicuam, comprehensionem abstrusissima quæque medullitùs penetrantem, lectionem assiduam, studium indefessum, industriam, mirabilem stylum, aptissimam methodum, rerumque omnium tractatarum connexionem mirantur omnes, maximisque laudibus extollunt. Non defuere tamen quidam nebulones anti-Critici, qui blasphemant, quæcumque ignorant, quique, ut conqueritur Apostolus *ad Timoth. 1.* volunt esse Legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, qui in præclarissimo Opere nebulas viderint. Sed quid nisi obscura & tetra lippis oculis videndo?

At, inquiunt superficiales hi scioli, quæ magna res est, Scriptores congerere, eorum nomina, patriam, ætatem, in qua vixere, obitum, scripta, quæ exararunt, recensere, aliaque hujusmodi referre, quæ quivis vel inops Historiographus æquè valet præstare? Quid in hoc commendatione dignum invenitur? Plurimum sanè, si, prout illa debent, pro rei dignitate verè referantur, quod neque ipsos præstituros fidenter asserimus. Quid enim ab illis cœcis sperandum, qui præclarissimi Operis splendore cœcutiunt? Cœci profectò sunt, qui mirabilis

Operis solum corticem manibus contrectant, sed mente non capiunt. Patienter audiant, quid praefatur Author, rationem sui Operis redditurus.

Scriptorum omnis aetatis, & cujusvis generis lectioni assiduo labore incubui. Librorum Indices copiosissimos sedulo vestigavi, ut facilius scire possem, ubi novas literarum divitias invenirem. Patres, Doctores Ecclesiae tamquam sidera noviter apparentia hic fulgent. Hic Illustriores triplicis Theologiae Scriptores gloriose incedunt. Hic omnis aetatis sive sacrarum, sive prophanarum rerum Historici, veluti praeteritorum testes saeculorum. Hic cujusvis aevi Poetae, Grammatici, Philologi, Rhetores, qui humanarum literarum documenta tradunt. Hic clariores famae Philosophi, selectiores Mathematici, accuratiores Geographi, solertiores naturae Interpretes, Anatomici oculatiores, cautiores Medici, & graviores utriusque Juris peritissimi, sua quique lingua effantur. Parvanè sunt haec, ut oscitanter inquirunt memorati Censores? Sed si ipsis parva quoque videntur, multò majora audivimus.

Illustrium omnis aetatis scripta, insigniora factim quarumcumque Scientiarum & Disciplinarum, sive sacrarum, sive prophanarum in medium profert noster Bibliographus. De eorundem praestantia & qualitate stylo critico saepius differit: Systemata, sive vetera, sive nova, evolvit, & eviscerat; duriora emollit: corroborat languida: verosimiliora adstruit: viam crebrò novam & mediam in obscuris aperit: de omnibus disertissimè, piè & modestè disputat: vera secernit à falsis; ac de omnibus juxtà meliores exactae Critices regulas judicat. Quae omnia, cum verè, Sapientum sententia, in nostro Bibliographo cumulatè reperiantur, eumque in quocumque Disciplinarum genere ad miraculum versatum, ac in omni scientia luculenter differentem inveniamus, reliquum est, ut, venia donatis praefatis anti-Criticis, jure meritò illi adaptemus elogium, quo Nazianzenus *Orat.* 20. Magnum Basilium extollit: *Quod disciplinae genus est, in quo versatus non sit, atque ita eximie versatus, quasi in eo solo elaborasset?* Haec de Magno Basilio Nazianzenus, eadem & nos de nostro Bibliographo.

Jam de *Critice*, quam praemanibus habemus, non nihil dicendum. Magnum quid profectò praestant, qui exactae Critices regulas tradunt: nisi ejusmodi regulae ad oculos habeantur, vera falsis misceri, ita ut à falsis haud secernantur vera, ipsarumque Disciplinarum studium plus hominum ingenia destruere, quam instruere, necessum est. Quamobrem, majorem longè utilitatem afferre, qui viam & artem tradunt, ad scientias fructuosè addiscendas, quam qui ipsas scientias & Disciplinas docent, arbitramur. Quae si ita sint, ut profectò esse videntur, maximas grates Critico nostro rependere tenetur literatorum Coetus, quod mirabiles prorsus Regulas in *Critica* sua praestat pro utili cunctarum

tum Disciplinarum usu. Licet enim primus non sit, qui hoc argumen-
tum tractarit, primus certe, & sine secundo videtur in verè *Critices*
regulis edocendis.

Plurima alia in hujusmodi Operis commendationem congerere pos-
semus; verumtamen, quoniam Author in fine præfationis illius judi-
cium iis solis relinquit, qui æquè bonique Judicis partibus exornan-
tur, nolimus nos Judices fieri, ne tamquam domestici illis suspecti
reddamur, qui quæque domestica suspecta habent. Nihilotamen secus
minimè sunt duo silentio obvolvenda, quæ Criticum nostrum valdè
commendant. Alterum, scripsisse illum, quemadmodum in sua *Critica*
censet, à Viro sapiente scribendum: nam in omnibus suis Operibus doc-
trina tradita *Crisi* suæ usqueadeò conformis deprehenditur, ut asse-
re cogamur, prius illum *Criticam* adumbrasse, ac mente concepisse,
quàm reliquos sui ingenii peperisse foetus. Sunt qui aliter scribunt,
quàm scribendum dicunt, minimè servatis regulis, quas aliis servan-
das proponunt: at Criticus noster suismet regulis adstrictus scripsit,
quinimò prius scripsit, quàm rectè scribendi Artem doceret: prius ipse
fecit, docuitque postea, ideòque *Criticus magnus* appellandus: *quòd*
enim fecerit & docuerit magnus vocabitur. Undè ipse Magister Coelestis
coepit facere & docere: prius fecit, quàm docuit. *In quo* (verba sunt
Chrysofomi apud Cornel. in *Act. Apost. cap. 1.* luculenter ad rem nos-
tram) *nihil Doctore frigidius, qui verbis tantum docet*.

Alterum ad *Critica* temperiem spectat: ut Author génio mitis, pius,
moderatus, modestus & circumspèctus, sic ab ipso edita *Critica* ubique
pia, modesta, circumspècta, prudens, & mirabili temperamento com-
pacta invenitur. Nulla miscetur aut petulantia, aut verborum amaru-
lèntia: veritati non detrahit, pietati consulit, &, si quandoque seve-
rior videtur, licet interdum Critico moderata severitas, nonnullaque
aliquando in dicendo acrimonia. Porro, cum Author à vero deprehen-
dit aberrantes, excusat potius, quàm accusat, benignæ, si potest, in-
terpretationi assuetus. Ubi verò excusationi locum non invenit, doc-
trinas quidem improbat, at suos veretur Authores, urbanèque tractat,
atque rarò sine laude dimittit, quos in sua *Bibliographia* recenset, dig-
nus proindè quòd laudetur ab omnibus.

Postremò, piaculum foret; haud facili venia dignum, si Anthoris
styli non meminerimus. Sanè ille, sive patrio Hispano, sive Latino
Idiomate aut scribente, aut loquente Authore, omnium sententia mi-
rabilis est, elegans, purus, energicus, mellifluus, gratus vel delica-
tiori palato, perspicuus, comptus, excultus, ac omninò sublimis,
æquè adeò, ut tam scribentem, quàm loquentem, illum unum De-
mosthenem, aut Tullium nobis loqui suspicemur. Sed rarum hoc, &
planè mirum, quòd tamen si Author Rhetoricæ documentis instructissi-
mus sit, ejus tamen stylus non arte ulla comparatus, nec vocum verbo-
rum-

rumque delectu excultus videtur, sed potius natus, aut gratis ab eo datus, qui, quibus vult, dat affluenter, sive quasi ipsi scribenti aut loquenti voces ipsæ, phrasæque aut prolatae fortuito contingerent. Quamobrem, quando cætera in Authore desiderarentur, ex solo stylo redderetur immortalis laude dignus. Sed cum nihil in eo desiderari valeat, cum Poëta occinimus:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Sic sentimus, salvo, &c. in hoc nostro Conventu Matritensi die 13. Januarii anni 1745.

Fr. Joannes à S. Augustino.
L. S. T. & Diffinitor Gen.

Fr. Petrus à S. Gabriele.
L. S. T. & Diffinitor Gen.

BENEDICTA SIT SS. TRINITAS.

FR. Didacus à Conceptione, Commissarius Generalis Familiæ Hispanæ, Jesu Redemptoris, Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, primitivam Regulam profitentium, &c. Ex Commissione Ven. nostri Diffinitoris Generalis tenore præsentium facultatem concedimus R. P. N. Fr. Michaëli à S. Joseph, nostræ prædictæ Familiæ Ex-Commissario Generali, ut Typis edere possit Opus à se elucubratum, & *Crisis de Critices Arte* inscriptum, quod à Viris doctis nostri Sæcti Ordinis recognitum est & approbatum. Datis in nostro Conventu Matritensi manu nostra, ac Secretarii Chyrographo subscriptis, Sigillique nostri Officii impressione munitis die 14. Januarii ann. 1745.

Fr. Didacus à Conceptione.
Commissarius Generalis.

Mandato P. N. Commissarii Generalis.

Fr. Petrus à S. Gabriele.

Diffinitor Generalis, & Secretarius.

AVE

AVE MARIA SS.^{MA}


JUDICIUM R. P. Fr. EMMANUELIS
à Conceptione, Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Provinciae Spiritus S. Ministri Provincialis, Philosophiae olim ac Sacrae Theologiae Lectoris.

MUneri mihi à D. D. Michaële Gomez de Escobar, Inquisitore Ordinario, Regiæque Madritanæ Curia Vicario pro Serenissimo D. D. Archiepiscopo Toletano, Cardinali Hispaniarum Infante, &c. injuncto, functurus, sedulo animum operamque intendi in Opus *Crisis de Critices Arte* inscriptum, Authore R. A. P. N. Fr. Michaële à S. Josepho, Romanæ Sapientiæ Archigymnasii Censore Pontificio, Italiæ pluries, ac demùm Hispanicæ Familiæ Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Superiore Generali, Orbi literario notissimo, dignèque ab omnibus laudatissimo. Et quamvis libenter munus acceperim, ut quantociùs & Opus tanti Viri introspicerem, & de eo judicium efformarem, conscius tamen imparitatis meæ, ingenuè fateor, Censorem agere non posse, cum ex ipso didicerim, *neminem justi judicis personam agere ritè valere, cui causarum vel leviores circumstantiæ haud sint probè notæ; ad usumque Critices amplissima materia, exquisitissimaque opus esse rerum ac librorum noticia & cognitione.* Quomodo enim absque Critices docte *Crisin de Crisi* appositè facere poterò! Hoc tantùm ipsi Authori clarissimo meritò licebit, utpotè eximiis dotibus ornato: dedit enim ei Deus cor sapiens & intelligens, invenitque viam prudentiæ omniumque scientiarum, quibus mentis oculos illuminat, & gratiùs quidem quàm Phœbeæ luces suis illecebris corporeos mulcent, ut clarissimè constat cuique sapienter docto in ejus Operibus versato.

Sed tam egregium Scriptorem laudet alienus, dùm Ciceronis autoritate suffultus 3. *De Orat.* dicentis: *Mirabile est, cum plurimum in faciendo intersit inter doctum & rudem, quàm non multum differat in judicando*, meum de tanto Opere sensum aperio.

Est enim Opus planè perfectum, doctum, utile, grave,
hif

Cicer. 3. De
Orator.



hisque præsertim temporibus pernecessarium, utpotè Christianæ Politicæque *Critices* præcepta usumque ita præscribens & docens, ut jam *Criticè* aut loqui aut scribere licitum sit cuique absolutissimi hujus Operis studioso, cum *Crisis* in eo resplendeat, pro rerum Ecclesiasticarum, SS. Patrum, venerandæque Antiquitatis exquisitissima notitia ac defensione optimè constituta, qua Neoterici Critici, A catholicique de malo *Critices* usu facile convinci poterunt. Et quidem, si ut lepidè cecinit Horatius:

Hor. in Præfat. lib. I.

Maxima laus Operis scriptis formatur in ipsis.

hoc unum (præ aliis) maximam meretur laudationem. In ipso enim clarissimè elucet validitas argumentorum, benè digesta copia sententiarum: illa in refutandis pseudo-Criticorum argutiis: hæc in propriis sensibus exponendis. In eo Author ingeniosissimus Veteribus splendorem adjicit, novè exponens, non nova: novaque ex proprii ingenii penu eruerè haud negligens, verissimum in se ipso comprobans illud

Philo in Vita Moysis lib. I.

Philonis: Præclara ingenia multa novant circa scientias: novat autem præ reliquis Crisin ipsam, dum Criticè simul utens & docens, illa utitur urbanitate, quæ pseudo-Criticos nostri sæculi latere solet, qui sua opinamenta (certè deliria) tanti faciunt, ut quidquid ipsis non probatur, vilescat omninò; & dum in alios insurgunt, non illos carpunt ducti veritatis zelo, sed sua certè audacia non tantum sua contentur adstruere, quàm aliena, etiam justissima impugnare.

Nec deest Operi eximio methodus ordinatissima, qua quisque facilè utiliterque perdifficilem *Critices* scientiam assequetur. Stylus purus, nitidus & elegantissimus, & quod magis nativus: & ut paucis multa complectar, mirabilis ingenii foetus hic suis perfimilis fratribus, publicæ datis utilitati, subtilis, optimus & pulcherrimus, nec aliis minùs præstans, quia (Cassiodori utor verbis) *Nil ex tanto Viro nasci potuit mediocre, tot probati, quot geniti.*

Pro quibus multum decoris Authori clarissimo debet mea Sacra Inclytaque Religio: multum utilitatis Doctorum Coetus, quibus thesauros pandit ditissimos scientiæ multis ignotæ.

Jam, ut mandatis obtemperem, in hoc Opere nihil offenditur, quod pietatem offendat, quod Orthodoxæ Fidei repugnet, quod bonis moribus contradicat: imò omnia sana, innoxiaque omnia; omniaque immortalis Cedro digna. Ita
sens

1
Sentio in hoc Religioso Conventu Matritensi die 2. Februarii
anno Domini 1745.

Fr. Emmanuel à Conceptione.
L. S. T. & Minister Provincialis.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Miguel Gomez de Escobar, In-
quisidor Ordinario, y Vicario de esta Villa de Madrid,
y su Partido : por la presente, y por lo que à Nos toca, da-
mos licencia, para que se pueda imprimir, è imprima el Li-
bro intitulado : *Crisis de Criticas Arte*, su Author el Rmo. P.
Fr. Miguel de San Joseph, del Orden de la Santissima Trini-
dad de Descalzos, Redempcion de Cautivos, &c. Atento
estar visto, y reconocido de nuestra orden, y mandado por
el Rmo. P. Fr. Manuel de la Concepcion, del mismo Orden,
y Ministro Provincial actual de ella, y por su Censura con-
tar no tener cosa opuesta à nuestra Santa Fè Catholica, y
buenas costumbres. Fecha en Madrid à 11. de Febrero, año
de 1745.

Lic. D. Miguel Gomez de Escobar.

Por su mandado
Joseph Fernandez.

CEN-

CENSURA Rmi. P. M. Fr. FRANCISCI
de Izquierdo, Sacri Ordinis Prædicatorum, olim
Collegii Vallisoletani Regentis, Prioris Conventus
SS. Virginis Mariæ sub Titulo Rosarii, Supremi S.
Fidei Senatus Qualificatoris, &c.

Supremi Castellæ Senatus jussu demissè, ut par est, &
libenter obsequens, legi *Crisin de Critices Arte*, seu *Trac-*
tatum de Vetere & Nova Critice, Auctore Rmo. P. Fr. Mi-
chaële à S. Joseph, Madritano, Ordinis SS. Trinitatis Re-
demptionis Captivorum, & Ex-Superiore Generali ejusdem
pro Familia Hispana SS. Jesu Redemptoris.

Legi, & legisse juvat, nec unquam poenitebit. Jam pri-
dè mihi Viri de literaria re benemerentis præclaram ser-
vabat honos sedem; at votis nunc plenè factum satis volumi-
ne isto, non mole, sed virtute magno, quod benemoratos
omnes placido gratoque excepturos animo reor. Haud qui-
dem, ut apparet, facilem sibi peragrandam præfixit Auctor
spartam; felicibus tamen auspiciis orsus, Angelici Solis præ-
sidio circumfultus, sobriè, piè, religiosèque moderatur
gressus suos: metam attingit; Crisis criterium dilucidè simul
ac nervosè formavit. Planum id, opinione mea, cunctis fiet:
annuet quisquis vel non prolixas Operi lustrando concesserit
horas; fatebitur, uberem se ac pacatissimum eruditio-
nis reportasse fructum, quò Neocriticos non incautus au-
diat, vel etiam, nè illorum quosdam audiat, aures obturet.
Prudenter adeò Reverendissimus Crisin suam concepit, fo-
vit, ac expressit, ut Tertulliani votum aut præscriptum ad-
unguem observarit, *Constantiam nempè commonendi, propriae*
conversationis auctoritate dirigere, nè Critices documenta,
Crisi deficiente, erubescentiæ obnoxia prodirent. Ea est
eruditi Viri in præmonendo circumspecta solertia, in statuen-
dis regulis dexteritas & peritia; id in assertis communiendis
robur insimul & acumen: ut plenis numeris & amantate
delectans & copia, velut illicio quodam forti pariter ac suavi,
sensim manus dare compellat, vel illum ipsum, qui tempe-
tatis hujus citra injuriam plurimis exosos Criticos penè ado-
raverit. Ecce secus? An nè? Incorruptum judicem velim:
an ergo hominibus illis posuit in potestate Deus scripta, fac-
ta, tempora vel momenta, quò summi rerum arbitri audien-
di sint? Et quidem, dum sæpenumerò illis, si non pro ra-
tio-

P. 2. art. 8.

Lib. de Pa-
tient. cap. 1.


tione placitum, rationis firmamentum ostendere datum non sit? Impavidos homines! Propositi sic tenaces, ut pro nihilo ducere videantur, etiam si grammaticulis quibusdam ausibus impetitus veneranda Antiquitatis fractus illabatur orbis. Quid olim, eloquentissime Doctor, vocitabas; *neque proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrum traditione susceptus*. Ecce nunc traditio, neutiquam hucusquè interrupta, proculcata jacet. Strenuè incedebat Præcelsus Patrens, falsa convincens, quæ vel mira stuporem, vel cautionem nova generare possent; at novissimè, diebus istis, ubi nova curiosaque, fidenter vera promuntur. Mirabatur olim perdulcis Magister, si novus quidam inventionum assertor *invenire rationem potuerit*, quæ Sanctos Patres latuit. Verùm hoc olim, & illis; ævo nostro non mirum: satis frequens. Præscriptioni profana Legum-latrix tabernaculum posuit: & vel sacra item supremo nitens juri, consentientem se præbuit; misera tamen rerum fors! Criticis nonnullis sacra simul & profana, dum postliminio etiam revocata meritis excipienda sedibus essent, è propriis laribus exturbari, oblivionis multari poena sustineant. Sed quare? Quia sic placuit. Si tamen eos urbanè convenias, dum studiosus ac sollicitus roges, dicti rationem reddituros: scies, ejus sobolis Viros ridentem adeò fortunam nactos esse, ut vividissimam, extremaque discretionis vi pollentem gustus & olfactus præcunctis Adam filiis temperiem assecuti sint. Isthæc diebus istis Ars omnia dijudicans: hic, hic tandem si medullitùs introspecies, Arti, nobilissimæ aliàs, Solium eos adornasse videbis; indèque explosa miraberis, dolebis potius tela, quorum impulsu strages eæ, quas nec iracunda, furente Noto, fulmina montibus induxisse tibi met persuadere velles. Quorsum tamen hæc, velut igniculi speciem quamdam præferentia? Artem vel Neo-vel pseudo-Criticos decolorasse, nullus inficias eat: quam verò in semet naturæ conditionem obtineat, exiguis impensis nunc adspectare sit. Hoc unum Lectorem precor: nitido jam, gravi, modesto perfruatur Reverendissimi nostri stylo; ingenuè tunc notum faciat, an alios illos, conferto ut ajunt pede, suis met retibus implicatos profliget, at triumphet? Sic, nè ampliùs muneris Vallum transilisse videar, ab ungue Leonem demonstro. Sic de Tractatu censeo: illud, necdum innoxium, sanaque doctrina gravidum, divinisque perindè ac humanis juribus apprimè consentiens ratus; verùm & publicæ rei plurimum profuturum. *Salvo in omnibus, &c. Matriti. In Conyentu Ordinis*

S. Chrysof.
Homil. 2. in
Matth.

S. Aug. lib. 3.
cont. Jul. c. 3.

S. Bern. epist.
77. ad Hug.

C. de Quibus
3. dist. 20.



dinis Prædicatorum Angelico Doctore sacro, die 21. Decembris 1744.

Fr. Franciscus Izquierdo.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro, su Escribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Consejo: Certifico, que por los Señores de él se ha concedido licencia al R.P.Fr. Miguel de San Joseph, Ex-Comissario, y actual Definidor General del Orden de Descalzos de la Santísima Trinidad, Redempcion de Cautivos, para que por una vez pueda imprimir, y vender un Libro, que ha escrito, intitulado: *Crisis de Critices Arte*, con que la impresion se haga por el original, que và rubricado, y firmado al fin de mi firma; y que antes que se venda, se trahiga al Consejo dicho Libro impresso, junto con su original, y Certificacion del Corrector de estar conformes, para que se tasse el precio à que se ha de vender, guardando en la impresion lo dispuesto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reinos: y para que conste, lo firmè en Madrid à 24. de Diciembre de 1744.

D. Miguel Fernandez Munilla.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAG. 3. *quorundam*, lege *quarundam*. Pag. 4. *singulorum*, lege *singulorum*. Pag. 12. col. 1. *utraque*, lege *utraq̃ue*. Pag. 29. col. 2. *sapius*, lege *sapius*. Ibid. *foci*, lege *focci*. Pag. 33. col. 2. *Parisiensis*, lege *Parisiensi*. Pag. 52. col. 2. *natura*, lege *naturæ*. Pag. 57. col. 2. *muta*, lege *multa*. Pag. 85. col. 1. *delectur*, leg. *delectetur*. Pag. 148. col. 1. *discedi*, leg. *discedere*. Pag. 153. col. 1. *inventè*, leg. *inventæ*. Et sic correctis benè impressus, & fidelitèr desumptus est ex originali Tractatus inscriptus *Crisis de Critices Arte*, Authore Rmo. P. Fr. Michaelè à S. Joseph, Madritano, Ordinis SS. Trinitatis Redempt. Captiv. & Ex-Superiore Generali ejusdem pro Familia Hispana SS. Jesu Redemptoris. Matriti die 16. mensis Febr. ann. 1745.

Lic. D. Emmanuel Licardo de Rivera.
Correct. Gen.

TASSA DEL CONSEJO.

DON Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro Señor, su Escribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Consejo: Certifico, que havindose visto por los Señores de èl el Libro intitulado: *Crisis de Critices Arte*, su Author el R. P. Fr. Miguel de San Joseph, del Orden de la Santissima Trinidad de Descalzos, que con licencia de dichos Señores, concedida al susodicho, ha sido impresso, tassaron à diez maravedis cada pliego; y el referido Libro parece tiene veinte y seis y medio, sin principios, ni tablas, que à este respecto importa doscientos y sesenta y cinco maravedis; y al dicho precio, y no mas, mandaron se venda, y que esta Certificacion se ponga al principio de cada Libro, para que se sepa el à que se ha de vender: y para que constè, lo firmè en Madrid à veinte de Febrero de mil setecientos y quarenta y cinco.

D. Miguel Fernandez Munilla.



SYE

SYLLABUS ARTICULORUM in hoc Libro contentorum.

Numeri paginas indicant.

PRÆFATIO.

In qua strictim agitur de legitimo Critices usu, deque inconvenientibus Pseudocriticorum, 1.

PARS PRIMA.

*De Critice in genere, ac in specie
de antiqua Scriptorum
Critice.*

ARTICULUS PRIMUS.

De Critices notione, origine, & antiquitate, atque de artificiosa methodo, qua Neoterici Criticem tradunt, 9.

ARTICULUS II.

De Scriptoribus, qui Critices laude quavis ætate florere, in materia præcipuè S. Scripturæ, 12.

ARTICULUS III.

De diverso studiorum more, ac statu: deque Arabum Disciplinis, ex quo in Oriente, & Occidente cœperunt studia languescere, 18.

ARTICULUS IV.

De discrimine inter Platonis, & Aristotelis Philosophias: ubi multis ostenditur, rationabiliter Aristotelicam fuisse à Scholasticis Platonice prælatam, 21.

ARTICULUS V.

De Arte Medica per Arabes restabilita, restauratione studiorum, ac fundatione Scholarum, 30.

ARTICULUS VI.

Medicinæ Arabicæ ulterior elucidatio, 38.

ARTICULUS VII.

Quàm fuerint ut plurimum vana, inutilia, ac vix non noxia eorum studia, qui potissimum de ambitioso Criticorum Titulo gloriantur, 48.

PARS SECUNDA.

*De nova Critice, ejusque indole
ac regulis.*

ARTICULUS PRIMUS.

De Natura, & Genio recentioris Critices, quo ævo, quibusque parentibus in Orbem edita, quovè successu propagata? 54.

ARTICULUS II.

An recentiores Critici verè jacent, sine Linguarum Orientalium, præsertimque Hebraicæ ac Græcæ peritia, novam Criticem, aut omnino aut perfectè possideri non posse: neque esse idoneos Sacrarum Literarum Interpretes, qui
ejus-

ejusmodi linguas non plene calu-
lent? 86.

ARTICULUS III.

Ostenditur Hebraicæ linguæ pe-
ritiam, quantalibet fingatur, ac
jactetur, medium esse insufficiens
ad hauriendam germanam & ge-
nuinam Sacrarum Scripturarum
intelligentiam; atque adeo omni-
nò esse necessarium Traditionis
subsidium, & cor humile, dili-
gens, pium ac devotum, 71.

ARTICULUS IV.

De fundamentis, quibus recens
Critica nititur: ubi ostenditur,
eam non esse securiorem, quam
Critica Veterum fuerit, 90.

ARTICULUS V.

De Veterum Autoritate Scrip-
torum, quæ primum est Critices
fundamentum, 92.

ARTICULUS VI.

De secundo Critices fundamen-
to, quod est conjectura, 96.

ARTICULUS VII.

De vera conjectandi ratione,
qua Veteres PP. usi sunt, ante in-
ventam novæ Critices Metho-
dum, 101.

ARTICULUS VIII.

De Theologica Critica Ang.
Doct. S. Thomæ Aquinatis, quæ
apud Scholasticos viget ac flo-
ret, 105.

ARTICULUS IX.

De qualitate conjecturarum,

quibus Critici sæpe aucti Patrum
authoritatem deserere solent, 112.

ARTICULUS X.

De aliis conjecturis, quibus
Critici Veterum testimonia, ad
libitum, aut elidunt, aut susci-
piunt, prout fert motivum scri-
bentium, 122.

ARTICULUS XI.

De conjecturis in incertis, aut
falsis suppositionibus fundatis,
quarum usu Critica non tam exac-
ta redditur, quam captiosa ac
fallax, 127.

ARTICULUS XII.

De ulterioribus Regulis obser-
vandis circa usum negantis argu-
menti, 133.

ARTICULUS XIII.

De Regulis, quæ solidiores vi-
dentur, ad ferendum tutius de
Scriptorum Autoritate judi-
cium, 140.

ARTICULUS XIV.

De Traditione, tertio & ultimo
Critices principio & fundamen-
to, 151.

ARTICULUS XV.

De Regulis sobriæ Critices pro
Traditionibus Ecclesiasticis, uni-
versalibus, vel particularibus, ad-
mittendis vel rejiciendis, 156.

ARTICULUS XVI.

Astronomiæ, Chronologiæ,
Geographiæ, Historiæ & rei Num-
mariæ peritiam, de qua maximè
glo-



gloriari solent Critici praesertim Grammatici, parum vel nil ipsis profuisse adversus celebriores Traditiones, breviter & efficaciter ostenditur, 173.

ARTICULUS XVII.

Quod in discernendis genuinis & supposititiis Veterum Scriptorum libris, & eorum interpola-

tionibus, depravationibus & corruptionibus, multipliciter Critici erraverint, postposita Traditione Regulis sive Conjecturis suis, 183.

ARTICULUS XVIII.

Examinantur cetera suppositionis indicia, signa & argumenta Criticis familiaria, 193.





PRÆFATIO,
IN QUA STRICTIM AGITUR
 de legitimo Critices usu, deque inconvenien-
 tibus Pseudocriticorum.



CRISIS, si etymon vocabuli spectes, iudicium est, sen-
 tentia, pugnaeque decisio. Unde ap. Medicos Crisis usi-
 tata vulgò acceptione dicitur. Eorum humorum no-
 xiorum die opportuno evacuatio, quæ luctam inter na-
 turam & morbum resolvit, & iudicium fundat de in-
 firmi sanitate. Et quamvis non desint, qui etiam in
 Medicina Criseos significatione abutantur, idque nomen adaptare
 velint ei, quæ in deterius contingit in ægro, mutationi, propriè ta-
 men Crisis non est, nisi mutatio illa, qua infirmus melius habetur,
 ex quaque iudicium de ejus salute desumitur.

Sicut ergo, quæ in re Medica genuina Crisis est, res est salutifera
 & expetenda, utpotè quæ humorum noxas eliminat, morbifica sedat
 symptomata, tutosque nos reddit de ea, quæ periclitabatur ægroti vi-
 ta, & incolumitate; sicquæ in ceteris hominum studiis Crisis versa-
 tur, si sincera sit, ac legitima, exquisitæ opus est prudentiæ, ac per-
 consequens magno digna pretio, jureque optimo computanda inter
 præclarissimas naturæ animique dotes, arte, & exercitatione perfec-
 tibilis.

Sed enim, quemadmodum plura sunt, quæ in Medicina salubrem

Crisin impediunt, scilicet, naturæ imbecillitas, morbi obstinatio, complicationes humorum, affectuum agitationes, medicamentorum copia, ac Medicorum imperitia; ita sunt non pauca, quæ in aliis scientiis, & artibus rectam Crisin subvertunt, ut puta ejus, qui Criticum agere vult, ineptitudo, eruditionis inopia, ingenium præceptum, præjudicata opinio, adversa affectio, animi præoccupatio, nimia præsumptio, & incircumspecta in judicando festinatio. Scilicet, tot esse possunt pravæ Crisis causæ, ut eas cavere omnes, paucis omninò à natura concedatur; paucioresque sint, qui universas vitare, cum possint, curent diligentissimè.

Hinc, licet frequens copiosaque sit eorum turba, qui in qualibet materia Critici videri amant, rari utique ii sunt, à quibus exactam, sobriam, piam, modestam, omnibusque numeris absolutam expectes jure Criticam. Etenim alii de iis rebus judicare præsumunt, quas non plenè intelligunt: Et cum toto vitæ cursu non alias literas excoluerint, præter Grammaticas institutiones, & Philologiæ amantitates, haud impares se putant Theologicis libris emendandis, & vel ipsis Sacris Codicibus corrigendis.

Alii cum philautia nimium laborent, vel sua tantum probare sciunt, vel nulla certè præter ea, nisi quæ suis sunt simillima. Aliorum vasta quidem est eruditio, & acutum, ac penetrabile ingenium, sed quos petulans arrogantia morosiores, & audaciores reddat, ac sententias præcipitare faciat. Sunt etiam qui, etsi provectiores videri velint, nondum paedagogiam, quæ juvenile est vitium, penitus exuere potuerunt: & hi rixandi libidine arrepti, omni fermè aliorum verbo litem intentant, & cum vix aliud quam jocos agant, triumphos canunt, & quasi victores inaniter æquè, ac juveniliter exultant. In aliis versatile est ad nutum voluntatis ingenium, & iis nulla sunt probabilia, nisi quæ volunt: & quemadmodum ap. Hebræos olim ad eorum libitum *mannæ* sapor mutabatur, ita & istis varius est historiarum, ac traditionum gustus, pro diversa singulorum propensione, affectione, & genio.

Sunt præterea plerorumque hominum ingenia adeò superficialia, ut præter objectorum colores, fallacesque apparentias, nihil fermè percipiant: & iis penè est ignotum, quid in fundo rerum lateat; vanaque sunt proinde, ac phantastica ipsorum judicia. Capiuntur hi, sicut muscæ, araneorum telis, quas dirumpere non valent; & parallogy-

gymnis, ac sophisticis rationibus non minùs convincuntur, quàm solidissimis, si eas nancisci possent, demonstrationibus convincerentur. Istorum sæpè ingenia vivida sunt, ac luminosa; sed eorum lux, corruptionum splendor est, celerrimè transiens, & aciem visus non tam illuminans, quàm perstringens.

Hæc & alia fermè innumera ingeniorum vitia diligentissimè observare, & cavere debemus in scriptis præcipuè illorum, qui antiqua, & recepta fastidiunt, & novis exoticisque delectantur. Ab hujus enim indolis hominibus infinita propè mala, & olim profluxerunt, & diebus quoque nostris promanare non desinunt. Quare Criticorum opera, quæ cum aliorum errores detegant, reprehensionesque ut plurimum contineant, plerisque ultra modum placent; iisque præcipuè, qui Aristarchi genio tumentes, castigato nimis judicio, facillè contemnunt, quæ ipsis minimè probantur, solertissimè perferutari opus fuit; ne ullatenùs iis morem gererem, qui non solum nimium severè, sed parum etiam piè, velut si rerum omnium coticulam gustu gestarent, de qualibet re confidenter citoque pronunciant. Et quasi Phebades, ex Apollinis tripode divinantes, scire se credunt vera à falsis ubique discernere, & latentem per plura sæcula quorundam historiarum, traditionumvè falsitatem coram oculis solis hujus, vix ullo labore, aperire.

Etenim alienas opiniones refutare, quorundam hominum genio, & ingenio grata res est, & jucunda; nec tam facillè, sua quisque placita rationibus confirmat, quàm aliorum se idonee labefacere cogitat; Quare, non nisi temperanter Criticorum Sententiis uti, altè mihi animo infedit; pias verò, ac communes Fidelium minùs fortè Sapientum persuasiones, quæ cum nullo firmo fundamento, aut idonea auctoritate nitantur, tamen à Sapientioribus jam pridem tolerari, vel dissimulari meruerunt, critica severitate convellere prudentis opus hæud quaquam mihi visum est: illæ quippè tales sunt, quæ sine ullo fidei morumvè præjudicio, cumque quodam pietatis sensu à simplicioribus, minùsque curiosis hominibus credantur: vix autem, aut ne vix quidem negari queunt, absque aliqua pietatis jactura, ac sine aliqua scandali specie, quæ sensim devotionem minuit, turbat pacem, & vel ipsam fidem in rudioribus debiliorem quodammodo reddit; ea verò inconvenientia floccifacere non est prudentis Viri; eo maximè, quod similia traditionum falsitas, si re ipsa falsæ sint, neque per se

nota est, nec adeò perspicuè manifestèque apparens Criticorum oculis, ut cogantur, vel eam videre, vel visam aliis demonstrare. Plerique etiam talia sæpè non alia ratione impugnant, nisi quia rationes ad manum non habent, quibus ea probent; aliis quoque suarum Regionum, vel traditiones, vel rumores suum pondus habere videntur, aliarum prorsùs vanæ existimantur, de quibus meritò dixerim; quod in quo alios judicant, se ipsos condemnant. Major quoque de aliis querela est, qui præcedentibus animosiores, non ea solùm, quæ vulgari fide excipiuntur, nec à doctioribus reprobantur; verùm & graviora alia, quæ sapientibus olim credibilia facta sunt, non tantùm rejiciunt, sed & aliis irridenda proponunt, quod vitium hac nostra potissimùm tempestate longè latèque serpit, futurum etiam, nisi opportunè amputetur, vel ipsarum fidei veritatum fatale excidium; Dum enim assuecunt homines, Religionis nostræ quædam velut extrinseca negare, ac parvipendere, ipsa quoque essentialia, quæ in se obscura nimis sunt, hominum sensui obscuriora quodammodo redduntur, atque earum fides paulatim debilitatur; tepescit etiam pia voluntatis erga res fidei affectio, sine qua ipsa fides stare omninò non potest. Ecclesia Christi Regina est Mundi, utpotè Æterni Regis Sponsa, quæ intrinsecùs quidem cœlestibus donis Viro suo ornatur; sed & extrinsecùs ornari, ac decorari debuit, sæcularium nempe rerum pompa ac magnificentia, ut esset quoque visibiliter speciosa, nec despiceretur à fatuis hominibus, non nisi vana, & externa Sapientibus.

Quoniam igitur Ecclesia Romana, non solùm veritates fidei intemeratè custodit, sed insuper antiquæ suæ Majestatis monumenta plurima ostendit, ea omninò intacta relinquenda sunt, repellendæque Criticorum exceptiones, quæ penitùs nihil valere debent adversùs canosas tantæ Urbis traditiones, quas nec ipsa vetustas sua edacitate consumere, aut abolere potuit. Abeant ergò cum ratiociniis suis, quibus non sufficit sapere ad sobrietatem; quique aliundè, quam ex constanti, nec intermissa unquam fama, præteritarum rerum eventus venari student, ubi vel idonei testes deficiunt, vel minimè inter se se conveniunt. Argumenta quoque, ut scholastici vocant, negativa, quæ in similibus hujus generis Critici identidem venditant, cum ferè semper apud cordatos exiguam vim habeant; tunc maximè omni prorsùs robore sunt destituta, quando non omnes Scriptores illius ætatis, vel proximè subsequentiæ siluerunt; sed tacentibus aliis, alii rem testati sunt;

PRÆFATIO.

§

sunt, velle porro fidem loquentibus negare, ne silentes dicantur inofficiose tacuisse, esset injuste testes recusare, & ex testimonio ficto nihil adversus illos dicentium falsitatis redarguere, quod æquitas strictè prohibet.

Reverentè etiam suscipere solco traditiones alias, atque historias minus certè universales, sed quæ peculiaribus Nationum, Ecclesiarum, aut Religionum fama fideque muniuntur; ac sicut, non à Romanis Græca, aut Romana à Græcis petenda sunt, sed singula singulorum Gentium monumentis quærenda, & investiganda; in similibus rerum, quas leviter in meis Operibus attingo, narrationibus, domesticorum testimoniis frequentissimè utor, atque ceteris paribus extraneorum dictis illa confidenter præfero: vixque æquo animo ferre possum quorundam Criticorum fiduciam, (ne dicam audaciam) qui quasi immemores humanæ imbecillitatis, de alienis non secus, ac de propriis facillimè jus dicunt, inconsultis persæpè illarum rerum ex professo Tractatoribus, quas ipsi ex solo familiarium sibi librorum testimonio dijudicare præsumunt: ac sicut quidam olim imperiti, non alios Homeri, versus recipiebant, nisi quos Aristarchi severitas approbabat; Ita & hi, quibus semel credulitatem suam manciparunt, Authores unice suscipiunt, ac consulunt, & in rebus quibuslibet ceteris omnibus præponunt.

Id porro vitio, vel maximè tribuendum esse nemo prudens dubitabit; quinimò eo potissimum Lectorum Scriptorumvè præjudicio, non urbanitatis tantum, sed & æquitatis jura passim violari videmus, ac frequenter etiam Lectores minus, aut eruditos, aut circumspectos falli; & fallere subindè alios, quotidiano periculo discimus.

Et quidem à tam fœda Ingeniorum, Librorumque labe, non omninò credimus immune opus illud Gallicum, satis celebre, ac verè ceteroquin præclarissimum, quod sub Dictionarii nomine quinque justis voluminibus, non rerum ferè omnium vocabula tantum, sed & ipsas res ferè omnes explicat, atque elucidat. Hujus magni Operis Author & ipse Magnus, licèt vix aliquid in tanta rerum mole dicere soleat sine teste, tamen plerumque, sinistra forte nescio qua, in rerum gestarum narrationibus, in descriptionibus Urbium, ac in peculiaribus historiis Religiosorum Ordinum, in eos testes incidit, qui vel imperitia earundem rerum laborarunt, vel ineptos & ipsi Authores

habuerunt, quibus nimia credulitate addicti, falli & ipsi potuere, & alios similiter fallere.

Nec leve dixeris piaculum hujusmodi in Scriptore præsertim magni nominis, celebriorisque famæ: namque à tali faciliùs decipi incauti solent, ea vel præcipuè de causa, quod minus timent: præsumunt enim nihil hujus classis Scriptores, aut affirmare, aut negare, quod non priùs librauerint sagacissimè, numquamque deferre unius Authoris testimonio, in aliorum quodammodo contemptum, nisi cum ille rationis pondere, & autoritate reliquorum numerum obruit. Et ut prætermittam alia non pauca, quæ Scriptor iste contra peculiaris, ac receptissimas Ecclesiasticas opiniones sparsim affert, unum vel alterum exemplum in medium adduco earum opinionum, quas circa res Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, cui singulari Dei beneficio à Puerò nomen dedi, minus sapienter consecratur; & de Divo quidem Joanne de Matha ejusdem Ordinis Protoparente aptè satis, ac verè, esto nimis pauca, pro suo Instituto Author scribit. De Sanctissimo verò ejus Socio, ac ipsius Ordinis Patriarcha Divo Felice Valesio, vix aliud refert, quàm quod premere omninò silentio debuit, ne incertam suam in re non sua ultrò gratisque proderet: inquit enim, & nimis etiam fidenter inquit, eum Valesium cognominatum ex Loco, nescio quem, Galliæ, ubi natus fuerat, non verò ex Regio Francorum Regum sanguine, de quorum clarissima Stirpe Sanctissimum germen Author inconsultæ pennæ ictu præcidit. Adeò facile quibusdam est fidem illis rebus subtrahere, quæ vel unius Regularis Ordinis traditione, quem verè sapienterque cœtum gravium, & Doctorum Virorum appellaveris, abundè firmarentur, quamvis, & exterorum Testimonia, & venerandæ antiquitatis monumenta, & Ecclesiarum consensus, quæ omnia in casu nostro confertim concurrunt, penitus desiderarentur. Sed ut doleas Scriptorem in primis doctum, malè in multis eruditum, addit, primum hujus Ordinis Cœnobium Arelati in Galliæ Narbonensis clara Urbe fuisse extructum, quod non solum à veritate alienum est, sed contrarium quoque constanti assertioni Scriptorum omnium, qui de Gloriosissimis hujus Sacræ Religionis primordiis data opera egerunt, apud quos indubitata res est, publica quoque exterorum fide contestata primum hujus Ordinis Monasterium fundatum fuisse in Loco, quem Cervi frigidi cognominarunt ab apparitione Cervi sitientis, ac bicolorem Crucem

Ordinis istius insignis, inter Cornua gestantis, Diœcesis Meldensis.

Possem, & alia hujus generis nonnulla ex eodem Authore proferre, invitus tamen duo illa memoriæ prodidi, ne detrudere videar eximio ejus merito, & famæ, ideò & innominatum relinquo, ubi illum minimè probo. Illud sanè, & dicendum omninò fuit, ac sæpè etiam inculcandum, nimirùm, boni, probatique Scriptoris munus esse rerum notitias, non è longinquo, sed è vicino petere, atque ex ipsis fontibus haurire, solent enim singulæ Gentes, ac singulæ respectivè Familiæ summa quadam diligentia res suas, vel exploratas habere, vel neglectas aliquando, iterùm & investigare, & invenire, inventas autem perenni memoriæ conservare, atque libris etiam castigatissimis in lucem publicam edere; è quibus velut è limpidæ aquæ scaturigine puriores rerum notitiæ fluunt, queis tractaturus de exteris, alienisque rebus facilè fœcundantur. Quod si quia Scriptor aliquis vel ambigere, vel etiam negare, ac rejicere voluit singulares Historias ab aliqua Natione, vel Religiosorum Cœtu longa temporum successione, ac communi calculo firmatas, eadem illico, vel vocandæ in dubium sint, vel si superis placet, etiam despiciendæ; caveat quisquis illegitima adeò mensura utitur, ne & eadem ipsi remetiatur, & dum aliena manu critica carpit, propria exauthoret. Timeat etiam, ne hac via humanarum Historiarum fidem de medio tollat, radicitusque de cordibus hominum (si fieri poterit) evellat, nam difficile est invenire præteritarum rerum monumenta, quæ suos impugnatores non habeant, eosque vel passione aliqua præventos, vel documentis necessariis destitutos, vel mala quadam indole à Natura ipsa vitiata informatos, quibus, quæ gloriam redolent alienam, vix non semper apparent improbabilia.

Et hæc quidem pro bono usu Criticæ Disciplinæ utcumque prælibanda fuerunt, præmonendique Adolescentes studiosi, quibus Præfationem hujusmodi adornavi, ne ætatis ardori, ac gloriolæ cujusdam cupiditati plus justo indulgentes, præcipitanter vel de rebus, vel de Authoribus judicare assuescant; neque sine modo, & ultra metas sapere ediscant; plura enim sunt, quæ ignorare lucrum est, non pauca etiam, quæ scita non conferunt, nec ignorata lædunt, valdè verò plurima, super quibus cum quolibet contendere facilè quisque possit, vincere verò, ac inventæ veritatis palmas reportare minimè. Sed de hoc satis. Nam multa in hoc Tractatu opportunè tradere in-

tendo, quibus legenti satis superque innotescat Ars illa magna, hoc nostro ævo famosissima, quam *Criticen* vocant, & cujus studio moderni Sapientes impensissimè vacant. An verò legitimus ejus usus, qui valdè difficilis est, tam sit Ecclesiæ utilis, quàm est abusus ejusdem fidei pietatique præjudicialis? Id ex utriusque fructibus facilè dignoscere poterimus, dum eos data opera examinabimus. Fatemur quidem nos rem versare intendere, quam præclarissimi quidam viri plenissimè jam tractarunt. Cui enim nota non sunt Justi Lipsii opera germanæ Critices luminibus splendida? Quem Eruditorum latet Edmundi Campiani ratio prima academica, ad castæ Criticæ Regulas felicissimè exacta? Notus quoque suaque fama dignus est Pater Laubrussel, qui foedam pseudocriticorum imaginem ad vivum depinxit in suo Gallico Tractatu *De abusu Critices in materia Religionis*. Præsto etiam Doctis adest Honoratus à Sancta Maria, in cujus egregio opere *Animadversionum in Regulas & Usus Critices*, universa hujus magnæ Artis structura cultrò velut anatomico subtilissime scinditur, & quæ in ea sint vitia, apertissime demonstratur. *Principia item Artis Criticæ*, quæ Pater Eusebius Amortuis *explicata & demonstrata* dedit in posteriori Tomo suæ *Philosophiæ pollinganeæ*, neque penitùs sunt nobis ignota, neque Sapientiorum studio indigna. Obvia insupèr studiosioribus sunt quæ pro bono Critices usu alii docti Recentiores vel data opera, vel nacta occasione observarunt: quibus an aliquid nos addere potuerimus, quod lectorum studio haud indignum sit, iis dijudicandum submittimus, qui æqui bonique Judicis partibus exornantur.

S. August. lib. 1. *De Trinit. cap. 3.* *Utile est plures à pluribus diverso stylo fieri Libros, non diversa fide etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*



PARS PRIMA.

DE CRITICE IN GENERE, ac in specie de antiqua Scriptorum Critice.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CRITICES NOTIONE, ORIGINE, & antiquitate, atque de artificiosa methodo, qua Neoterici Criticen tradunt.



Ritice nihil aliud est, quam quaedam vis iudicii, mentisve sagacitas, quæ ex idoneis indiciis vera à falsis discernit, legitima ab illegitimis; probabilia ab improbabilibus; authentica ab apocryphis; proprios denique, ac genuinos Scriptorum sensus, ab impropriis, minimèque eorundem intentioni, ac verbis congruentibus. Undè liquet, prudentiæ opus esse Criticen; virtuosæ quidem prudentiæ, si iudicium circa moralia agibilia versetur: prudentiæ verò latè sumptæ, quoties alias respicit materias. Sicut enim prudentis simpliciter dicti est rectè iudicare de iis, quæ ad finem hominis pertinent, quibusque homo aut be-

nè, aut malè circa mores se habere dicitur; ita etiam prudentis opus, quaedam analogia nuncupatur, quæcumque iudicium rectè institutum circa materias particulares ad Virtutis objectum minimè pertinentes: quo pacto prudentis nomen in hac, vel illa arte scientiæ promeretur, qui in iudicando de iis, quæ ejus artis, vel scientiæ sunt, solerter, cautè, ac circumspectè se gerit, nihil in propria materia prætermittens, quod assentionem præintenti finis utcumque impedire possit. Etenim si prudentiæ nuncupatione, vel ipso ore Veritatis, compellari potuerè filii hujus sæculi, qui quædam iudicii calliditate opera renebrarum explere perficereque ritè norunt: quanto magis ea nomenclatura

tura poterunt merito decorari, qui in his rebus, quæ rationalis naturæ certa ornamenta sunt, sciunt mature, ac sagaciter procedere, aptèque judicare?

In hac igitur acceptione Criticen præclara quædam est Animi dos, quæ originem ac initium habuit cum ipso communem. Eo verò munere plus minusvè homines pollent, quo majori, vel minori intellectus perfectione sunt præditi: namque de re qualibet scitè judicium ferre, & quadam spiritus vivacitate, ac penetratione, remotiores à sensibus veritates introspicere, & velut ex abditis vi, & energia cognitionis eruere; contactas fucos falsitates dignoscere: momentaque rationis, & authoritatis æqua lance librare: atque præjudicia omnia, quibus iudicii rectitudo plerumque impeditur, subtiliter, efficaciterque repellere: quis dubitet, maximam esse humani intellectus perfectionem, quam quibus Natura liberaliter indulgit, ii veri, sapientesque Critici appellari jure possint?

Et illas profectò regulas, quas pro bono usu Critices, Neoterici methodicè tradidere, quasque nos inferius propriis in locis explicabimus, non aliunde haurire potuerunt, quam ex hoc locupletissimo mentis thesauro; ubi nisi reconditas invenissent, neutiquam potuissent aliis communicare.

Quia verò Natura arte perficitur, à qua ars ipsa generatur; nec ullius artis usus sine propria materia, circa quam versatur, stare omnino potest; perspicua res est, ad usum Critices, quæ ars quædam est universa-

lissima, univèrsasque artes, scientiasque transcendens; amplissima opus esse materia, exquisitissimaque rerum, ac Librorum notitia, & cognitione; cum nemo Justus Judicis personam agere ritè valeat, cui causarum, vel leviores circumstantiæ haud sint probè notæ.

Joan. Cler. Scriptor heterodoxus, Authorque operis, quod inscripsit, (de Arte Crit.) Criticen definit: (Artem intelligendorum veterum scriptorum, sive numeris adstricta, sive soluta oratione utentium; & dignoscendi quænam eorum genuina scripta sint, quæ spuria.) Verùm hæc definitio diminuta nimis est, & Criticen sub angustis terminis concludit; nam, ut quisque facile videt, non sola Veterum scripta censorio debent subjacere iudicio: quin imò eò magis exempta censerentur à Critices severitate, quò plus vetustate ipsa merentur approbationis. Et Vetera quidem jam judicata sunt; secus verò scripta Modernorum, quæ ubi à priscorum doctrina, succedentium Doctorum consensu firmata, deviant, novitate ipsa suspecta redduntur, nec nisi vehementiori igne probari merentur. Jubemur sanè ab ipsa Sapientia, ut & nos sapientes esse possimus, sapientiam omnium antiquorum exquirere, & narrationem Virorum nominatorum conservare: vitio tamen vel maximè tribuendum est, quòd eorum potissimum scripta, merito à junioribus exquirenda, & conservanda, ubique in iudicium vocentur, ac in multis vix non de libris ipsis deleantur.

Magis etiam contractè Cousinus in

in suo *Diario* 14. Maii 1699. Criticen definivit, dicens, illius muneri solum esse, in Scriptoribus debite examinare, an vera falsave scripserint? Licet enim omnis nostri studii scopus is esse debeat, ut, inventione veritatis, umbra quaelibet depellatur erroris; & veritas ipsa jure exigat, ut a nobis diligatur, etiam ubi caligine errorum circumoffuscata invenitur; cum nec Dæmonis ore veritatis pulchritudo deturpetur: tamen, qui hujusmodi Critices notione, ac munere contentus est, plurima, nec ullatenus contemnenda, Critices prætermittit officia, sine que ars ipsa manca remaneret, ac mutila. Nec universim verum est, licere Criticis, in Scriptoribus examinare, an vera falsave scripserint? Nefas enim est id quærere in Scriptoribus Canonicis; quorum scripta cum absolute credere vera debeamus, id unice laudabili studio investigare possumus, quales nimirum fuerint eorum proprii, ac legitimi sensus? Ipsa quoque veritas humanæ historiæ, cum in profanis, tum in Ecclesiasticis rebus, quoniam sola autoritate nititur, non ratiociniis examinanda, sed fide est suscipienda: nec in eo genere Scriptorum Critices munus est quærere, an vera falsave narraverint? Sed solum, an tales fuerint, quibus nos credere debeamus, aut saltem sine levitatis nota credere possimus?

Quod autem Critici nostri ajunt, esse, nimirum, characteres quosdam veritatis, gustu exquisitissimæ prudentiæ unice perceptibiles, quorum cognitione Sapiens queat, inter facta historica, ab integræ authorita-

tis hominibus relata, hæc, aut illa ut vera recipere; alia verò ut falsa repudiare: id fortassis absque debito Critices usu dictum est; optimoque jure a cordatis viris timendum, ne qui dicitur delicatissimæ prudentiæ gustus, sit potius privatus hominis affectus, quo non gustus solum, verum & sensus ipse communis solet nimium alterari, ac iudicium ipsum subverti. Fatemur, credibilia esse debere, quæ fide nostra excipiamus: at mensura credibilitatis non una omnibus est: nec rariora, & stupenda, eo ipso judicari debent incredibilia, præcipue in Historia Ecclesiastica, quæ ubique scætet effectibus Divinæ gratiæ mirabilibus. Ibi etiam multa supra sensum hominum ostensa sunt nobis, quæ qui voluerit humano sensu metiri, a regula utique deficient germanæ veræque prudentiæ.

Insuper, quæ traditione constant, aut Ecclesiarum consensu, vel pia veterique populorum fide, vera eo ipso rationabiliter censentur: nec alia via eorum veritatem possumus critico examine disquirere, nisi ad summum diligenter investigando, verè necne constet de traditione, quæ allegatur? Semel autem stabilita alicujus rei traditione, quærere, an res, in traditione posita, sit vera? Eset profecto hypothesim destruere ipsamet quæstione, atque traditionis vim, ad idoneè rem probandam, non tantum extenuare, sed infringere. Et quo, rogo, argumento, vera esse probabimus, quæ sola traditione nituntur, si cum traditionis existentiam negare nequimus, ejus vim, & efficaciam ad fidem in-

gerendam, negamus?

Rursus, Ecclesiam Christi Sponsam habere suas opiniones, nec quicquid sentit, tamquam Fide Catholica sentire, verè sapienterque dixit Maldonatus in Disputatione Parisiis habita de Immaculata Dei-para Conceptione: atque in his quidem Ecclesiae opinionibus plura pluraque continentur, quibus ipsa Christiana Fides circumornatur, ac pietas nutritur. Quae verò Ecclesiae opinione firmantur, tantae auctoritatis robore communiuntur, ut ea in dubium vocare, nihil sit aliud, quam sapientissimae Matris gravissimam auctoritatem à propriis filiis contemni, & privato iudicio postponi: cum è contrario id à nobis postulet debitum tantae Magistrae obsequium, ut quidquid illa opinatur, id ad minus valde probabile iudicetur, tutoque praeferatur, non solum Criticorum levioris ponderis conjecturis, verum etiam quibuslibet Scriptorum quantumvis gravissimorum sententiis.

Quod ut insigni exemplo declaremus, in memoriam revocare oportet, opinionem fuisse plurium Scriptorum, vel doctrina, vel sanctitate, vel utraque simul laude illustrium, S. Joseph Genitricis Christi Sponsam, ante conjugium cum Maria Virgine celebratum, aliam duxisse uxorem, ex eaque Jacobum Fratrem Domini, ac alios, qui eodem titulo decorantur in Evangelio, procreasse. Ita quidem olim opinati sunt Origenes, Eusebius, S. Epiphanius, S. Hilarius, S. Gregorius Nyssenus, S. Amphilochius, S. Ambrosius, S. Joannes Chryostomus, ac alii his

ferè aequales: quorum tamen ponderosa auctoritate opinatio, locum tandem celsit Ecclesiae opinioni, quae S. Hieronymi ore primum fidelibus illuxit, tenetque, Sanctissimum Patriarcham Virginitatem perpetuo coluisse: quod fidem esse Ecclesiae, inquit Beatus Petrus Damianus, non quod Catholica Fides id doceat, sed quoniam ita opinatur, ac rationabiliter credit Ecclesia. Tantae verò firmitatis esse putatur hujusmodi Ecclesiastica opinio, tamen antiquorum Patrum sensui adversetur, ut vel ipse Adrianus Bailletus, delicatus nostrae aetatis Criticus, pag. 494. ad diem 19. Martii, asserere non dubitaverit, oppositam opinionem nullo modo posse sustineri.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Scriptoribus, qui Critices laude quavis aetate florere, in materia praecipue S. Scripturae.

CRederem, nec immerito, quod is rem paucis verbis absolveret, qui diceret, eos omnes critica arte excelluisse, qui in hac, vel illa materia rectè, sapienterque scripsere; cum id praestare, sine exquisiti iudicii usu, nullus omnino possit. Hinc veros Criticos, velut justiores veritatis iudices, ac vindicantes, contrariorumque errorum strenuissimos profligatores, illos potissimum appellarem, quos, ut aeternae salutis Magistros, fideles veneramur, & colimus. Etenim cum maxima Critices utilitas in veritatis, vel occultissimae cognitione sit posita; non sanè saeculi Sapientes, qui verè scien-

Scientiam, vel prima principia ignorant, & variis præjudiciis præoccupati fuisse noscuntur, sed Ecclesiæ Doctores, qui fidei pietatisque mysteria, ac disciplinam abundè nos docuerunt; veri Critici debent nuncupari, tamquam Verborum Dei sagaciores, fidelioresque Interpretes; traditæ à Christo, & Apostolis doctrinæ intemerati custodes; atque Milites invincibiles Castrorum Dei, adversus acies, turmasque infidelium, mille modis veritatem oppugnantium.

Sed enim, qui hac nostra tempestate critici vocari amant, velut diligentiores veritatis investigatores; cum fortassè aptius appellari possint, amatores, inventoresque novitatum, vix non prorsus inutilium, forte etiam tepidioribus in fide aliquo modo nocentium: tamquam dedignantur Criticorum Catalogo inserere hosce sanctissimos, ac sapientissimos homines, quibus credita esse eloquia Dei, datamque scientiæ clavem veraciter dixeris. Richardus Simon fecundi sanè, sed audacis ingenii Gallus Scriptor, in sua *Hist. Critic.* lib. 3. Censorem agit operum SS. PP. atque cap. 9. pag. 391. cunctis præfert Origenem, qui quamvis multæ literaturæ celebritate floruerit, veri tamen sapientis laudem, propter multiplices, quos docuit errores, jure amisit. Ipse Author fatetur, eum in scribendo longè discessisse à simplicitate Sacræ Scripturæ, cujus stylum minimè est imitatus: addere debuit: nec sensus in pluribus affectus: Origenes enim; sicut ubi bene, optimè scripsit; ita ubi malè, inter Scriptores pessimus,

merito est reputatus. Huic ergo qui primatum in Ecclesiastica doctrina tribuit, videtur potius desipere, quàm criticum agere.

Post Origenem Author D. Hieronymum putat omnium sapientissimum, habilissimumque Traductorem, & Interpretem Sacrorum Librorum, propter singularem peritiam linguarum. Ceterum, Doctorem verè Maximum, non semper exactè scripsisse, ob defectum prærequisite meditationis; nec scivisse debita moderatione uti Critices arte, atque frequentibus lapsibus errasse in ipsa scripturarum expositione, audax iste sciolus affirmare non erubescit. Audet insuper, beneficio suæ Critices, fidelibus promittere Divinæ V. T. Scripturæ Versionem, quæ omnium sit exactissima, longèque superet fidelitate, ac proprietate, reliquas omnes, nec illa excepta vulgata Latina, quàm inculpatam, cum primùm facta est, judicavit Ecclesia; judicavit etiam Synagoga: quamque inviolatam conservavit cum Ecclesia Romana an. fermè 1300. universus Occidens. Undè lib. 3. *Hist. Crit. V. T.* cap. 1. pag. 252. [Ex judicio] inquit, [quod in duobus nostris prioribus libris fecimus, cum textus Bibliorum, tum diversarum eorundem translationum, evidenter probatur, nullam hæcenus extitisse perfectam, & exactam Scripturæ Sacræ Versionem.] Quid animosius? Quid arrogantius blaterare potuit, vel hostis Ecclesiæ infensissimus? Merito ergo, qui tanta superbia intumuit, reprehensibilis visus est, non Catholicis tantum, sed & ipsis hæreticis, quorum quidam,

ap. P. Ambrun in *Resp. ad Hist. Crit.*
 & ap. literas Spanheim, pag. 566.
 acri severitate sugillant arrogan-
 tem, temerariamque Richardi Si-
 monis Criticen. Du Pinus Censorem
 adeò ineptum credidit Hierony-
 mum, ut vix non contemptu exci-
 piat ejus de Jeremiæ stylo judicium,
 ubi Prophetam dicit, simplicem esse
 verbis, sed sensibus sublimem. S.
 Justinus Martyr, qui necdum fide-
 libus cunctis, sed & Photio schis-
 matico, fastoso & arroganti Viro,
 visus est consummatam, atque om-
 nibus numeris absolutam possedisse
 eruditionem, & ex utraque litera-
 tura, ethnica scilicet, & Christiana,
 plenissimam rerum cognitionem
 hausisse, delicatissimo, ac fastidioso
 nostrorum palato Criticorum, qui-
 bus aliena quæque viluerunt, nihil
 fermè sapit, vixque, non videtur
 sapius ineptire: undè effreni qua-
 dam & irreligiosa libertate abrepti
 non verentur uncialibus literis scri-
 bere, Justinum, nomen potius esse,
 & spectrum Philosophi, quàm Phi-
 losophum; nihil penè in scriptis ha-
 bere suis, quod sit exactum; nihil
 enucleatè, ac judiciosè expressum;
 nihil vel in dogmate fidei sinceræ
 Ecclesiæ doctrinæ ita consonum,
 quod non melius possit accommoda-
 ri paganæ Platonis Theologiæ.

S. Epiphanius, qui magno sem-
 per in honore ap. Ecclesiam fuit, &
 cujus insignem eruditionem, vel au-
 daciores critici maximè commen-
 dant, cum suffragantia sibi testimo-
 nia ex ejus scriptionibus excer-
 punt; quoties ea tradit, quæ ipsi
 improbare solent, videtur facile in
 Historia cœcutire, & tantæ homo

esse simplicitatis, ut accuratioris,
 ac boni judicii donò ferè destitua-
 tur; & propterea vera palsim cum
 falsis misceat, fabulas adoptet, quas
 traditiones in cautissimè credidit,
 apocrypha avidè sectetur, & vel in
 aperta luce fallatur. En Epiphani
 imaginem, Sculteti, Tillemontii,
 Du Pini, & alior. Criticorum peni-
 cillo pigmentisque depictam. Sed
 longè alia est, planèque pulcherri-
 ma effigies, quam tanti Viri adum-
 bravit S. Augustinus, quique cum
 eo pium sobriumque Critices genus
 confectantur.

Jam in Magno Augustino, ad cujus
 ingenii sublimitatem Orbis obstu-
 puit, intrepidus Censor Richardus,
 qui vel Aquilam volatu insequi præ-
 sumit, tales tantosque defectus de-
 prehendit, qui cadere vix possint
 in vulgaris mediocriusve famæ Doc-
 torem. Ejus in Scripturam Commen-
 tarios parum esse in pluribus exactos
 affirmat, propterea, quod S. Doctor
 non satis fuerit exercitatus in hoc
 genere studiorum, laboraveritque
 imperitia Hebraicæ, Græcæque lin-
 guarum, quarum primam nullo mo-
 do, secundam solum imperfectè
 cognovit. Quid amplius? Ipsum S.
 Doctorem, tam in Philosophia,
 quàm in Theologia, multis fuisse
 plenum præjudiciis, quibus uni-
 versa ejusdem Opera abundant: ea
 verò, quæ expositiones continent
 Scripturarum, refertissima esse dig-
 gressionibus, ac inutilibus subtili-
 tatibus; atque sæpè non textui adap-
 tari ideas Authoris, sed textum ip-
 sum violenter accommodari ejus-
 dem ideis. Psalmorum explicatio-
 nem, utilissima eruditione à Doc-
 tissi-

tissimo Antistite elaboratam (quam-
 vis D. Hieronymo non satis placue-
 rit, nec adhuc omnino placeat He-
 braici Græcique Sermonis peritis)
 dignam putat, quæ à nemine imite-
 tur; interpretationem autem Libri
 Genesis, quam pro refutando Mani-
 chæismo, egregio labore adorna-
 vit, insolentissimè prorsus contem-
 nit, asserens, quod S. Doctor ibi,
 nec Manichæis aptè respondet, nec
 lectoribus satisfacit, quod impu-
 denter Simonius ignorantia Criti-
 ces adscribit. Vide in 3. Tomo
 Oper. S. Aug. novissimæ edition.
 Vindicias S. Doctoris, in *Prefat.* to-
 mi ejusdem. Jo: Clericus, Batavus,
 seu Figurinus, qui sub *Phereponi*
 nomine Laboriosi titulum sibi as-
 sumpsit, quamvis pessimo sanè la-
 bore desudaverit, meliora de Au-
 gustino, homo impensissimè hæreti-
 cus, ac petulantissimè Criticus, scri-
 bere non potuit. Huic S. Doctor
 non solum in pluribus ignorantia la-
 bitur, quod humanum esset; verum
 & in multis inconstans invenitur; &
 instat Prothei, sicut is multiplices
 in figuras mutabatur, sic ille de ju-
 dicio in judicium, ac de opinione in
 opinionem, volubili ingenio, de-
 volvitur: & quod pejus est, hor-
 rendumque auditu, vaferrimè ple-
 rumque agit; & cum veritatis stu-
 diosissimus, mendacique Osor &
 oppugnator acerrimus videri vellet,
 non usque adeo opere ipso & veri-
 tate officiosa mendacia fastidit, ut
 non sæpius ea ipse adhibuerit, ut
 confictis, quæ juvare possent Reli-
 gionem, ac Pietatem fovere, opitu-
 laretur miraculis; atque factis qui-
 busdam insolitis, & credentibus

quomodolibet profuturis fidem ad-
 trueret. Nec dissimili intentione,
 cum hæreticos infectatur, post ha-
 bita ingenui & Christiani hominis
 sinceritate, errores eorum, ut faci-
 lius, & splendidius triumphet, am-
 plificat, & exaggerat, & argumen-
 ta ipsorum, si quæ premunt, callidè
 dissimulat, ne impares ad solutio-
 nem vires deprehendantur. Hæc &
 pejora alia legere si Pietas Religio-
 vè permittit, videri possunt apud
Animadversiones personati hujus
 Scriptoris in *Opera D. Augustini*,
 edit. Amstel. an. 1703. Tutius verò
 ap. Cl. Muratorium in *Opere De In-
 genior. moderat. in Religion. negot.*
 edit. Venet. ann. 741. sub Larva
Lamindi Pritanii.

Divum verò Ambrosium quam
 durè uterque Criticus, inhumani-
 terque tractaverit, fateor, vel re-
 ferre omnino pudet. Eum non Au-
 thorem, sed Transcriptorem fuisse,
 inquit, Origenis Librorum, ac S. Ba-
 filii Homiliarum; quorum Scripto-
 rum Verborum tantum ordinem va-
 riassè; ac de suo dumtaxat addidisse
 magnam digressionum copiam, qua-
 rum fecunditate nimium pollere,
 velut irridens dicit. Sed cui Sancto-
 rum Doctorum pepercit Censoria
 Virga hujus Critici Rich. qua vel ip-
 sum Sanctuarium, hoc est, Divinam
 Scripturam metiri ausus est? Virga
 sanè ferrea, cujus ictibus licet com-
 minuantur pretiosiora alia metalla,
 semper tamen remanent pretiosiora.

Post SS. Patres, quorum doctrina
 illustrior facta est vitæ Sanctimoniæ,
 Criticorum Syllabo adscribendos
 censeo, insignes alios Scriptores
 Ecclesiasticos, ac præclarissimos

Theo-

Theologos ; quibus omnis post Christum ætas ubertim abundat. Scio me in hoc à Criticis deridendum , qui Theologos univèrsim, eosque præcipuè, quos Scholasticos vocamus , communiter despiciunt; atque illos Sapientum Choro interesse, iniquò animo ferunt. At Theologis pro minimo est ut à Criticis judicentur : nam qui Theologorum iudices esse præsumunt ; vel & ipsi Theologi sunt , & suo se ore condemnant , in quo ceteros judicant ; vel nimis insipienter , ne dicam stultè , Theologos corrigere audent, ignari cum sint Theologiæ. Quòd si isti velint altioris ordinis se Theologos esse jactare, atque illos solummodo hujus nobilissimæ Scientiæ candidatos contemnere , quos Semitheologos , aut Theologos sola nuncupatione , appositè Melchior Canus vocitavit : imprimis satis inverecundè honorem sibi sument, cuius fortasse minus digni putarentur, si alienæ Criticæ expectarent iudicium : deindè , non Theologia solum , sed & omnis Scientia , & Ars quælibet, imperfectos habet, ac imperitos professores, qui, in voto quidem Sapientes sint , in re verò minimè sunt. Tales utique Scholæ omnes etiam florētissimæ in sinu suo alunt, patienterque sustinent spe uberioris profectus: qui verò insufficientes natura sunt, ut amplius proficere valeant, tolerari & ipsi debent, ne improbari videatur cœlestis illa Magni Patris familias œconomia, qui convenientissima quadam inæqualitate servis suis talenta distribuit.

Et ut Critici ex propria infirmitate discant alienis compati imperfec-

tionibus, atque & ipsi tandem revertantur ad cor; inferius nos, satiusque & opportunè, & manifestè commonstrabimus, etiam Artem illam mirabilem Criticæ, qua Sapientes fieri volunt, qui verè pleneque sapiunt, nec ab omnibus, nec à pluribus eorum, qui fastoso Criticorum titulo nobilitantur, aut perfectè possideri, aut rectè tradi: imò valde paucos, fortè quoque nullum, Artis culmen tenere, scireque vel idoneas Regulas præscribere, vel præscriptis legitimè uti: sed, è contrario, abuti eis plurimos, in quorum Criticis elucubrationibus, loco Criticæ, quam promittunt, satyras insperato invenias, atque immaturas dubiorum segetes, quæ cum in Criticorum campis enascantur, falce tamen Criticæ nunquam metuntur. Enimverò fidentissimè iterum iterumque inculcandum est, veram, perfectamque Criticam, hancque delicatissimam, subtilissimam, ac utilissimam, à Theologis esse meritò quærendam, nec timendum cum Criticis, ne frustra in iis quærat, in quibus non nisi rarò, ac difficillimè inveniri possit. Namque omnis Christiana ætas, utpotè Divino Christi Magisterio illustrata, fecundaque Spiritus Sancti Charismatibus, protulit Theologos absolutissimos, quibus qui negant exquisitissimam Criticam, necesse est, ut qualis, quantaque sit Theologia ignorant.

Theologia igitur, quæ in Positivam, Dogmaticam, Scholasticam, Moralem, ac Mysticam dividi potest, quamvis Moralis à pluribus soleat sub Scholastica satis rationabiliter in-

includi; Scientiarum omnium est & dignitate, & utilitate sublimissima, ac spiritali vitæ hominum prorsus necessaria, atque in singulis ejus membris exacta quædam Critica elucet. Positiva Scripturas Divinitus inspiratas profundè scrutatur, & quid Deus fideles suos docuerit, reverenti sollicitudine satagit investigare: nec Traditiones prætermittit, quarum fide Verbum Dei scriptum in multis clarescit. Hujus Theologiæ studio Veteres Ecclesiæ Patres mirabiliter excelluerunt; quibus, qui posteriores, & ætate, & auctoritate Scriptores, præferre conantur, intolerantissimè desipere meritò judicentur. Juniores quoque Theologi, eò meliores sunt censendi, quo propius accedere inveniuntur doctrinæ Veterum, magisque imitantur probatissimum illud exponendi genus, quod ipsis fuit quodammodo familiare ac proprium.

Hæc autem methodus Theologiam tradendi ex immediata Scripturarum lectione, mirificè, ac ferè unicè floruit, duravitque per septem prima Ecclesiæ sæcula: atque intra id temporis spatium posuit Deus in Ecclesia sua Doctores, Cyprianum, Irenæum, Justinum, Athanasium, Hilarium, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Cyrillum, Gregorium, aliosque sapientia, ac sanctimonia illustrissimos homines, quos verè dixeris, pro Apostolis Ecclesiæ natos, eodemque spi-

ritu eruditos, ditatos quoque copiosissimè opibus humanæ literaturæ, magno ingenio, indefessoque labore comparatæ, qua majorem si in aliis fortè reperias, ab illis desumptam fuisse non ambigas. Ipsi profectò sunt, qui, præter oris facilitatem, nitoremque sermonis, queis, velut extrinsecis ornamentis, fulserunt in domo Dei, venas, ac medullas cœlestium intravere dictorum, ac profunda, & abscondita sacramenta purissimo cordis oculo contemplati sunt, ut eisdem fermè verbis agebat Cassianus, *Collatione 14.*

Ab octavo sæculo, cum studiosis in promptu jam esset prisca Theologia Patrum, qua nihil excellentius, nihil acutius, nihil solidius, nihil luculentius, aut ornatius sperare, vel præsumptuosi auderent, Sapientes illius ætatis, memores sententiæ *Ecclesiastici*, qui cap. 8. inquit. [Ne despicias narrationem Præsbyterorum sapientium, & in proverbiiis eorum conversare, ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus:] coeperunt quærere, ac discere scientiam Sacræ Scripturæ, non tam in ipsismet Libris Sacris, quàm in Explanacionibus veterum Patrum; quorum sententiis, plusquàm proprio ingenio fidere se posse, ac debere, sobrio planè ac maturo judicio crediderunt. Non sic Pseudocritici, non sic, qui sæcularibus disciplinis, quibus etiam longè inferiores sunt, non solum Hieronymo, Augustino, Nazianzeno, Cyrillo, & Veteribus hujus

classis Doctoribus; verum etiam S. Isidoro nostro, Clemente Alexandrino, Arnobio, Lactantio, & Theodoro; sine causa tumentes, nihil ex Veterum doctrina recipere solent, nisi quod proprio sensu approbarint. Sed quanta fuerit semper in Ecclesia antiquorum Patrum autoritas, quantaque erga illorum scripta reverentia, id cum ex aliis, tum ex eo luculentissime intelligitur, quod vel ipsa Generalia Concilia in Spiritu Sancto legitime congregata, non prius in quavis fidei morumve quaestione sententiam tulerint, quam Sanctorum dogmata diligentissime investigarint. Id factum in Florentina Synodo ex ejusdem Actis plenissime constat; factumque olim fuisse in Synodo Aecumenica Ephesina, testatum fidelibus reliquit Vincentius Lirinensis, Gravissimus, ac Eloquentissimus illius temporis Author. Novit enim Ecclesia, quo spiritu profecerint, quos Fidei suae Testes, Magistrosve veneratur: novit eos depositum salutaris doctrinae fideliter custodisse; posterisque communicasse: quare recte, juxta Ecclesiastici monitum, cap. 12. [Numquam illam praeterit narratio Seniorum, quoniam ipsi didicerunt a patribus suis: sperans ab ipsis discere intellectum, ac in tempore necessitatis dare responsum.]

Igitur Ven. Beda ex Latinorum Doctorum Hier. August. Ambros. & Greg. collectis in pluribus sententiis Theologiam suam composuit: multa vero, quae de suo ad-

junxit, aequali ferè laude sunt digna. Rabanus haud multum Bedae dissimilis est. Theophylactus, Euthymius, & Oecumenius, doctos quidem in multis se exhibent; at primus Chrysostomi dicta ferè ubique compilavit; ceteri duo, & hujus, & aliorum Patrum sententias collegerunt. Id si Theodoretus egisset; & non potius Judaeorum insipidas opiniones sectatus esset, laudabilior utique haberetur; magis etiam Eruditis placeret, si minus concisè, ac jejunè omnigenae suae eruditionis dapes ministrasset. B. Albertus Mag. fertilis est copia rerum; atque cum primis Theologiae positivae Doctoribus suas sedes habere merentur Angelicus, ac Seraphicus, in quibus, & per quos Veteres, si non melius, apertius loquuntur.

ARTICULUS TERTIUS,

De diverso studiorum more, ac statu: deque Arabum Disciplinis, ex quo in Oriente, & Occidente coeperunt studia languescere.

P Honoratus de Sancta Maria, Carmelita Excalceatus, Scriptor modernus, ac cum pietate doctus, qui, Gallico idioma te, copiosè, ac solidè differit, de *Regulis, & usu Critices*, tomo 1. differt. 5. §. 2. notat, non uno eodemque modo traditam quavis aetate Divinae Scripturae explanationem, sed varia diversaque methodo, pro temporum, & personarum diversitate, ac rerum exigent-

genia. Undè in prioribus sæculis unice exquirebantur germani, ac legitimi sensus sacrorum librorum, secundum doctrinam ab Apostolis Apostolicisque Viris, per Traditionem, acceptam. Circa IV. sæculum, cum jam vera Fides falsas religiones magna ex parte debellaverat, uberiores in Scripturam Commentarios Ecclesiastici elucubrarunt, Canonesque, ac Regulas, pro faciliiori Scripturarum literali intelligentia, magis ex professo tradiderunt. In VIII. ac IX. sæculo, in quibus omnis penè literatura emarcuit, allegorica, moralisque Sacrae Paginae expositio præhistorica placere coepit. Circa sæculum XII. Methodica Theologia claruit, quæ subtiles, ad Fidei dogmata confirmanda, & dilucidanda, quæstiones excitavit, ac plurimo locorum communium usu explicuit. Subindè neglectui datum est Divinae Scripturae studium; nec plenè à torpore excitatum, nisi post ab Orco revocatas per Novatores pestiferas hæreses, quarum tabe integræ Europæ Nationes Fidei, qua Justus vivit, sunt mortuæ. Quoniam igitur hæretici nostri Catholicas traditiones, quibus perfacile redargui, convincique possent, vaferrimè contemnunt, & ad solius Verbi Dei scripti lectionem, fideles provocant; isti velut necessitate compulsi, intermissam diu Scripturarum lectionem avidissimè resumpserunt, sedulamque operam navarunt studio Hebraici Græcique Sermonis, quo facilius, feliciusque literales

sensus eruere possent. Indè brevi tempore plurimæ Sacri Textus prodire Versiones, ac tot scripturalia opera intra spatium 150. annorum, quæ Literarius Orbis minimè viderat, per quindecim anteriora sæcula.

Et hæc sanè à Religioso Critico satis sapienter scripta sunt; addendum tamen ex Etmulleri Physiolog. cap. 1. §. 2. etiam ante VIII. sæculum coepisse studia languescere: nam post devastatas Athenas, Alexandriam, & Tharsum post sæculum VI. & tempora Justiniani, omnes bonæ literæ, & cunctæ ferè liberales Artes in Oriente pariter ac Occidente concidere. Supervenerunt etiam frequentes Barbarorum in ea loca excursions, quæ studiosis voluntatem, vel opportunitatem saltem ediscendi arripuere. Nortmanni è Septentrionali Germania, ut nomen ipsum præsefert, & Armorico tractu, veluti armata furore bellico examina, prodeuntes, Gallias crudelissimè vexabant, deprædabanturque; Hispaniæ quoque Saracenorum numero obrutæ, profanae Gentis jugum, licet non adeo sævum, perpetuis bellis excutere adnitebantur. Interim Philosophia ociabatur, Rhetorica silebat, ipsaque Jurisprudencia, velut inutilis ab hominum contubernio exulabat, nam ab armis Jus omne pendebat. Latina insuper Lingua, qua unice scribere noverant, qui in Italia, Gallia, & Hispania scribere dedicerant, non Latii solummodo majestatem, ac pulchritudinem

amiserat, sed & rusticitatem quamdam ac barbariem induerat.

Enimvero eo ipso tempore, quo secularia præcipuè studia apud Christianos populos neglecta ubique fermè jacebant, Arabes, ac Persiani, Mahometi Sectatores, literis ardentissimè vacabant: ac præter Mulsumannos, qui, Scholastica quadam subtilitate, innumeras Theologicas quæstiones ventilabant de attributis, & perfectionibus Divinis, atque de prædestinatione, ac judicio finali; quique Alcorani leges, tam ad religionem, quam ad politiam spectantes, mutuis contentionibus, interpretabantur, erecta in (Bassora) Urbe Provinciæ Iracensis publica Schola, quæ per quatuor ferè sæcula apud Mahometanos fuit celeberrima: illi potissimum, qui Calivarum, seu Califarum imperio parebant, Græcicas artes ardentè excoluere: nam Califa Almamon, post initium noni sæculi, ab Imperatore Constantinopolitano petiit, & obtinuit meliores Græcæ sapientiæ libros, quos è Græca Lingua, quæ Arabibus velut inimica, semper fuit exosa, in Arabicum sermonem, à Judæis, & Christianis utriusque linguæ peritis, ac sibi temporaliter subjectis, traduci curavit.

Ceterum ex Græcorum libris Arabes poëtica omnia, in quibus idololatria largè propinatur, semper spreverunt, abominatique sunt; nefas enim putant vel nomina exprimere falsorum deorum;

ideoque in Arabicis libris, quorundam infinita quodammodo multitudo est, raro, aut nunquam invenies alicujus vani numinis nomen. Et ipsi quidem Arabes Poëticam in usu habuerunt; sed non illam, quæ in imitatione posita est, aptaque passiones movere; verum quæ animi cogitationes liberè, ac delectabiliter exprimit. Indè pulchriores linguæ phrasés trahebant. Pictura, & Sculptura, Imagines, Judæorum more, abominantibus, non nisi modici poterant esse usus: parum etiam utilitatis sperabant ex Rhetorica, & Politica, homines servituti addicti, quique solo Principis arbitrio reguntur. Talibus non tam eloquentia, quam belluina quadam obedientia, utilis esse solet, ac propemodum necessaria; ea insuper politica familiaris, qua Tyrannorum absoluto à Legibus imperio placere utcumque possent. Antiquæ Historiæ, quam ipsi Græci, non nisi serò, parumque fideliter posteris tradiderunt, nulla, apud Arabes, cura fuit. Heroës, ac Semideos Græcorum, delirantium phantasmata rectè credebant; tamen diligentissimè observabant Mahometi Epocham, gesta que suorum. Mathematicas avidissimè sunt amplexati; atque in eis non prorsus infructuosè laborarunt. Undè Algebra, & nota illa, quam zero vocamus, ipsis debentur. In mensurandis Terrarum intervallis Astronomiæ opera usi sunt: an verò feliciter? Quamvis affirmant Geographi hac nostra ætate celebres,

brēs, alii tamen non exigui nominis constanter negant, contenduntque breviores esse mensuras, media Eclipsium observatione deprehensas. Astronomiam in deliciis habuit ipse Califa Almamon, cujus industria, ac studio calculatæ fuere Tabulæ Astronomicæ, præteritis temporibus celeberrimæ. Astrologiæ judicariæ vanas prædictiones Arabes præcipuè secrabantur, quibus iniquo vinculo copulabant Magicas superstitiones, curiosis abque vera scientia hominibus valde familiares.

Aristotelis Dialecticam, Metaphysicam, ac Physicam, quam Neotericis vocant generalem, Hispania ab Arabibus didicit, successiveque tradidit Gallis, cæterisque Europæ Gentibus, quæ vix unquam vel nomen hujus Philosophi audiverant; cum Veteres Ecclesiæ Patres, priscique Ecclesiastici Scriptores Peripateticam Philosophiam neglectam habuerint.

ARTICULUS QUARTUS.

De discrimine inter Platonis, & Aristotelis Philosophias: ubi multis ostenditur, rationabiliter Aristotelicam fuisse à Scolasticis Platonicæ prælatam.

ERuditissimus Claudius Florus Floridus seu Fleurius, vulgò Fleury in suo aureo Opusculo *Studiolorum*, Gallico, ac Italico idiomate, Typis edito, in quo Platonis eximium agit Encomiasten, ejus Philosophiam mirificè com-

mendans, rationem assignat, ob quam Arabes Aristotelem potius, quam Præceptorem ejus Platonem, declarandum, sectandumque susceperint; inquit enim, quod, cum Plato eloquentia, ac politica plurimum excelluerit, ejusdemque Dialogi non satis intelligi possint, nisi prævia lectione Græcorum poetarum, qui de religione, ac historia scripserunt: hujus doctrina conveniens non fuit hominibus, qui, uti & nos superius dicebamus, eloquentiam, ac politicam negligebant, Græcæque poemata vel legere recusabant. Nec levem dixerim authoratam à tanto Virò suspicionem: si tamen liceat & mihi in re adeò incerta suspicari, nec ineptis uti conjecturis, dicam, potuisse Arabes Aristotelem Platoni præferre, ductos eisdemmet rationibus, quibus moti sunt innumerabiles omnium Gentium sapientes, ad amplectendam Aristotelicam Philosophiam, eamque Platonicis, sive potius Socraticis Dialogis præferendam: est enim verisimile, vel ex contentis in ipsis Dialogis, doctrinam inibi traditam Platonem scriptitasse, sed Socratem docuisse. Nec fortasse diffitebitur ipse eruditissimus Author, qui Socratem appellat, maximum extra Religionem sapientia Virum: tanti enim elogii meritum colligit ex ipsa doctrina, quæ vulgò dicitur Platonis: non esset autem legitima collectio, nisi ea doctrina re vera Socratis esset: quod enim Socrates à Platone sapientissimè loquens

inducatur, juxta consuetudinem Dialogorum; nisi supponatur loqui ex propriis, uti de suo Adeo dato testatus est S. Augustinus, ineptissimum esset medium ad probandum, Socratem fuisse totius Gentilitatis sapientissimum. Minori sanè elogio Socratem laudavit Oraculum, à quo, si Ciceroni credere hoc licet, totius Græciæ sapientissimus est renuntiatus. Non ergo Oraculi sententiæ repugnat, quod apud Sinas, Indosvè Socrate Sapientiores floruerint; id verò apertè pugnat cum opinione, quam de suo Platone doctissimus Author habet.

Sed Socratem Platonicis laudandum liberè relinquamus: certè in Tulliano ore lib. 1. *Acad. quest.* num. 4. Patronum nactus est eloquentissimum, qui ejus Philosophiam è Coelo allatam prædicat: at inquit quidem, non probat; fortè tamen id per traditionem ab ipso Socrate acceperit, qui cum plenus esset ea scientia, quæ, juxta Apostolum, inflat, solebat passim sua ubique extollere, aliena carpere; quod laudatus Scriptor optimè animadvertit. Hoc certè exploratissimum, mortalium ferè neminem æquè ac Platonem apud Grammaticos & Philosophos præsertim Veteres laudatum. Ipse enim *Sapientia Antistes* Plinio dicitur: Plutarcho *Philosophorum Homerus*: *Vix non Christianus* Marsilio Ficino: Ciceroni *Princeps ingenii & doctrina, cum quo errandum potius, quam cum aliis rectè sentiendum*; *Orator summus, vel*

cum Oratores irridet; admirandus, omnibus anteponendus, unus præcunctis maxime diligendus; non Lingua solum, sed etiam animi ac virtutis Magister; Divinissimus, imò quasi quidam Philosophorum Deus; ut prætereamus alia non quidem majora, sed fusiora elogia, non tam justa, quam liberali mensura de tanto Viro literis disseminata. Neque enim sollicitos nos nimium esse oportet de hyperbolicis hujusmodi laudationibus, quibus magis exprimitur laudantis affectus, quam meritum illius, qui laudatur. Modò videamus, utrum rationabiliter Scholastici nostri, sicut olim Arabes, Platonicam Philosophiam posthabuerint, Aristotelicam prætulerint. Et, ut rem æquo judicio, semotis præjudiciis universis, examinemus, concedamus, Platonem in Dialogis suis, non id egisse, quod fecisse narratur illum Atheniensem Calceolarium, qui cum Socratis discursus, sæpè in ejus officina philosophantis, memoria excepisset, illos postea literis exaravit, ac Socraticos Dialogos posteris reliquit. Calceolarium hunc Diogenes Laërtius numerat inter Philosophos. Idem Author Platonis vitam conscripsit, atque in ea summum Philosophum delineavit. Talem & Platonem fuisse credamus; at opera perscrutemur.

In primis Platonem, inter cæteros sæculi sapientes, minus procul Christianam veritatem aspexisse, cum S. Augustinus asseruerit lib. 8. *De Civ. Dei, cap. 4.* locupletissimo

id teste firmatum est. Quod plerique tribuunt lectioni Sacrorum Librorum, quos Plato evoluisse creditur in Ægypto, dum ibi Gymnotophistas seu Hierophantas audiendi gratia immoraretur. In Italia quoque Pythagoræorum fuit auditor; ac libros Philolai Crotoniatae de Secta Pythagoræa, qui plura ex Mosaicis continebant, centum minis mercatus est. Inde multa transtulit in suum *Timæum*. Unde Leo Hebræus non dubitavit Platonem appellare *Sacrae Historiæ Interpretem*: quamvis melius forsitan furem corruptoremque dixisset. Non ergo mirum, si Plato, autoritate Mosaicæ Historiæ, sanas opiniones habuerit de rerum initio, ac de Divina erga res creatas providentia, deque ultimo fine hominis, in quibus Aristoteles naturalis luminis defectibili ductu aberrasse passim creditur. In his recta ratione, ac fide, errantem Philosophum facile emendamus: istis quoque expunctis, Philosophum adhuc in Aristotele habemus, qui, Philologiæ optimis Regulis præmissis, disceptatricem Dialecticam mille artificiis differentem, subtilissimè, ac plenissimè tradit: qui Metaphysicam mirabili quadam à materia perpetua abstractione docet: qui de principiis, & causis rerum, si non verè, probabilius saltim, ac plenius, quàm Veteres omnes, differit: qui de Physicis, tam in generali, quàm in particulari, tot naturæ arcana, secretaque pandit, quot universa Paganorum Philosophia vix un-

quàm referata viderit: qui de motibus, de affectibus, de passionibus, de vitiis, &, quod meta est, de virtutibus, tam ad privatam, quàm ad familiarem, civilemque vitam pertinentibus, tam luculenter, & copiosè; tamque aptè, & subtiliter, definiendo, dividendoque edisserit, ut humana ratio, nisi fidei lumine elevata, non ultra progredi posse videatur. Mitto, quod de Corporibus Coelestibus, de meteoricis impressionibus, ac de triplici genere viventium tam locuples Scriptor est, ut qui in his explicandis sapientissimi habiti sunt, Stagiritæ opibus ditescere abundè potuerint. Stylus porro, quo Aristoteles in suis libris usus est, quamvis Rhetoricis pigmentis non penitus destituatur; unde Cicero ipse ad *Attic.* (Aristotelica pigmenta) nominat; non ille est Oratorius, aut poëticus, qui affectus leniter demulcet, excitat, commovet; sed qui simpliciter, ordinatè, & apertè veritatem proponit, ac vi quadam argumentorum, intellectum adigit ad assentiendum. Hujusmodi stylus, qui Geometricus vulgò appellatur, quoniam eo Geometræ utuntur, optimus est, atque gravissimus, adhibitusque ab Aristotele tanta vi, ac proprietate; ut apud Tullium in lib. *De Orat.* (Aristotelea vis) pro verbi loco, pro maxima Orationis energia, rectè usurpetur. Eodem Arabes stylo semper delectatos, studiorum Author fatetur; nec abnuat, eo quoque usos posterioribus sæculis Scholasticos, qui

viâ, arte, ac ratione Disciplinas tradidere.

Neque abnuimus, Tullium Platoni suo semper Aristotelem postposuisse, quamvis *Academ.* lib. 2. fateatur, *nihil* *Stagirite acutius, nihil politius.* Sed Plato ipse, ap. Cæl. Rhodig. Aristotelem & *Mentem, & Intellectum, & Veritatis Philosophum* appellare consuevit. Mirum autem non est, tantum sibi Tullium placuisse in Eloquentia Platonis, cum uterque tardiloquus fuerit & gradarius, quod de Cicerone Seneca disertè scripsit. Neque ob aliam causam, opinor, *Platonis Socius* à Seniore Plinio Cicerone nominatus.

Jam verò quanta Platoni deficiant pro munere Magisterii, quò plurium sæculorum sapientia Aristotelem decoravit, paucis, sed efficacibus argumentis monstrare oportet. Et imprimis Platonis opera, vel ordine carent, vel non nisi difficillimè ordinari possunt: quod facile quisque deprehendet, collatis inter se Marisilii Ficini, ac Joannis Serrani interpretationibus. Stylus, ut plurimum, Oratoris potius, quàm Præceptoris Philosophi est, obscurus, figuratus, circumlocutionibus, ac digressionibus plenus, imò ultrà modum allegoriis refertissimus. Artis Regulis licèt optimè, ut id quoque invidia demus, utatur, non eas tradit, uti solent, ac debent Præceptores. Methodus, quâ veritatem quærere affectat, plerumque est ambagiosa; nec nisi, per plurimos verborum circuitus, ad eam

legentem perducit; qui longò orationis fatigatus anfractu, vix dulcedinem capit ex ipso veritatis amplexu. Mysteria affatim eloquitur, quod Philosophum non satis decet, valdèque alienum est ab officio Præceptoris: quare ejus Discipuli vel Magistri dogmata minimè intelligere potuere, vel solum didicere ab ipso uti peculiariora, paradoxa multa, pluresque improbabilis sententias, quibus turpissimè foedata est Platoniorum schola; cujus studio Romæ potissimum incumbere cœpit sub Adriano Imperatore: prævaluit autem sub Antoninis. Eadem infestissima fuit Christianæ Religionis; atque, non sinè fundamento, quas hæc perpeffa est à paganis, persecutiones, illius affectis tribuuntur: Platonicis enim Idololatriæ, cui fides Christi implacabile bellum indixerat, acerrimi propugnatores erant; non quòd plura esse numina velut certâ fide crederent, cum omnem ab humana cognitione arcerent certitudinem; sed quòd putarent omnia in mundo esse verosimilia; nihilque proinde impugnandum tamquam certò erroneum; aut sicut necessario verum amplectendum. Plato verò, non ista velut obliquâ viâ Idololatriam sustinuit, sed eam apertissimè in (*Epinomide*) docuit, jubens astra ut deos cœlestes à nobis venerari, & coli. En Philosophiam è cœlis à Divino Platone allatam; vel allatam potius à Socrate ad eruditionem illius præexcelsi Platonis, qui cum natus fuerit Athenis

nia eò die, quò apud Delon Apollon, quâ forte divinitatem adeptus est, non tantum apud superstiosam Magorum turbam, qui ei defuncto, ut Deo immolayerunt; verum etiam, quod vehementer miror, apud summum latinæ Majestatis præconem, qui cum ubique Platonice sapientiæ buccinator extiterit, ipsum tandem deum appellavit in lib. *Tusc. quæst.* fortasse Tullius crediderit eâ arte apud posteros divinos sibi honores promereri, cum viderent celebrem eloquentiâ hominem deum appellari. Tamen Antistius, cognomento labeo ob magnitudinem laborum, insignis ap. Gell. lib. 13. cap. 10. Jurisconsultus, non deum, sed semideum Platonem dicere maluit. Atque illum, forsitan melius, semidiabolum appellavisset; namque ei Diabolum dogmata sua inspirasse, S. Joan. Chrysostomus in *Præf. super Matthæum*, non solum disertè affirmat, sed & validissimis rationibus probat. Dignus sanè vel ob hoc unum Socratis auditor, & imitator; nam & Magister Dæmonem se habere dicebat, qui sibi futura prædicet.

Sed aliquid magis in particulari vel brevissimè attingamus de Platonis, Socratisve Operibus. Dialectica, quam Plato variis in locis, præcipuè verò in (*Theæteto*) & in (*Sophista*) tradit, haud exigui momenti Tractatus ab Eruditis meritò creditur: nam interdum logices Regulas præscribit, exactèque docet modos dividendi, de-

finiendique: statum quoque quæstionis perspicuè, ac sine verborum superfluitate exponit; necnon quæsitis satis concisè, proprièque satisfacit. Ceterum, nec Dialecticæ integrum corpus in Platone invenitur; ea etiam quæ Logisticæ artis sparsim in illo leguntur, ad usum potius, quàm ad præceptorum explanationem pertinere facile dignoscitur: nam ubique scriptor iste varius, ac multiplex est, nec se finit unius argumenti limitibus coarctari. Quapropter diligentiores ejusdem Interpretes vix magnò labore internoscere potuere, quale sit præcipuum argumentum singulorum Dialogorum; ac unus propterea Dialecticæ adscribit, quos alter inter Moraliâ, vel Politicâ reponit. In vocularum etiam, ac terminerum explicacione, quorum significationem non nisi Idiotæ potuerint ignorare, legentes diutiùs, & ad fastidium usque moratur: cumque, juxtà Zenonis celeberrimum effarum ap. Cicer. lib. 2. *De fin.* Philosophi proprium sit pugnò loqui, Rhetoris palmâ; quod iste latius, ille verò compressius loquatur: Plato tamen noluit hac se lege teneri; sed maluit ubilibet rhetoricari, hoc est, non tam philosophicè, & enucleatè, quàm rhetoricè, & ornatè differere: proindeque non Dialecticum, sed Oratorem agere: licet enim utraque ista Ars in eodem genere sit, & circa eandem materiam versetur: tamen una ab alia penès diversum dicendi, ac differendi modum distinguitur: quod

quod ante Platonem, ac Socratem observavit Zeno ille Eleares, cui Dialecticæ, ac Dialogorum inventionem Aristoteles tribuit. Quo in loco non satis calleo mentem Doc-tissimi Methodi studiorum Autho-ris, qui, cum inventæ Logices lau-dem Platoni, sive Socrati adscri-bar, silentiò premens testimonium Aristotelis, Dialecticam definit per hoc, quod sit (Ars quærendi veritatem mediâ familiari duo-rum, vel plurium conversatione.) Quod ideo dixisse videtur, quod Platonis Logicam talem esse com-pererit. Si ergo Plato aliter, quam Dialogorum more scripsisset, Dia-lecticam propriè dictam minimè tractasset? Quid sibi autem hoc ve-dit, fateor, me nullatenus perci-pere: præsertim cum videam, Dia-logorum usum non ita esse Dialecticæ proprium, ut minimè com-petât & Poeticæ, & Oratoriæ, ac quibuslibet cujusvis generis Disci-plinis: nam de omnibus in priva-tis colloquiis disceptari, æquè ac in Logica, optimè potest. Est igitur omnino extra Logices natu-ram, quod privatò potius, quam publicò stylo tradatur, quamvis unus stylus magis quam alius do-cendi muneri melius interdum a-daptetur; quod ex vario hominum genio, & ingenio potissimum pen-dere, nullò autem ferè modò ex hujus, vel illius scientiæ natura ac indole, non insipienter forsitan, affirmabis.

de Illud potius Logicæ velut in-trinsecum arbitror ex Boetio in *Comment. Topic.* quod peritiam

contineat, non quærendi solùm, sed & inveniendi, & judicandi ve-ritatem: & tamen Platonica Dia-lectica cum quærendæ veritatis studium magnoperè commendet, tamen de veri inventionem videtur prorsus desperare, ac iudicium, quo veritati assensus præbeatur, omnino cohibere. Unde Plato sæ-pè plurimis in locis, præsertim verò in (Menone) in (Carmide) & in (Lachete) semper quærit, nec aliquid unquam concludit: inde-que ortum est, quod Academici Platonis Discipuli, cum perpetui essent investigatores veritatis, so-lum possessores crederentur verifi-militudinis. Et quidem, licet Pla-to, non in quodam profundissimo naturæ puteo latere veritatem di-xerit, quod dixisse fertur Demo-critum, propter perpetuum risum cognomento Gelasium: tamen extra mortales degere arbitratus est; nec in isto visibili mundo, sed in alio, quem appellat intelligibi-lem, conspiciendam se præbere. Mirabile sanè dictu est, quod am-bo isti Philosophi sapientissimi fuère sine affecutione veritatis, id est, quia aliquid certò sciverint. At similia paradoxa passim vendi-tat Pagana sapientia: dolendum, quod non rarò incautè emantur à Philosophia Christianorum.

Sed veniamus ad Metaphysicam Platonis, à qua tamen nos brevi-ter ad alia transibimus; namque hæc scientia in ipso brevissima est, & vix aliquid, nisi nimium fallor, continet, quod eò nomine dignum sit. In *Phædro* Veteres partem ethi-

ethicæ Platonicae agnovere, contra quorum opinionem Serranus, nescio cuius naturæ Metaphysicam invenit: reverâ autem in illo Dialogo, sicut & in fere omnibus, Moralis Philosophi personam agit Plato, qui tamen ibi de Rhetorica Tractatum componere videtur. Solùm in (Parmenide) imago quædam Metaphysicæ adumbratur, quæ verius umbrâ, quam luce perfunditur, ac circumvolvitur; namque tota novorum terminorum caligine obregitur. Quamobrem ex Platonica Metaphysica vix aliquid utilitatis hominum studia hæcenus collegisse, nec qui nimium Platoni deferunt, negare solent: nihil verò legentibus persuaderent, tametsi negarent: quippe non modo inutilis, sed & perniciofa merito est dicenda: astruit enim quasdam rerum ideas, species, seu formas ingenitas, æternasque; atque eas primas rerum species, & inchoatas intelligentias vocat, quæ cum semper sint, ratione, ac intelligentiâ contineantur. Et verè ex hoc turbido Metaphysices fonte, qui sine fidei face, bibere voluere, non aquâ salutaris doctrinæ, sed venenô erroris potati sunt: nam indè Platonici hauserunt illas immortales ideas à Deo separatas, quæ extra Deum, aliquid Divinum sint, cum præcipuis Divinitatis dotibus perfruantur. Quod si nolis Platonis intentioni adscribere chimæricas hæc ideas, ab ejus sectatoribus perperam delineatas: agnoscas saltem, necesse est, in Platonem tenebri-

cosum Magistrum, qui homines doceat, non scire, sed desipere, aut delirare, dum illis præcipit, ut, præter omnes homines, intelligent quemdam hominem, & præter omnes equos, equum; & præter animalia omnia, animal aliud ingenitum, æternum, & intelligibile, ac immutabile. Si per unum tale animal à Platone tam insolitò verborum ambitu definitum, non nisi Divina mens significetur, in qua velut in summi opificis idea, omnium rerum exemplar contineatur: malè utique disertissimus Philosophus declaravit, quod benè cognovit: æquali quoque obscuritate ab eodem frequenter repetitur, objectum veræ scientiæ non esse res visibiles, ac mortales; sed harum rerum ideas, & exemplaria ingenita, æterna, & immutabilia; quæ si indistincta à Deo vero astruat, eò ipsò scientias omnes, præter unam Theologiam, cujus Deus objectum est, à mundo relegat: si autem distincta autumet, & minores quosdam deos, quales Plato in orbem invenit, supremi Dei adiutores appellet; nam & istis secundis diis demandatum, dicit in *Timæo*, à primo & summo Deo animalium opificium: novâ planè, ac verè Platonica divisione secunda erit Theologia in primam, & secundam: & prima quidem dicetur, cujus objectum Deus primus est; secunda verò, quæ de diis secundis agit; atque ex hac duplici Theologia, una quidem erit vera, ac Christiana; altera verò Pagana, & Platonica.

Nec

Nec meliora dicere jure possumus de Physica Platonis, cujus ipse nobis ideam in (Timæo) præfertim exhibuit; nam quæ in (Critia) tradit, majori ex parte historica sunt, ac fabulosa. Ideâ verò hujusmodi est. Primò, mundum fuisse creatum ex materia æterna, & ingenita, quæ cognosci solum possit cognitione spuria, & adulterina. II. mundum ipsum nunquam esse interituum. III. Animas rationales, aut esse æternas, aut, si in tempore supponantur productæ, Dæmonum ministeriò omnes simul creatas. IV. Omnem humanam cognitionem esse reminiscentiam, quâ homines res antè cognitâ iterum in mentem revocant. V. dari Animarum de corpore in corpus transmigrationem. VI. à principio fuisse tria hominum genera, scilicet, marem, & foeminam, ac tertiam utriusque particeps. VII. homines sæculò aureò solitos sermocinari cum bestiis, quod de hominibus tempore Saturni affirmat Plato in (Politico) idque tribuit maximæ virtuti, quâ tunc pollebant, ut non cum hominibus solum, verumetiam cum bestiis oratione uti possent, uti loquitur ap. Euseb. lib. 12. *De Prepar. Evang.* cap. 9. VIII. dari intelligentias cœlestes, ac terrenas, quò nomine, non Angelos, sed deos quosdam intellexit: nec mireris; nam & Astra deos asseruit. Missa facio quàm plura alia vanissima figmenta, quorum qui famam significationem invenire fatagunt, somnia interpretari mihi

videntur. Socratem Physicam naturalem contempsisse, à plerisque perhibetur: quare Plato non ab illo accepit, quæ de physicâ scripsit; sed potius à Pythagoricis, quibus familiare fuit, maximam numeris vim adscribere, quam & Plato ipse agnoscit, multa de mysteriis numerorum edifferens: constat etiam, ipsum Pythagoræ Philosophiam, satis de se obscuram, obscuriorem reddidisse, nec eam ulla ex parte illustrasse. Circa Plantarum naturam singularis quoque fuit cogitatio Platonis, qui stirpes esse Animalia motu, ac sensu prædita asseruit, ut laudando Authorem tam rectæ cogitationis Galenus testatur in fragm. *De substant. nat. facult.* Modò hæc opinio iterum ætate nostrâ placere cœpit; atque eam propugnavit Author libri Francofurti typis editi, & à S. Fidei Inquisit. Hisp. proscripti, sub nomine Fr. Thomæ Campanellæ, Ordinis S. Dominici, ex Calabria.

Risu porrò dignum est, mortaliū, ut volunt, Sapientissimum audire in *Menexeno* seu *Epitaphio* ita differentem: [Alterâ ejus (terre Atticæ) laus erit, quod eò tempore, quò tellus omnis animalia omnigena producebat, feras & armenta, terra dumtaxat nostra adhæc sterilis erat, agrestibusque animalibus vacua, propriè verò ex omnibus animantibus hominem genuit, qui ceteris intelligentiâ præstat, solusque Jus ac Deos colit.] Non debuit quidem Philosophus, qui non ut cæteri animus erat,

erāt, sed intellectus, cum Ægyptiorum Græcorumque vulgo, aut cum Barbaris Algalazele, & Avicenna desipere, & genus hominum fungos putare spontè è terra nascentes: & quatenus tam absurdo errore fuisset imbutus, nec illum deponere scivisset, minus debuit, uni Atticæ telluri tam incredibilem foecunditatem tribuere, hæc scilicet, futilissimâ ductus ratione: [Nam & sola, inquit, & prima tunc *alimentum humanum* produxit, tritici hordeique fruges, quibus commodissimè genus hominum alitur, utpotè quæ verè animal id produxerit.] Quàm verò sapientius Aristoteles in *Question. natur.* ex aliorum mente hæc retulit, sua verò sententiâ minimè confirmavit? Porro delirum hominem loqui existimes, cum in *Timæo* Platonem audis de generatione foeminæ differentem, & impura Deorum machinamenta commemorantem. Ibidem partes generationi deservientes quædam esse animalia fingit, violenta & imperiosa, quæ cuncta sibi subicere conantur.

Hoc unum sine contentione Platoni tribuendum, optima nimirum posuisse Ethices fundamenta, ac pulcherrima præcepta dedisse circa Politicam; nisi, quod nonnulla tradidit, quæ, cum usu sparthanorum, aliorumque Græciæ populorum utcumque probarentur, tamen rectâ ratione probari nequaquam possunt. In Reipublicæ quoque institutionibus ideam Docti inveniunt Politici regiminis,

quod nulla gens reducere possit ad praxim: id verò maximum esse legislatoris vitium, quis ambigat, cum præcepta Politices, quæ communitati ad vitam probè instituentiam, feruntur, non possibilia tantum, sed & facilia esse debeant? Illud etiam, quod de uxorum, præcipuè apud nobiles, communiōe, Plato excogitavit, Authorem indicat parum instructum in materiâ morum, imò turpissimè à communi hominum dictamine aberrantem. Mendacium quoque tamquam rem *spicius* utilem, nec inhonestam Reipublicæ suæ permisit. Denique, etsi Politica, sicut & Ethica Platonis, in multis mirabilis sit, nulla hæctenus Reipublica noscitur in mundo instituta, ad Platonicæ Reipublicæ normam: ergo mirari multò minus debemus, si neglectam in mundo videamus ejus rationalem, naturalemque Philosophiam, in qua stylus ineptitudine laborat, ac obscuritate; ordo frequentissimâ synchysi, seu perturbatione: in quaque, cum plurima contineantur evidenter falsa, absurda, & superstitiosa; vix pauca quædam sunt, præsertim in Metaphysicâ, & Physicâ, quibus etiam plenissimè notis, possit homo in his scientijs vel mediocriter instructus evadere. Et Physica quidem perfectior prodire à Platone nequivit, qui flocci pendens fructus naturalis speculationis, non solum Anatomes fuit ignorantissimus, verum etiam Orbis structuram, ac terræ situm, naturasque elemen-

spicius

flocci

torum perversè mente cogitavit, planèque insipientèr explicuit: atque hinc ridicula profectò est Platonica Cosmographia, in qua exigua Terrarum spatia homines occupant, & majori ex parte in aère, ac supra nubes inhabitant: quod magis mirandum est dixisse Philosophum, qui non, sicut Diogenes, dolio inclusus vixit, sed varias Regiones ad Disciplinas capeffendas perambulavit.

ARTICULUS QUINTUS.

*De Arte Medica per Arabes restab-
lita, restauratione Studiorum, ac
fundatione Scholarum.*

CUM cæteris liberalium Artium studiis vix non funditus periit apud Græcos pariter & Latinos studium scientiæ Medicæ, quæ mortalium præsidium est. Eam Græci Artem mirificè colere, ope præcipuè excellentissimi Medici Hippocratis, ejus libri tanquam Divino emanaverint ore, ubique celebrantur. Ceterum Latini, aliarum Artium egregii cultores, Medicinam, quæ Ars maxime salutaris est, diu neglectam habuerunt: eam enim unam Græcarum artium non exercuisse Romanam gravitatem, testis est Plinius lib. 29. cap. 1. Successu temporis Roma ipsa honorificum Medicinæ tribuit domicilium; nam si vera sunt, quæ Eruditiss. Daniel Clerc part. 3. lib. 2. cap. 1. colligit, Palatinæ Scholæ ab Augusto in Apollinis Templo erectæ, in qua &

Doctorum libros Imperator concervavit, Medici custodes fuere: quinimò Hieronymus Mercurialis, *De Arte gymnast.* lib. 1. cap. 7. Extra Palatinam aliam Medicorum Scholam Romæ agnoscit, in qua quid potissimum fieret, fatetur, se nondum apud quemquam legisse: tamen suspicatur Scholæ illius studia simillima fuisse Literatorum exercitiis, quæ hæc nostra ætate vigent in particularibus Collegiis. Quæ suspicio circa genus studiorum posset utcumque tolerari, si non ipsa Scholæ existentia, mera quoque suspicio esset. Illud potius probabiliter dictum existimo à Diod. Siculo lib. 1. Bibliot. Artem Medicam paucorum olim hominum fuisse, imò (certarum Familiarum) in quibus velut hæreditario jure, ac successiva traditione conservabatur peritia experimentalis medicamentorum. Unde legitur Æsculapii filios Podalirium, & Machaonem Medicos quoque fuisse, secutosque ad Trojanum bellum Agamemnonem, ubi comilitonibus non mediocrem operam arte Medica attulere: Thessalum etiam, ac Draconem filios Hippocratis, paterna arte excelluisse.

Præterea quod de Archiatrorum Collegio, post tempora Constantini M. Romæ fundato, quidam dicunt, ejus nempe directione Medicorum Scholam melius regulatam, quo fundamento dictum fuerit, me penitus latet: unde vereor, ne tam arbitrariè asseratur Collegium regulans, quam Schola ipsa regulanda. Nec sanè infior

cior circa id tempus Archiatrorum, seu clarissimorum Artis Medicæ Principum Collegium, sive quamdam societatem extitisse: hoc enim satis confirmatur gravi testimonio Casiodori, qui lib. 6. *Variar.* de Archiatrorum Præsule expressam mentionem facit: nec iste Author, qui VI. sæculo floruit, Archiatrorum meminit, tamquam rei novæ, recensque fundatæ, sed perantiquæ, omnibusque notæ. Id verò mihi neutiquam probatur, videlicet, quòd Medicorum Schola nullo Authore extracta, dicatur regulata à Collegio, quod nullam jurisdictionem habuisse comperitur, & cui jus dicebat Comes Archiatrorum. Hic, teste Vindiciano, Judex erat disputationum inter Medicos, qui fortè extra Collegium nulli Romæ erant. Quod enim modò Collegiati alii, alii extravagantes Medici reperiantur, id non Romanæ, sed modernæ consuetudinis est. Idem Casiodorus *formula* 19. Imperatoriam Creationem Præsulis Archiatrorum sequentibus verbis adducit: (Habeant igitur Præsulem, quibus nostram committimus sospitatem. Qua propter à præsentis tempore Comitivo Archiatrorum te honore decoramus, ut inter salutis Magistros solus habeatis exitum, & omnes iudicio tuo cedant, qui se ambitu mutua contentionis excruciant. Esto Arbitrarius Artis egregiæ, eorumque distincte conflictus, quos iudicare solus solebat affectus.)

Enimverò licet omnibus iis Ar-

tibus, quæ in veri investigatione versantur, dignis Roma conatibus incubuerit, una tamen Medicinæ laude vix olim refulsit: imò cum cæterarum bonarum Artium monumenta quam plurima, eaque egregia posteritati reliquerit, vix unum, vel alterum Medicinæ opus superest Romana sapientia dignum. Nec illud Archiatrorum præclarissimum fama Collegium propriæ peritiæ vestigia memoriæ impressit: nullas quippè Archiatrorum elucubrationes extare, satis mihi compertum dixerim. Undè non tam à Latinis, quam à Græcis eadem Ars ad Arabes pertransiit, ac penes ipsos præcipuè floruit usque ad sæculum XII. Judæi quoque Arabibus ubique mixti, aliqualem Medicinæ operam dedere, adhucque in aliquibus locis, præcipuè verò in Regno Poloniæ, permittuntur eo munere perfungi.

Interea Ecclesiastici, maximè verò Monachi, qui numquam ab oratione, ac studio spiritum penitus relaxarunt, ut periclitanti hominum saluti succurrere etiam corporalibus medicamentis, quodammodo possent, peregrinantiem scientiam charitativo in suis Monasteriis hospitio recepere; tandem authorata necessario usu consuetudo prævaluit, ut Monachi, & ipsi Episcopi cum Animarum sollicitudine Pastoralis infirmantium corporum medelam conjungerent. Undè in Gallia Fulbertus Carnotensis Episcopus, ac Magister Sententiarum Parisiensium Antistes, non studio solum, sed & practica

Me-

Medicinæ claruerè , cùm jam exules per aliquot sæcula scientiæ in Patriam redirent. Obizus etiam Ordinis S. Victoris Religiosus, Ludovici Regis cognomento Pinguis, Medicum egit ; atque Rigordus ille S. Dionysii Monachus, qui Philippi Augusti res gestas conscripsit, Medicinam practicam æqua laude coluit. In Italia Salernitana Schola, quæ vetustate cæteris omnibus antecellit, si illas demas, quas Arabes in Asia, Africa, & Hispania fundarunt, Cassinensibus immortalis famæ Monachis debetur, ac potissimum Constantino Monacho, qui ann. 1060. Abbati suo Desiderio sua Medica studia literis exarata dicavit. Zachar. Sylv. in *Pref. Scholæ Salernit.* cap. 3. studium Medicinæ in ea Urbe viguisse scribit, cùm Bonifacius VII. Romanus Pontifex Metropolitanam Ecclesiam ibidem erexit ann. 974. Illud sanè exploratum, quòd cùm Robertus Dux Nortmannorum è Palæstina in Angliam reverteretur accipere sibi Regnum Guillelmi fratris absque liberis defuncti, Johannes quidam Mediolanensis Instituti Medicinalis Doctor Egregius, postquam laborantem fistulato vulnere Principem fœliciter curavit, nomine Salernitani studii tractatum illum composuit, qui triplici titulo inscribitur ; nam in novissimis editionibus titulus libri est : (Schola Salernitana, sive de conservanda valetudine) In vetustioribus : (Regimen sanitatis Salerni) In M. M. S. S. verò : (Flos Medicinæ) ut

benè observat Clarissimus Philosophiæ, Medicinæque Professor Bartholomæus Curtius, mihi quondam Mediolani ægrotanti sua scientia utilissimus, in opere suo historico, Italica lingua edito, virorum in Insubria Medicinæ laude illustrium. Supradictus autem Salernitani studii tractatus ideò metricè fuit compositus, quoniam cùm per id tempus ea Civitas Nortmannorum esset colonia, notum illic erat hominum istorum genium, apud quos nihil penitus æterna memoria dignum literis consignabatur, nisi eo Carminis genere, illis Gentibus familiarissimo, ac jucundissimo.

Circa medium XII. sæculi, Neapoli simile, ac in Salerno, Collegium Medicinæ vigeat ; nam Federicus vulgò Barbarossa postquam Neapolitanum Regnum occupavit, lege lata sancivit : (Ne quis ad faciendam Medicinam admitteretur, nisi à Medicis Collegii Salerni, aut Neapolitani probatus, ac consecutus esset potestatem mædendi, quàm licentiam vocant : sub poena carceris annui, & proscriptionis omnium fortunarum.) Quo Imperiali decreto majus robur accepit simile Edictum à Roggerio Rege Siciliae, ac Salerni Principe ante 50. an. promulgatum. Quamvis reverà Roggerius nihil in sua lege de Salerno specialiter dixerit, nec alicui Medicorum Collegio facultatem concesserit alios approbandi, sed privativè Magistratibus, & Judicibus. Ex quo inferri videtur Salernitanam Scholam, non ante

ante Imperium Federici erectam fuisse in publicam Academiam; atque eidem coævam penè fuisse Neapolitanam. Fortassis etiam tunc in Italia usus primùm invaluit erigendi publica Principum auctoritate Scholas, seu Academias, quas propter universalitatem Studiorum, Universitates vulgò appellamus: nam Theodosiana privilegia, quæ ab Imperatore hujus nominis Juniore in favorem Studiorum creduntur à plerisque emanata, validè probat Alciatus, *de Agric. & Cens.* in 3. post lib. Cod. esse prorsus commentitia.

Signanter dixi in Italia, ne viderer Parisiensis Scholæ gloriosam vetustatem præpropera censura rejicere: quidam enim hujus florentissimæ Universitatis initium sub imperio Caroli Magni agnoscunt, ut non nisi optimo Parenti optimam assignent sobolem. Et hi profectò satis idoneè probant ex priscorum quibusdam documentis, Palatium Regis, sub illo tempore, Scholæ nuncupatione insignitum fuisse: qui usus adhuc perdurabat ætate Caroli Calvi, ut constat ex Epistola eidem Principi directâ à quodam Henrico Antistiodorensi. Ad idem etiam intentum suadendum allegantur plura Caroli Magni, ut dicunt, Capitularia, ad regulanda, promovendaque studia pertinentia, quæ videri possunt apud Eruditif. Thomas. *De Vet. & Nov. Eccles. Discipl.* part. 2. lib. 1. cap. 96. §. 3. Quæ argumenta quantum ponderis apud Eruditos habeant, facile videri po-

test in *Critic. Paggi* tom. 3. an. 802. §. 12. Id ego circa Capitularia observo, quod in eo, quo adjicitur à Carolo Magno studium Medicinæ an. 805. præcipitur, (ut infantes hanc discere mittantur) Quæ vox (infantes) cum pueros significet, qui nondum fari cœperunt: aut, si translative sumatur, stultos loqui nescientes: videtur, Medicinæ studio destinari, qui ineptissimi hominum sunt ad eam Artem perdiscendam; quod longissimè abfuit ab eximia prudentia tanti Regis. Rursus, cum à sexta Parisiensis Synodo oblatam fuisse non multo post Ludovico Pio supplicationem pro erectione triplicis publicæ Scholæ, irrefragabiliter probetur; nec ulla adhuc certitudine constet, an tunc saltem institutæ fuerint: vel hoc uno indicio satis suspecta redditur asserta studiorum reparatio operâ Caroli M. factâ Parisiis, & in aliis sui Imperii locis. Demùm, nomen (Scholæ) Palatio Regis attributum, si quicquam in Carolo M. probat, idem utique probaret in Carolo Calvo: & tamen, eo Regnante, scientiæ in Galliis minimè vigeant; imò rari erant libri, & rariores sapientes; adeò, ut in magno pretio haberetur, qui minus barbarè loqui latinè sciret. Consule, si vis, Doctissimum studiorum Authorem impres. Vener pag. 21. qui, neglecta proinde aliorum opinione, satis circumspectè scribit, Parisinam celeberrimam Scholam non tardiùs incepisse, quàm versus an. 1200. hoc

est, sub Philippo II. qui Ludovico VII. patri in Regno successit an. 1180. ut Pagius observat ex Jolio, ubi supra, §. XI. Et quidem ex probatissimis Scriptoribus, qui res gestas Sanctissimi Patriarchæ D. Joannis de Matha, literis consignarunt, satis constat; studia potissimum apud Parisios floruisse circa ann. 1180. nam per id tempus, nempe ann. 1183. S. S. Parisiensis Doctoratus laurea insignitus, & *Eminentis Doctoris* titulum jure adeptus est, & Theologica Cathedra summa laude potitus.

Sed ut ad Arabes novos sapientes redeamus, cum apud eos accepta è Græcis libris Medicina plurimum valeret, in hujus Artis studio maximè delectabantur, eamque pro Viribus promovere studuerunt. Undè in Africa primum in Urbe Marocco Almanfor, & Mahomet Reges, non solum Scholas fundarunt, sed & Egregias Bibliothecas Regia munificentia extruxerunt. Post in Hispania, sub eorum jugo magna ex parte oppressa, Hispali, & Cordubæ, quæ clarissimæ sunt Baticæ Provinciæ Urbes, publicas Mauri instituerunt Academias: suindèque in Granatensi, ac Toletana primariis Civitatibus alias, tractu temporis florentissimas. In his verò Scholis, præter Arabes plures Physices peritia insignes, quorum opera Doctorum adhuc manibus teruntur, inter quos Mesuè, Avicenna, Averroës, & Isaac numerantur; aliarum quoque Nationum homines nonnulli claruere, ex quibus

unum Gerardum, propter Viri in re Medica famam, libenter in medium profero, nisi quòd Hispaniæ nostræ invidere videbor, dum Virum eximium, Hispanum à nostris Scriptoribus assertum ap. Biblioth. D. Nicolai Antonii tom. 2. pag. 265. exterum facio, exterorum potius, quàm domesticorum opinioni consentiens. Tamen ad id cogit me veritatis amor, cujus pondere laudabiliter fertur calamus ingenui Scriptoris. Gerardum igitur Cremonensem patria fuisse, ex Oppido (Sabbionetta) nuncupato, Bonatus ejusdem ætatis Scriptor in tract. *de Astron.* ut rem sua tempestate notam, testatur, cui apertè subscribit Zacharias Lilius natione Gallus in *Breviar. Orbis*, verbo: (Lombardia.) Joannes quoque Langius inhæsitanter scribit, Gerardum Cremonensem, Arabicæ linguæ parum peritum, latino idiomate lucubrationes suas Toletani exarasse. Sed forsitan apud nostros pondus habuit versus ille, qui in Vaticano Codice Gerardi, in folio, superimposita manu inscriptus legitur. (Hunc sine consilio genuisse Cremona superbit.)

Arabica Medicina tria illa mendendi genera continebat, quæ Celsus lib. 1. distinguit; nam de Victus ratione, seu Diæterice plura; plura de Arte manuali, sive de Chirurgice; ac de Pharmaceutice, quæ adhibitis medicaminibus medetur, valdè plura differebat. Anatomes non satis perfecta cognitione utebatur; cum & Græci, à quibus Arabes scientias hauserunt,

runt, plurima hujus Artis secreta ignoraverint, quæ nostræ ætatis Anatomici peritissimi subtilissimis, ac pertinacissimis curis quotidie detegunt: certe detegere se ajunt: neque enim inventa omnia, ab istis oculatissimis cadaverum observatoribus jactata, protinus puto esse credenda: nam video ex ipsis alios aliis fidem detrahere, & ocularia aliorum testimonia aliis experimentis etiam ocularibus infringi, ac enervari. Nec adeo imperfectam fuisse credo (Anatomen) Græcorum, sicut recentes nostri Professores, & quidam alii exaggerant: Si enim tanta est hujus Artis ad foelicem Medicinæ praxim nedum utilitas, sed necessitas, quantam isti crebro vociferantur; quidni Græci, Medici excellentissimi, ejusque Artis velut Parentes, (Anatomen) satis noverint; cum absque ejus sufficiente cognitione, nec Medicam ipsam scientiam sufficienter noscere potuissent? Sed novitatum homines maxima cupidine afficimur; taciteque invidemus Veterum fortunæ, quibus per tempus licuit veritates quodammodo præoccupare, ac primos omnium Disciplinarum Magistros fieri.

Et quidem Neoterici, qui Antiquorum sortem videntur, naud posse patienter ferre, cum novas jam Disciplinas invenire nequeant, nihil fama dignum facturos se credunt, nisi in Veteres earum Inventores armata manu sæviant, nomenque lacerent. His Hippocratis Medicina, tot sæculorum con-

sensu approbata, vix non vilescit; Galeni scientia videtur quodammodo deterior ipsa ignorantia; Philosophia verò Aristotelis vanissima, & inutilissima, imò non parum Religioni, Fideique noxia: quod, ut efficaciter Lectori pio suadeant, sæpè commemorant, Aristotelis Physicam, ac Metaphysicam damnatas in quodam Concilio Parisiensi an. 1209. eamque sententiam confirmatam à Cardinali S. Stephani Pontificio Legato an. 1215. Robore autem Apostolico tandem munitam à Gregorio IX. P.P.M. an. 1231. Quibus ego respondeo, esse proculdubio in Pagano Philosopho plura, quæ sapientia Christiana merito reprehendat: his verò fide purgatis, Aristotelici libri eo ipso in loco, ubi ad tempus utili sanè censuræ subjacere debuerunt, utilissimi sunt putati ad excolenda Juvenum ingenia; atque contenta in illis doctrina (quam appositè appellare possis ingeniorum obstetricem) digna visa est, quæ longissimo intervallo, præferretur cæterorum doctrinis Philosophorum, quos in uno Aristotele facile reperias, vel, ubi errarunt, correptos; vel, sicubi vera locuti sunt, illustratos. Præterquamquod Opera illa Parisiis damnata & combusta, non verà germanaque Aristotelis Opera fuere, sed falso eidem adscripta, ut ex Labbeo monet P. Domin. Musantius. Qui verò eo sunt genio præditi, aut potius corrupti, ut magis velint singularitate quadam à cæteris secerni, quàm

cum communi hominum sententia loqui, ac sapere: ii quidem, vel ab id Aristotelem fastidiunt, quod noverint Magistrum esse nimis communem, ac ferè vulgarem; existimantque præclarum se facinus moliri, quoties propria Arte deprimunt, quem vident communi fama opinioneque exaltatum: hujus verò loco, veluti post indigni depositionem, ab his sæpè subrogantur Anaxagoras, Leucippus, Democritus, & Epicurus, alique hujus surfaris Philosophi, quibus vitam se ac fabellam tribuisse gestiunt: nam verè inter mortuos reputari erant, nec post mortem scriptis suis, cum nulla ferme reliquerint, loqui vel fabulas poterant.

Non ergo despicienda Arabum Medicina est, quia penè tota hausta ex Aristotelis, Hippocratis, ac Galeni Physicâ: hac siquidem ejus Authores insignes facti sunt, clarissimumque nomen adepti: atque ea pariter insigniter proficere potuerunt, qui tantorum Magistrorum scriptis operam sedulo navarunt. Sed, inquis, Arabes, Græcorum scriptis perperam intellectis, vix Medicæ Artis naturam noverunt; nam ab ipsis, inter alias barbaras cogitationes ortum habuit illa ineptissima Medicinæ divisio in Theoricam, & Practicam; cum reipsâ, atque ex ipsius Galeni sententia, nulla hujus scientiæ pars, aut Theorica, aut Practica sit, sed tota factiva, &, ut Græci dicunt, Poetrica, juxtâ celebrem horum terminorum explicationem

ab Arist. allatam in 6. *Metaph.* & confirmatam à Galeno lib. *de Const. Art.* eam porro Medicinæ divisionem à Barbaris introductam, Placidus Papadopolus, vel potius celeberrimus Marcellus Malpighius in Respons. ad *opposit. content. in Triumpho Galenistarum*, auctoritatem dolet à Magistratibus Politicis, qui in publicis Academiis principales Medicinæ Cathedras dividerunt in Practicam, & Theoricam. Sed querela contra publicum superiorum factum, legum majestate munitum, injusta præsumi debet, ac impræsentiarum reapse injusta est: cum citrà barbariem Practicum, ac Poetricum confundi valeant; aptèque Medicinæ Physica jungatur, quam Theoricam esse nullus ambigit. Nec jure divisio hac Arabum ignorantiaè indefinite tribuitur; constat enim ex Averroë in 1. p. tract. 1. *sup. Cantic.* quod cum (Sevain) Medicus ea divisione usus fuisset, illum (Alcorazoen) reprehendit, probans ex radicibus dictorum Galeni falsitatem ejus divisionis; cui pro opinione (Sevain) Benzoar respondit, invenisse hanc divisionem in quibusdam libris attributis, & appropriatis Galeno. En quomodo Arabes disceptare, & ipsi noverint super verâ divisione Medicinæ. Vide etiam qualiter post purgatam Medicinam, ex utramque Arabicam barbariem opera, ut inquis, Manardi, Fuchsi, Cardani, Jachini, & aliorum, adhuc inter Latinos disceptatur super veritate, aut falsitate prædic-

Hic divisionis : quam utique Disceptationem, non Poetricam, sed Theoricam dixeris, cum neutra harum opinionum Medicus possit valetudinem secundam agroranti adferre.

Inter Arabes, sicut & inter alios cujusvis Gentis alicujus Artis studiosos, diversa fuere ingenia, ac multiformia hominum placita; nec omnes eodem sensu Magistrorum sententias interpretati sunt; in pluribus etiam plures philosophica libertate (non enim ista dote privative potiuntur nostrae aetatis Philosophi) opinionibus Praeceptorum propria inventa, ac ratiocinia praetulerunt: nam in illorum operibus plura inter se contraria, ac sub dubio posita plura, nonnulla etiam patenter falsa deprehendere accurato studio potuerunt, quae corrigere irreligiosum minime putarunt: quoniam iidem ex Galeno ipso discere in promptu fuit, lib. 1. *de Nat. facult.* quod (qui sectis sunt addicti, non solum nihil norunt recte, sed nec discere quidem dignantur.) Nec latuit Arabes, Hippocratem non raro impugnasse (Gnidiorum) (ab urbe Gnido) in Caria sita fortasse nomen habentium) Scholam, aliasque celebres olim sectas: similiter Aristotelem vetustiores omnes Philosophos, nec proprio Magistro excepto, passim refutasse: Galenum denique, cum universè quoscumque legerat Aucthores reprehenderit, tum praesertim Hippocratis, cujus expositionem praestare promittebat, per-

petuum censorem egisse, ut Prosper Martianus bene observavit. Hanc autem Arabum in philosophando libertatem, ac industriam unicò, pro meo instituto, sed insigni exemplò confirmabo: cum enim Phlebotomiae, seu missionis sanguinis usus, inter res maximi in Medicinà momenti, jure optimò positus censeatur; atque acriter hac de re haecenus à Medicis disceptetur; communior Arabum opinio averfata est sanguinis missionem, etiam in Apoplexiae morbo laborante, licet Hippocrates lib. 4. *de Rat. vict. in acut.* ibique in *Comment.* Galenus, ac rursus in 4. *Epidem.* palam praescripserint internae brachii venae sectionem, ut praesentissimum ejus aegritudinis remedium. Rhasis tamen, & ipse Arabs, suorum consuetudini minime assentiens, nec Graecorum Medicinae Principum praescriptò contentus, jubet in apoplecticis aperiri jugulares: quod etiam num praecipere quosdam Recentiores, Riverius refert. Quidam insuper aperiunt venas frontis, & narium. Nec desunt his temporibus plures, & valde plures, ipsique haud obscuram famam Medici, quibus Triumphus Galenici Auctor voluit annumerari, qui, quod Apoplexiam, sive ut Galenus loqui solebat, Aphoniam recte dividere se credant in sanguineam, & pituitosam, variè de usu Phlebotomiae philosophantur, pro diversitate materiae, quam putant causam aegritudinis. Hanc divisionem, non à barbaris inventam, sed à

Latinis, explodant alii; & interim nescimus, cui tutius sospitatem nostram committamus.

ARTICULUS SEXTUS.

Medicina Arabica ulterius elucidatio.

Laudatissimus libri studiorum Scriptor pag. 27. Venet. edit. imperfectionem Medicinæ Arabicæ ex quatuor velût causis deducit. Prima, quod Anatomie Græcorum nullum apud Arabes incrementum acceperit. 2. quod Medicina ipsa potissimum niteretur principiis de temperaturâ primarum qualitatuum, quæ methodus in re Medicâ procedendi pluribus jam minimè arridet, imò irridetur à multis. 3. quoniam medicamenta ab Arabibus adhiberi solita, traditione potius, quàm proprio examine, experimentoque fuerè comparata. Ultima, quod plurimâ illa Gens superstitione laboraverit, ex qua multa quoque superstitiosâ remediâ in Artem Medici derivarunt.

Singulâ nos vel breviter expendamus. Arabes neutiquam neglexisse Anatomicas observationes, cum alii peritissimi Medici, tum Malpighius in quadam *Respons. ad Dissert. Epistol. ad Amitum, de Recent. Medic. studio*, Amstelodami typ. edit. post Authoris obitum, per hæc verba testatur: [Hanc professionem coluerunt Medici Græci, Arabes, ac Latini Barbari, qui eam necessariam existimantes

ad cognitionem non solum partis, sed etiam naturæ mali, illius causarum, signorum, & curationis, cujuscumque morbi particularis tractatui præponebant.] Verum est, quod idem Author alibi imperfectam dicit Anatomem non tantum Arabum, sed & Græcorum, & Latinorum: sed hoc asserit respectivè ad perfectionem, quam Anatome postremò hęc sæculò nacta est, propter novas observationes singularium partium factas auxiliò Microscopii, & opera Philosophiæ Mechanicæ, quibus præidiis caruisse Veteres, communiter supponunt Recentiores. Nec existimo parvi faciendâ, minus verò contemnendâ Neotericorum solertissima, nec fructu vacua conamina: plura enim scitu non indignâ, ac ad foeliciorum morborum curationem fortassè conducentiâ, ipsis deberi, quidam non satis grato animo, purgatoque oculo negare videntur. Quod verò isti dicunt de fallacia sensus in inspectione necdum minutissimarum partium, verum & aliarum magis perspicuarum: de ludicris alterationibus facultatis visivæ Microscopio, ac Telescopio utentis, à quibus hæc variè affecta diverso quoque modò repræsentat objecta visibilia: de difficultate noscendi præcipuè in mortuis corporibus partium usus, etiam si partes ipsæ accuratissimè noscantur: hæc, inquam, & alia, quæ isti non prorsus ineptè ponderant, temperatè accepta, probant quidem arduissimam esse Anatomem pro-

provinciam, nec sine longo, maturoque examine, ac Peritorum in Arte consensu, credenda esse inventa plura, quæ velut singularia, ac nova quotidie vulgi admirationi, & incautæ credulitati exponuntur: Ut enim Gavassetus, & ipse famigeratus Anatomicus, in *Præludivis* suis cap. 10. agebat: [Tanta est nonnullorum curiositas, ne dicam stultitia, ut si quis in dissecandis musculis ex uno duos efficiat, aut renem alterum altero elatiorem observet, aut jecur pauciores, aut plures habere lobos, aut quasdam venas habere ostiola, aut aliud quid hujusmodi, hunc tamquam deum venerantur, mirantur, suspiciunt, & tamquam stupidi observationem illam intuentur.] Cæterum, si propter imperfectiones vel physicas, vel morales quorundam Professorum, qui aut in propria Arte allucinantur, vel Auditorum facilitate, ad famam; lucrumve sibi comparandum, abutuntur: aut propter difficultatem verum attingendi; ac diversa, contrariaque hominum placita; Anatomæ studium esset contemnendum: actum jam esset de Scientiis etiam sacratissimis, nedum de Artibus universis; cum nulla scientia, vel Ars his malis obnoxia non sit. Fortè Anatomica inventa, aliaque Naturæ arcana Mechanicæ auxilio detecta, quæ nolentibus, vel nescientibus ea ritè considerare, nihil profunt ad meliorem Medicinæ usum, plurimum considerantibus proderunt. Sed de hoc plura in nostro *Le-*

xico.

Sicùt ergo fateri æquum est, plurima ad Anatomem, Autopsiamque spectantia Græcos, Arabesque ignorasse; ita rationabiliter negari non posse videtur, illos sufficienter novisse, quæ in his Artibus principaliora sunt, magisque Medico ad affecutionem proprii finis, qui in salute corporali hominum positus est, necessaria. Quod licet superius jam dixisse recordemur, aliqua hic loca indicanda sunt, quibus asserta positio probetur: nam videmus hac in re Authores ad extrema plerumque declinare: alii enim Recentiores, quamvis & ipsi tales sint, nihili fermè faciunt; & si in aliquo vel evidenti, aut experimento, aut ratione Veteribus contradicunt, immisericorditer reprehendunt, interdum etiam ridicula effugia meditantur: quo in genere Jacobus Sylvius Medicus Gallus, qui Joannis Damasceni Mesuè filii (quem insigni errore cum S. Joanne Damasceno Theologo Sanctissimo, ac Doctissimo Pharmacopolæ solent confundere) traductionem de Arabo in Latinum dilucidavit, ut in Præf. Edit. Paris. an. 1561. ridendum posteris exemplum reliquit: is enim opponentibus Galeno ejus Magistro quædam nova inventa Anatomica, quæ nec ipse poterat tergiversando negare, ne cogeretur concedere, Galenum in illis detegendis defecisse, scribendo respondit, [Animalium corpora mutata esse.] Alii quibusdam Modernorum minutiis supramodum delectantur, & Antiquorum

C4

fo-

solida plenaque dogmata parvi-
pendunt; & iis quidem vetus Ana-
tome imperfectissima apparet; cum
verè perfecta fuerit quantum ad
necessaria pro bono usu Medicinæ.

Porro ideam Græcæ Anatomies,
cujus Arabes fuere studiosissimi,
unusquisque poterit sibi effingere,
si ea loca perpendat, in quibus
Hippocrates, ac Galenus de ejus
utilitate, ac necessitate differunt.
Hippocrates *de loc. in hom.* aperte
monuit, [naturam corporis prin-
cipium esse sermonis in Arte Me-
dica.] Et in lib. *de Vet. Medic.* qui
plurima ex Democriti doctrina
creditur continere, necessarias af-
truit Medico cognitiones Physio-
logicas, Pathologicas, Anatomicas,
& Therapeuticas, dicens:
[Ceterum & hæc cognoscere
oportere mihi videtur, nimirum,
quæ affectiones homini ex facul-
tatibus, ac potentiis; quæ item
ex figuris adveniunt. Quod autem
dico tale est. Neque facultatem
quidem esse humorum summas vi-
res, ac robur nosse: figuras autem
dico, quæ in ipso homine insunt.
Aliæ enim causæ sunt, & ex am-
plitudine in arctum coactæ, & aliæ
expansæ, aliæ solidæ, & rotundæ,
aliæ latæ & pensiles, aliæ extensæ,
aliæ longæ, aliæ densæ, aliæ
raræ & hiantes, aliæ spongi-
formes ac moles.] Galenus, li-
cèt subtiliores naturæ rerum in-
dagines non raro asserat esse so-
phistarum proprias, Medico verò
supervacaneas; undè lib. 8. cap. 3.
De Decretis Hippocr. & Platon. ex
sententia primi adversus secundi

opinationem, ait: [Scire cur huius
mectet aqua, urat ignis; an hinc
habeat pyramitas partes, terra
cubicas, ad morborum curatio-
nem nihil conferre:] Tamen Ana-
tomes fuit studiosissimus, & Ale-
xandriam usque navigavit, ut cor-
pora incideret: quare plures li-
bros scripsit de *Admin. Anatom.*
plures de dissectione nervorum, ar-
teriarum, venarum, musculorum,
& de ossibus: septemdecim de usu
partium, & tot alios de placitis
Hippocr. & Platon. Ipse in princi-
pio *De Artis constitutione*, Medi-
cum Architecto comparat, cui ne-
cessarium esse, inquit, [singulas
partes ædium novisse secundum
substantiam, figuram, magnitu-
dinem, numerum, & connexum.]
Nec solam Anatomiam, verum-
etiam Zootomiam, ac Dendro-
natomiam Galenus diligenter ver-
savit; namque plurima variarum
specierum animalia dissecuit, ut
Simias, Satyros, Lupos Cervari-
os, Leones, Urso, Mustelas,
Feles, pluresque diversi generis
Aves. Ab Animalculis minoribus
secandis abstinuit, propter parti-
cularum exilitatem, ac potentiæ
visivæ imbecillitatem. Plantarum
quoque structuram, partes, ac se-
mina apprimè descripsit. Mitto,
quòd insignes alii Anatomici in
Græcia florere, de quibus in *Le-
xico.*

Secunda causa imperfectionis
Arabice Medicinæ, ab Authore
Methodi studiorum assignatur,
quòd illarum Gentium Medici plu-
rimam operam navarint in inda-
gan-

ganda quatuor primarum qualita-
tum temperatura. Ceterum ab hac
imperfectiōe, quæ non Barbaris,
sed Græcis, & horum sapientissi-
mis, ipsique sublimissimo Plato-
ni, debet imputari, nondum pe-
nitens nostrorum Medicorum Ars
libera est: nescimus etiam sit nec-
ne aliquando liberanda futurorum
Medica scientia. Placent equi-
dem, ac vehementissimè placent
plurimis, nova, aut innovata Phy-
siologiae systemata Cartesii, Gas-
sendi, aliorumque præstantissimo-
rum ingenio virorum, qui conati
sunt totius fermè Naturæ structu-
ram, non intellectu solo, sed visu
quoque penetrare, non secus ac
si corporalia omnia eorum oculis
nuda essent, & aperta: hincque
visibiles reddere, non solum oc-
cultas ipsius Naturæ operationes,
verum & modos causasque occul-
tiores earundem. Ast, his non
obstantibus, Peripatetica Schola,
in qua non tam visu proficitur,
quàm intellectu; adeò, ut & Cœ-
ci nati evadere Philosophi pos-
sint; adhuc in fastigio est, suaque
temperatura incolumis manet.

Sicut Arabes olim, sic & nunc
maxima hominum pars persuasum
habet, quatuor esse elementa, seu
principia, quæ humanum corpus
componunt, nempe, terram, ig-
nem, aërem, & aquam; eaque,
juxtà diversam mutationem, aut
proportionem, causam esse sani-
tatis, aut morbi. An verò elemen-
ta ista actu sint in corpore, vel vir-
tute, & potentiâ solum primarum
qualitatum? Subtilis quæstio est,

in qua, qui solas elementares vir-
tutes in corpore admittunt, nullis
Chymicorum experimentis, mul-
torum etiam testium de visu suf-
fragio confirmatis, volunt omni-
nò acquiescere: suspicantur enim,
per operationes Chymicas, non
ea conspectui apparere, quæ jam
erant, & latebant, sed quæ novi-
ter generantur. Sed & hi fortè fal-
luntur, ac nimium sensibus diffi-
dunt. Saltem Arabes ab hoc vitio
immunes judicabimus, nam &
ipsi Chymici fuerunt, imò vel Au-
thores, vel ad minus præcipui il-
lustratores Artis Chymicæ, ut Au-
thor studiorum sponte fatetur, lo-
co suprâ citato. Ipsa autem obser-
vatio temperaturæ quatuor ele-
mentorum non magis Peripatetica
est & Hippocratica, quàm Plato-
nica; namque Plato ille, quem
tantopere Author *Stud.* commen-
dat, primus hujus doctrinæ Pa-
rens putatur, eamque subtilius,
quàm Hippocrates, indagavit,
teste Galeno, lib. 8. cap. 3. *de De-
cret. ambor.* Hippocrates enim com-
positionem asseruit, rationem ve-
rò elementi, aut causæ, non sicut
Plato amator contemplativæ Phi-
losophiæ, perquisivit. Cur ergo
Arabes imperfectè philosophan-
tur, in quo summum Philosophum
sequuntur? Porro, si juxtà novam
philosophandi viam, elementa in
nostro corpore, vel non agunt,
vel non agunt totaliter mediis pri-
mis qualitatibus, quæ etiam con-
trovertuntur; sed eorum vires ma-
ximè sunt positæ in motu, & figu-
ra eorundem; hac via, quibus vi-
de-

detur recta, liberè pergant, ac successus habeant: cogent etiam & alios, amore veritatis, per eandem incedere, quoties non solum monstrabunt sanis oculis, & microscopio adjutis, illas figuras cubicas, spirales, pyramidas, & alia hujusmodi sexcenta: verum & ulterius ostendent tales figuras esse effectivas, eisdemque Naturæ operationes esse tribuendas. Peripatetici existimant, quod Moderni in hoc negotio aliud vident, & aliud credunt. Vident enim (ne hoc injuria negemus) suas illas atomos, quas Democritus quoque vidit, postquam se excæcavit, ut rerum naturas subtilius rimaretur, sua minima, sua illa prima vitæ stamina, ovariaque illa sua, & plurima alia aliis invisibilia; & illis minutissimis rebus, quas vident, Vires tribuunt robustas, quas non vident, hoc est, non vident in eorum figura residere.

Accusatio tercio loco facta contra Arabum Medicinam videtur nihil dignum accusatione continere; nam quod ipsi, non experimento proprio, sed aliorum traditione medicamenta didicerint, nihil probat adversus utilitatem medicamentorum, quæ dummodo apta sint morbos depellere, & sanitatem causare, æque sunt proficua, sive proprio studio comparantur, sive alieno experimento acquirantur. Et sanè Ars Medica traditiones pro natalibus habuit; atque Empiricæ Scholæ ante Hippocratem celeberrimæ, quæ nunc etiam apud Rationales Medicos

quomammodo viget, traditio fundamentum fuit ac basis: imo Malpighius veraciter videtur scripsisse, quod (Medicina Rationalis continet totam Empiricam, & insuper ei addit causarum cognitionem, & progressum à priori) à qua cognitione alieni nullatenus fuere Arabes, qui Scholastica Peripateticorum Methodo, ac subtilitate Aristotelica solertissimè causas investigarunt. Aristoteles tam sagaci ingenio præditus fuit, tantumque judicio valuit, ut Dion Chrysost. *Orat. 35. de Iomero*, ex priscorum testimonio, ei adscriberet inventionem Artis illius Magnæ, quæ (Critica) nuncupatur; unde inquit: (Aristoteles, à quo ajunt Criticam, & Grammaticam initium coepisse.) Saltem ab eo Criticam mirificè illustratam, Vossius in *Arist. lib. 1. cap. 6.* indubitanter asseruit. Non igitur verisimile est, Arabes studiosissimos hujus Philosophi Sectatores, sine methodo, ac ratione medicamentis usos fuisse, ad instar veterum Curatricium, & circulatorum; præcipuè cum, Præceptore duce, optimè noverint, Medicinam, in Philosophia non fundatam, rem esse infirmam; nec sufficere Medicis nosse narrativas singularium curationum, quas Æsculapii templo appensas quidam narrant, aut quas ex propriis experienciis Hippocrates descripsit, quasvè Thesalus ab Empiricis collegit; imò quas à posterioribus Physicis collectas habent: ut enim Aristoteles, paucis rem totam complectens, scri-

scribit lib. 5. *Ethic.* cap. 13. (In Medicina facile est nosse, quid sit mel, quid vinum, quid ustio, quid sectio; sed in applicatione, ut sanitati conferant, tanta est difficultas, quanta est Medicum esse.)

Hanc verò difficultatem, quæ inseparabilis omninò est ab Arte conjecturis utente; talis enim est ratio conjecturæ, inquit Celsus Empiricæ Scholæ illustrator, cap. 6. ut cum sæpius aliquando responderit, interdum tamen nos fallat; nulla Medicorum secta, quantumvis solertissima, & oculatissima, aut potuit, aut poterit unquam superare. Nec tot inventi in Natura Sales iudicia Medicorum præservabunt à fallaciis, erroribusque. Falluntur, errantque, vel frequentius, vel rarius singulorum Systematum Sectatores singuli; nec hujus, vel illius scelicior cura Professoris illicò tribuenda est certioribus principiis Scholæ, cui nomen dedit. Quæ in Medicina olim à Veteribus controversa fuere, etiamnum à Modernis fermè omnia pariter controvertuntur: atque vel ex sola lectione nostræ *Bibliographiæ ac Lexici* nostri Tyrones, quibus præcipuè scribimus, discent, paucas admodum esse certas, ac tutas cognitiones, quibus Recentiorum Medicina locupletari possit, tutiusque Professores dirigere ad dignoscendos, prænoscosque morbos, firmandamque, ægritudine profligata, valetudinem. Perraræ sunt Anatomicae observationes, quæ legitimum partium corporis usum clarè dete-

gant, esto interdum liquido fortè evincant, non verum esse hujus, vel alterius partis usum, quem Veteres existimarunt. Hoc jam pridem Collectores Bibliothecæ Anatomicae in Præfatione præmonuerunt. Postquam verò legitimus aliquis partis usus ex diligentiori Anatome evidenter, si hoc evenire queat, apparet, sub iudice lis est, utrum novus usus detectus securiorem demonstret Medicoviam, qua citius tutiusque perveniat ad arcendos ab illa parte morbos? Pro utraque parte adsunt strenuissimi defensores; at difficilioris causæ patrocinium suscipiunt, qui partem affirmativam defendunt: onus enim sibi assumunt quærendi, inveniendi, ac demonstrandi novam istam viam veteribus ignotam. Sed verò negantes, sepositis propriæ opinionis præiudiciis, assumptaque indifferentia ad discendam veritatem necessaria, patienter audire Adversarios debent; nam ex multis, quæ isti adducunt, ex Anatomicis, ac Mechanicis experimentis eruta, aliqua vel ipsi fortassè approbabit, si tamen probè norunt Modernorum Dialectum, cujus terminorum vim, ac significationem omninò opus est non ignorare.

Ergo Arabes, qui nihil de novissimis inventis audierunt, non propter hoc imperfectos absolute Medicos pronuntiabimus; nam in hac parte æquales illis sunt Recentiores plures Medici fama præclari, qui cum audierint, minimè credunt. Plura quoque simplicia

medicamenta Arabes fortè novè-
rint, quæ oblivione deleta sunt à
posterorum memoria, vel quorum
non superest plena notitia. Vide-
tur etiam non esse absolutè ve-
rum, Arabicam Medicinam fer-
mè universam, non nisi generali-
bus ratiociniis de temperamento
quatuor humorum fuisse innixam:
norunt enim, qui libros eorum
lectitarunt, multas particulares
facultates, ac singulares potentia-
rum, ac medicamentorum Vires
subtilissimè indagasse; probèque
ex Hippocr. in lib. *De Nat. humor.*
& *struct.* novisse: (Inesse in ho-
mine & amarum & salum & dul-
ce & acidum & acerbum & flui-
dum, & alia infinita omnigenas
facultates habentia, copiamque
& robur.)

In fine, quòd Arabes plures su-
perstitiones Medicinæ miscuerint,
hominum vitium fuit, non Artis
imperfectio. Cui quidem malo
Chymica potius occasionem præ-
buit, maximè verò studium Astro-
logiæ Arabibus familiare. Hæc
enim studia, veluti eodem ovo
cùm Magia prognata, quamdam
signorum ostentationem præfere-
runt, per quam facilis ad supersti-
tionem via aperitur, ac sternitur.
Verùm *Studior. Author. cap. 10.*
de Physica, & Medicina, fol. 45.
edit. Venet. Arabicas superstitio-
nes, quas Ecclesiastico planè zelo
dolet in cordibus plurimorum
Christianorum altas radices egisse,
nec plenè adhuc evulsas esse, Aris-
totelicæ Philosophiæ potissimùm
attribuit, à qua Mauri, Christia-

nique subindè susceperunt doctri-
nas illas de virtute occultarum
qualitatum; de Sympathia, & An-
tipathia rerum; de imaginariis
proprietatibus plantarum, & ani-
malium; ac de influentiis cœles-
tium corporum, quibus pulchris
mendaciis, velut honestiori quo-
dam amictu Magiæ Astrologiæque
turpissima vanitas contexta est,
mundus verò plenus inanium men-
daciorum, ac fabularum.

Enimverò si Physica Aristoteli-
ca, aut causa, aut saltim occasio
est superstitionum; ubi illa viget,
istæ exuberabunt; & tamen non
ita res se habet; cùm ibi maximè
superstitiones pullulent, ubi, ne-
glecta, ac pro nihilo habita Aris-
totelis Physica, alia curiosiora, ac
visui mirabilia studia sectantur.
Hispania vix non tota in Physicis
Aristotelica est, estque purissima
in ea Religio. Ægyptus, Roma-
que vetus Magiæ fuere supersti-
tionum, nunquam tamen Physi-
cam Aristotelis viderunt. Ipsa Græ-
cia mendaciorum foecundissima
parens, non ab Aristotele, sed
Poëtarum, ac Platonis, qui ipsos
imitatus est, opera concepit. Ab
isto quoque Origènes Christianus
Doctor infatuatus fuit, & corrup-
tus. Neque enim sine causa Clarif.
Jo: Franciscus Picus *Præn. lib. 7.*
cap. 4. cavendum admonet iis qui
se dedunt Platoni, ne superstitio-
si fiant. Ipsa autem superstitio ho-
minum est, aut multa ignorantia
laborantium, aut luerum fucata
scientia quærentium; neutros ve-
rò invenies Physicæ Aristotelis
stu-

studio incumbere, sed aut nulli, aut certe alii magis apto ad simplices, incautosque seducendos. Et sanè constat Ecclesiasticos ut plurimum fuisse, qui, post Arabes, Aristotelicam Philosophiam colere, docuereque alios: esset autem piaculum asserere, imò vel suspicari, talibus Magistris, propagatas superstitiones. E contrario Aristotelici fuere Ecclesiastici sapientissimi, qui ex Philosophicis, ac Theologicis principiis superstitionum vanitatem deductis argumentis ostenderunt, & impugnarunt. P. Honoratus de S. Maria in suis *Reflex. Crit.* tom. I. diff. I. art. 4. inter fructus novæ Critices numerat extirpationem plurimarum superstitionum, quæ longissimè antè serpebant. Ceterum S. Augustini Critica, quæ non satis exacta quibusdam novis Criticis visa est, supersticiosos declaravit serpentum Incantatores, qui post exortam exactissimam Criticè, passim tolerari, ac fortè approbari videntur. Divinatoriæ quoque virgæ illæ, quibus pro certo signo plerique utuntur ad occulta sub terra metalla, pecunias, scaturigines aquarum, & alia hujusmodi indicanda, defensorem habet Vallemontium modernum Criticum, qui in tractatu *De Physicâ occulta*, autoritate simul & ratione probare conatur, dictarum virgarum usum superstitione prorsus carere: quod curiositatis amatoribus facile persuasit. Contrarium propugnat Eruditissimus Thiers, Scriptor Gallus, in tract.

De Superstit. 4. volum. in 12. Typis edito. Item P. le Brun Relig. Orator. in *Hist. Critic. practic. superst.* eandem partem fructuosius promovet.

Nimiùm porrò ii falli nobis videntur, qui uni modernæ Criticæ adscribenda censent media illa, quibus superstitiosa hominum opinamenta efficaciter refutantur, funditusque evertuntur: quavis enim ætate in Orbe Christiano fueret recta ac sobria Sapientum judicia, quibus fucata hæc mendacia viluerunt. Quòd verò vana & curiosa ingenia his facilè capiantur, mortalium vitium est, quo plerique omni tempore laborant, laborantque etiam post exortam nostrorum Doctorum Criticam. Nam & Vallemontius, qui divinantes virgas probavit, novas Critices leges accuratè se observaturum professus est; nec tamen earum usu potuit supersticiosam positus exuere opinionem; & eam detegere, quam alii, qui novam Criticè ferè negligunt, clarè vident, veritatem.

Hinc nos haud absque fundamento autumamus, laudatum P. Honoratum, qui novæ Critices reformatorem agere, piis doctisque conatibus intendit, multum forsàn utilitatis eidem ascribere. Nimiùm enim esse videtur in recensendis fructibus verè salutaribus magnæ hujus Artis, qui reverè, uti nos credimus, ejus non sunt, sed potius exquisitissimæ Antiquorum sapientiæ, cujus studio quicumque sedulam operam navant,

runt, quavis ætate non difficulter potuerunt, nec infelicius, nec infructuosius proficere; idque omne facile præstare, quod modò exhiberi creditur, recentioris Critices ope, adjumento ac subsidio.

Quatenus Egregio nostro Scriptori credendum sit, in immensum cresceret Oratio, si singuli in Republica literaria temporibus hisce à Critice parti fructus articulatim recenserentur. Tanti enim ab eo judicantur! Ceterum, ne æquivo- co laboremus, fateamur oportet, copiosos planè esse & opimos, quos his postremis sæculis fructus protulit labor & industria nostrorum Criticorum. Et quis hoc in dubium revocet, cum præsto sint tot diversi generis Manuscripta, Latina, Græca, Arabica, Persica, è tenebris eruta, atque in aperta luce posita, studio ac diligentia Baronii, Erasmi, Valesii, Cotelierii, Uguellinii, Allatii, Holstenii, Uvestenii, Loaysæ, Lambecii, Huetii, Balluzii, Possevini, Garnerii, Sirmondi, Labbei, Combesii, Miræi, Acherii, Mabillonii, Montfauconii, Martene, Durand, Bollandi, & Continuatorum, Beveregii, Lillii, Justelli, Ruinartii, Martianeii, Nourrii, Aguirræi, Norisii, Barvoerii, Sanderi, Muratorii, Pagii, Fontanini, Menkenii, Saxii, Eccardi, Blanchinii, Colletti, Cennii, Georgii, & Mansii? Cum ad manus, inquam, habeamus, ope istorum, innumeros, qui latebant, Codices, immensam propè omnigenæ literaturæ supellectilem continentes? At hæc cer-

tè monumenta, quibus Historia mirificè illustratur, Chronologia tutius regitur, Scientia Legalis & Canonica ditior uberique efficitur, atque ipsa Sacra Theologia, & Divina ipsa Scriptura novis luminibus locupletatur, Antiquorum fructus esse, non Modernorum, quis non videt? Eadem, fateor, Recentiores studiosissimi ac diligentissimi quæsitæ feliciter invenerunt, aut in ipsa, nihil fortè tale vel quærendo vel cogitando, sed aliud prorsus agendo, casu inciderunt. Sed quæ sorte vel industria deteguntur, postquam diù latuerunt, non eorum studio adscribenda sunt, quibus reperire contigit; sed ingenio & labori illorum, qui eadem monumenta proprio Marte elucubrarunt. Quare, si in his veræ, & genuinæ Critices lumina splendent, ea Veterum solertissimo judicio debentur, ne utiquam verò sagacitati Neotericorum, quorum Critica, si qua in parte perfecta invenitur, ab Antiquorum Critice accepisse perfectionem jure dicetur. Quanto igitur major est copia veterum Scriptorum quotidie detectorum, tanto luculentius evincitur; plura nos Antiquorum studio debere, quibus & proficere possimus, & nostra facilius illustrare valeamus. Habeant quidem suum qualecumque meritum, qui delitescentes literarum divitias, tamquam invisos thesauros effoderunt, & in communem usum & utilitatem publicarunt: noverint tamen, & qui abscondita invenerunt, & qui inven-

ventis perfruuntur, alienis se opibus ditescere, jamque Veteres olim ea doctrinae luce claruisse, qua nunc ipsi evadunt doctiores.

Neque propterea quisquam nobis objiciat, adeo cæco Vetustatis amore rapi nos sinere, ut egregios, planèque literatissimos Juniorum labores vel extenuare velimus, vel etiam contemnere cogitemus. Non ita profecto injusti sumus, ut laudem Junioribus debitam usurpare, & tribuere Veteribus præsumamus. Multa quidem bona Recentiores nobis contulerunt, non solum quia per ipsos valde plurima Antiquorum scripta sunt detecta; verum etiam quia & nova ipsi Neoterici procuderunt Veteribus non dissimilia, imò aliquantulum perfectiora. Quod verò Recentiorum plures miris modis defudarint in restituendis, ut ajunt, Sacris Bibliis, Textibus archetypis editis, & propè innumeris Versionibus evulgatis: quod alii locupletissimos in eadem Sacra Biblia adornaverint Commentarios, vel Annotationes ac Dissertationes luculentissimas, Indices, Elenchos, Lexica, Syllabos, Bibliothecas, Thesauros: sua quidem laude dignum est, qua minimè apud Eruditos fraudantur, qui adeo pretiosas merces Literario Orbi invexerunt. Sed tamen non hæc putamus fructus esse novæ Critices, Veteribus ignotæ. Nam & Antiqui eximia ediderunt in Sacra Biblia Commentaria, è quibus veluti è fontibus limpidissimis speciosa quæque hauserunt Recentiores, quibus ni-

hil frequentius est ac laudabilius, quàm sua confirmare & illustrare priscorum Patrum sensibus & cogitationibus, solidis planè ac sublimibus. Quinimò, quæ hujus generis maxima in copia recens procusa sunt multiformia scripta, vix in pretio haberi debent, si non in illis eluceat prisca illa ac veneranda Divinarum Scripturarum intelligentia, ab antiquis Patribus, tam Græcis, quàm Latinis tradita, & in eorum lucubrationibus posteritati transmissa. Juvantur sanè plurimum qui sacrarum literarum studio incumbunt modernis inventis nostrorum Criticorum, qui de singulis rebus sacris accuratissimè differunt, ac multiplices Regulas, Canonesvè subtilissimè condunt; qui linguarum proprietates & idiotismos operosissimè scrutantur; qui investigant diligentissimè vetustos Hebræorum & Gentium Ritus, Coeremonias, Numina, Simulachra, Sacrificia, Vestes, Mores, Scholas, Disciplinas, Dogmata; quique hæc omnia & singula perspicua, rectaque methodo & ordine ad faciliorem legentium intelligentiam, tradunt: sed quis contendat, quantalibet commendatione digna sint hæc, potiora esse ac meliora, quàm fuerint Veterum de similibus argumentis monumenta; cum vel ista laudatissima Modernorum opera, eatenus jure laudentur, quatenus vetustatem sapiunt, ac plus minusvè continent prisca eruditionis, & sapientiæ?

ARTICULUS SEPTIMUS.

*Quàm fuerint ut plurimum vana,
inutilia, ac vix non noxia eorum
studia, qui potissimum de ambi-
tioso Criticorum Titulo
gloriantur.*

CRitici quasi per excellentiam, juxta primævam hujus nominis usurpationem, ii præcipuè nuncupabantur, qui Grammaticam impensissimè excolerent, & de alienis Scriptis dictatoria velut potestate censuras ederent. Hæc vetus & adhuc vicens Criticorum Natio; Gens scilicèt aspera & ferox, arrogans, petulans, & impudens, qui cum pueros ad virgam obsequentes habuerint in Scholis, vix unquam oblivisci possunt puerile, cui assueti sunt, magisterium; cumque etiam provecitissimis velut cum pueris agunt, ac rarò ferulam dimittunt. Hi quemdam in Literis principatum sibi arrogant, quo nihil ferè insolentius aut intolerabilius. Actii noyacula acutior istorum lingua; atque ita calamo sæviunt, ut cruore potius, quàm atramento scribere videantur. Eorum stylus, dictio, eloquutio, nisi ceteris norma sit, omnes infantiliter balbutire incipiunt, aut solùm barbarè loqui sapiunt. [Ea est (inquit Leo Allatius in opusc. *De Patria Homeri*) horum Censorum rabies & fastus, ut, dum Authores corrigunt, mentem illius, qui dixerit, non inquirant; sed quid debuisset dicere, & mo-

dum illi præscribant, quem ipsi rectum judicant, non quem Author ille servavit. Quate superstitiosa quadam, & plus equò iniqua lima ita Authorum dicta pertractant, ut in alium Coelum deferant; & Authores ipsi, si reviviscerent, propria scripra, uti sibi incognita, detestarentur.]

At quid non audent nati Critici, ac optimò præditi gustu homines, quibus non nisi non optima possunt esse injucunda & ingrata? Adeò isti falli nesciunt, aut allucinari omninò non possunt! Erraverit licèt non rarò Hieronymus; frequentius, ut isti volunt, Augustinus; Epiphanius sæpissimè; ceterique sive Græci sive Latini Patres plus minùs vè; prorsus fieri nequit, ut hi errent, qui reliquorum omnium Correctores sunt & Emendatores. Ceteri labi possunt, quia ratiociniis ducuntur, quæ creberrimè à scopo aberrant, & fallunt. Sed Criticis, quoniam illa Arte eminent, quæ docet aptè rectèque de re quacumque judicare, ad tantum munus ritè explendum, non quibuslibet utuntur conjecturis, sed iis dumtaxat, quas Ars ipsa, hoc est, ipsorum Criticorum instinctus ut solidas probaverit. Scilicèt hoc instinctu, hoc sapore veritatis pollent, qui natura & arte sunt Critici. Ideò enim cum Antiquorum omnium, vel ipsius Sacræ Scripturæ Codices suscipiunt emendandos, cum id præstent perficiantque suo illo indefectibili criterio, correctiones nobis certissimas, & primitivo

tes-

festui ad amussim respondentes tanta securitate promittunt, quantum exprimunt illis formulis sibi familiarissimis: *Lege meo periculo: Legere jubeo: Ita legi debere, quovis pretio ausim contendere: Nihil videam, si non ita legendum sit: Sic mecum lege, si non vis errare: Cecus sis, si non videas, mendum autographa irrepisse: nisi probata à me fidei Codices sequaris, Autoris sensum & venam ejus lectionem neutiquam assequeris.*

Has formulas si alii proferrent, hariolationes crederentur venditare: at Critici natura & arte ita ad veritatem compositi sunt, ut proprio velut pondere in eam ferantur; nec possint ipsam non agnoscere & detegere, sub qualibet figura lateat. Et fortasse possent hoc saltem rudioribus haud difficillimè suadere, si uno & eodem cuncti ducerentur instinctu; sed cum tot inter eos sint rixæ, tot jurgia & scissuræ, quæ vel minus eruditi nequeant penitus ignota habere; neque his possunt fucum facere. Obvium quippè cuique est, alios vehementer improbare, quas alii maximè commendant, lectiones: hos castigatissimos asseverare Codices, quos corruptissimos illi asserunt. Ut propterea evidens sit, non instinctu veritatis, quæ una & indivisa est, Criticos agi, sed spiritu dissensionis, quo raro vel numquam quis pertingat ad inventionem veri. Hoc pacto Ars Critica, quæ, cum prudentiæ legibus, modestiæque limitibus continebatur, discrimen erat ve-

ritatis & temporum; atque falx errorum, nunc seditionum literarum fomes, ac turbo ingeniorum evasit, ut scite Gravina monuit *Orat. 3. pag. 137.*

Et quamquam nulla adeo foelix ætas, quæ hypercriticos non habuerit suos; nam & Gellius eos, qui se præcesserunt, recenset lib. 14. c. 5. Et ipsa Imperatoria apud Romanos Majestas visa est in Tiberio cum pantocriticis desipere, & insulsissimas questiones ævi sui Grammaticis proponere, quod Suetonius in *ejus vita*, c. 70. refert, *quæ scilicet fuerit mater Hecubæ? Quod Achilli nomen inter virgines fuisset? Quid Sirenes cantare sueverint?* &c. Ut missam faciamus levitatem Græcorum, similibus usque ad insaniam & derisum ineptientium, atque studiosè sciscitantium (ap. Senec. *De brev. Vita*, cap. 13.) *Quem numerum remigium Ulysses habuisset? Priorne esset scripta ab Homero Ilias, an Odyssæa!* Quamvis, inquam, non defuerint apud Veteres, qui scriptorum vel clarissimorum navos fastidiosè notarint, ut Asinius Pollio, durus Livii, Sallustii & Ciceronis Censor & Emendator: quique de rebus minimis integros Tractatus impleverint, ut Nicænor, qui sex libros *de puncto Grammatico* conscripsit; & Messala Corvinus, qui de litera s volumen composuit: pauci hi fuerunt, & quasi rari nantes in gurgite vasto, si numerum spectes ac multitudinem ejusdem generis Criticorum, quos una parturiiit aurea hæc nos-

tra Literatorum ætas.

Numquam antè hæc literatissima sæcula nostra, aut acrius & cruentius, aut vanius & futilius inter eos, qui perpetuò Grammatici esse ac videri volunt, disceptatum est. Nulla vel literula sine prælio dimissa. Si Codicum lacunæ replentur, non hoc absque interminabili altercatione fit. Si aut Livii, Taciti, & Sallustii; aut Homeri, Virgilii & Catulli locus emendatione egere videtur, tot sunt emendationum discrimina, quot Correctorum capita: adeo ut verè jam pridem dictum arbitremur, Authores multò meliores, & emendatiores esse, qui minime sunt emendati. At qua ratione id Criticis suadeas, qui miseros se credunt, nisi variantes nanciscantur Codices, in quibus emendandis, vel corrupendis, industria eorum & perspicacia mirabiles se exhibeant. His manuscriptum unum, lacerum & squalidum, charius est, quàm mille typis excusa ejusdem Operis exemplaria. Habent enim inde, unde glorientur maximè: sic quippè videntur sibi ex propriis proficere, neque cum vulgo Eruditorum sapere, & solum in vulgatis & communibus libris legere. Exinde pariter occasionem arripiunt edendi suas Castigationes, Emendationes, Correctiones, Divinationes, Animadversiones, & Conjecturas, quibus prisca Authores loqui pro se impotentes, misere lacerantur, eorum verba perversè distrahuntur, sensus invita Minerva extor-

quentur, & quæ non dixerunt, dicere coguntur.

Hæc sunt nostrorum Grammaticorum lucra, & hæc ipsa vera Reipublicæ literariæ detrimenta; quæ profectò magna fore necesse sit, si censoria illorum virga non profanorum tantum scripta tangat, sed etiam in Sanctuarium introire præsumat. Et Sanctorum quidem Patrum Opera, ipsaque Sacrorum Canonum, & Conciliorum Collectiones haud penitus evadere potuerunt ejus virgæ ausus & ictus. Majora tamen proculdubio commissa in Sacrosantos Dei libros, quos planè nescias, ubi puros & integros invenire valeas, nisi unam Latinam Vulgatam Editionem autoritate Ecclesiæ religiosissimè suscipias. Extrà hanc authenticam Divinæ Scripturæ Versionem, mutila omnia, omniaque nutantia offendes: nec dubites, tantæ cladis authores esse Grammaticos & Criticos hujus fortunatissimæ & cultissimæ, ut ajunt, ætatis.

In hoc genere hominum non pauci sunt, qui cum primum severam induerunt Criticem, vel Religionem, vel saltim Pietatem abjecerunt omnem. Hi totos se dederunt lectioni profanorum, plurisque faciunt fabulas & nugas Græcanicas, Tullianasvè phrasas ac periodos, quàm aut *Ecclesiastici* & *Sapientiæ* Libros, aut ipsa Sacrosancta quatuor Jesu Christi *Evangelia*. Sordet his elegantiarum amatoribus humilis & incomptus Eloquiorum Dei stylus, nec

nec implent delicatissimas eorum & humanæ eloquentiæ assuetas aures verba incomposita, & velut humi repentia. Alioquin non ipsi cor habent tam docile ac humile, quod trahi possit ad amorem & amplexum veritatis, sine verborum lenociniis. Et quamvis sacra ipsa Scriptura propria non careat eloquentia, sobria, casta, nec luminibus masculæ dictiones orbas non eam percipiunt, qui devoto, pio ac puro mentis oculo contemplari dedignantur; neque, quæ in ejus sermone latet, virtus Dei, ab illis facillè dignoscitur, qui totum suis viribus, ingenioque ac industriæ suæ tribuere solent.

Qui ejusmodi sunt profani dumtaxat Grammatici sacra quæque fastidiunt, & quamvis ignorent quidquid voluit Deus homines scire; tamen mortalium omnium doctissimos se credunt, dummodo ea diligentissimè, nec improbo solum, sed infano etiam labore scrutentur, quæ ethnici Scriptores vel ornatè & eloquenter dixerunt, vel confinxerunt ingeniosè, vel superstitiosè delirarunt. Cum vero circa istiusmodi ineptias, minutias & quisquillas, quæ sapientem hominem efficere non possunt, quibusque plerumque homines, si modus absit, desipiunt, tota vita occupantur, heroicissimum sectari se autumant; atque ita sonore Eustochon clamant, ob unam literulam pristino, ut conjiciunt, nitore restitutam, vel ob inventum gestum alicujus priscae fabulae sensum, ac

si Trojam expugnassent, vel Titanes de Olympi vertice dejecissent. Non majoris momenti sunt erudita, ut vocant, sed amara istorum bella. Politianus, qui Sacrarum Scripturarum lectionem planè rejiciebat, vel etiam blasphemabat, ea in pretio habuit, quæ jure contempsisset, quisquis nollet semper ludere ac nugari. *Disputavit* (inquit de illo Mornæus, *de Verit. Relig. Christ. quamdiu vixit, dicendum ne esset Vergilius, an Virgilius; Carthaginensis, an Carthaginensis; primus an primus: & si quid otii ab istis nugis superfuit, epigramma aliquod Græcè composuit in Cupidinis, aut... Veneris laudem.*

Quomodo huic placuissent eloquia Domini, eloquia casta? A Manutio & Lambino haud perfunctoriè disputatum est, *consumptus* ne, an *consumtus* scribendum sit: de qua quæstione plura ap. Boccalin. *De Parnasso*, risu digna. De unica voce *cerno* prolixa mota est controversia, quæ hætenus acriter discutitur, inter Bantlejum & Boylium, Fabretum & Gronovium, Clericum & Burmannum, Kusterum & Peritonium: apud Mencken. *De Charlatan. Erudit.* pag. 158. Edit. Lucens. an. 1726. Taceo inanes rixas Nizolii & Majoragii, ap. Jo. Imperial. in *Museo Historico*, & Freher. in *Theatro*: Siberi & Decimatoris, ap. Morhofium in *Polybist. Liter.* Leonis Aretini & Francisci Floridi Sabinii, & aliorum de levissimis rebus tamquam pro aris & focis dimicantium. Præterea etiam Ag-

num Benignum Sanrey de recta nominis *Paracleti* pronuntiatione integro Tractatu differentem: Fogelium de Germanorum litera *B.* prolixissimam textentem disputationem; quam jure mireris, Sorbonam, tantæ gravitatis Scholam Gallicam ad literam *Q* sub annum 1550. transtulisse, ut patrium pronuntiationis usum, non sine malo contradicentium, propugnaret, ut legerè est ap. Zuvvinger. in *Vita humana Teatro*.

Et de iis sanè, quibus una Grammatices cura fuit, satis pro instituto nostro locuti sumus. Hi enim, quoniam profanos Magistros supersticiosissimè coluerunt, profani & ipsi evaserunt. Magis certè mirari subit, plurimos esse, qui cum sacra assidue tractent, profanorum Critica id agant, eamque ductu Critices sectentur viam in judicando de maximi momenti rebus, quam ne profani quidem ipsi in negotio falsæ religionis tenere, licitum existimarent. Et isti quodammodo prioribus deteriores sunt; nam qui sacra negligunt, aut etiam despiciunt, quod profani sint, vecordes quidem esse, vanisque studiis incumbere convincuntur, sed sacra violare & corrumpere minimè. E contra, qui profana ad sacra transferunt, & pagana abutuntur eruditione, ut de rebus veræ Religionis dijudicent; hi certè & profani sunt unà & profanatores, ac maximi flagitii rei. At quis credat quam sit ingens eorum numerus, qui Divina diu noctuque utraque ma-

nu versant, & eadem tractando polluant, corrumpunt ac profanant? Infiniti propè ex una Protestantium grege prodire, qui de Deo & Religione criticè disserendo, aut Deum ipsum, ipsamque Religionem de medio sustulerunt, aut mille contra veræ Religionis Veritatem & Majestatem dubia excitarunt. Sed hi ex illis sunt, qui, apertis oculis, non viderunt solem; quique cum justo Dei judicio, dati sint in reprobum sensum, videntes non vident, & audientes non intelligunt. Cæci ipsi sunt, & duces cæcorum, quamvis alioquin Argô ipso oculatiores sese arbitrentur.

Sunt & plures modicæ fidei homines, qui quod negare non audent, credere & confiteri timent. Hi circa credenda timidè sese movent, quod qualibet difficultatis ex adversa parte, insurgentis umbra facile terreantur, velintque, tamquam ceteris prudentiores, nihil penitus credere, nisi quod plenè capiunt & à contrariis objectionibus vindicare perspicuè sciunt. Videntur sanè isti nescire cui credunt; nam si scirent, ac rite considerarent, firmissimè utique inhærerent summæ dicentis auctoritati, cujus pronuntiata possunt quidem ac solent esse intellectu difficilia, sed nequeunt esse non vera. Res fidei ejus natura sunt, quæ non benè intelliguntur, nisi prius humili docilitate credantur: quoniam qui intellectum dat parvulis Deus, disceptatores, & eos,
qui

Qui suæ innituntur prudentiæ, inf-
 tructe non promittit: immò non
 ab alio, sed à se ipsis decipiuntur,
 qui curiosius, quæ credenda es-
 sent, scrutantur. Cum evidens
 sit, vanam esse omnem in contra-
 rium probabilitatem, ubi mani-
 festa est veritas, frustra sanè, qui-
 nimò insipienter laborant, qui de
 rebus idonea auctoritate firmatis
 operosius disputant: id enim ra-
 tiociniis suis dumtaxat efficiunt,
 ut nativa credendarum rerum obs-

curitas augeatur, & intellectus ad
 fidem bene dispositus perturbetur,
 segniorque ac tepidior reddatur
 pia illa voluntatis fidelis erga Re-
 ligionem affectio, quam qui non
 habent, vel remissius habent, eam
 non vident certissimam Dei circa
 Ecclesiam sponsam suam provi-
 dentiam, qua inconcussæ ejusdem
 veritates è mille humanorum in-
 geniorum fallaciis foelicissimè e-
 ruuntur, & in imperii apice tuto
 collocantur.





PARS SECUNDA.
DE NOVA CRITICE,
 ejusque indole ac regulis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA, ET GENIO
recentioris Critices, quo ævo, quibusque paren-
tibus in Orbem edita, quovè successu
propagata?

NOvam recentemque ap-
 pello Criticem, quam li-
 beriora quædam & am-
 bitiosa hominum ingenia nolunt
 Veteres, præsertim Ecclesiasticos,
 Scriptores bene calluisse, sed ipsis
 jure deberi. Eam, cujus lumina
 aliqua, non plenum tamen splen-
 dorè, habuerint olim profano-
 rum nonnulli, Aristarchus, Aris-
 tophanes, Varro, Longinus, Ha-
 licarnassæus, Tacitus, & pauci
 quidam alii inter Grammaticos &
 Poëtas peritissimi, & sagacissimo
 ac purgatissimo judicio præditi.
 Eam, cujus ne odorem quidem
 perceperint præsci illi Ecclesiæ Pa-
 tres, quos pietatis augendæ stu-
 dium adeo occupavit, implevit,

ut tantæ molis operi sustinendo
 impares, penèque ineptos reddi-
 derit. Eam, quæ ad Sectatorum
 suorum contubernium eos dumta-
 xat ultrò admittit, qui de ingenio-
 rum suorum libertate, velut de
 optimo Naturæ dono, gloriantur;
 qui in nullius verba Magistri ju-
 rent; qui Majorum authoritati
 ægrè acquiescant; qui sciant de fe-
 rè omnibus dubitare, quæ vel una
 aliorum fide nituntur, vel ad sen-
 sum liquidò non demonstrantur;
 qui probè noscant, plenèque pos-
 sident eam conjectandi Artem,
 quæ cavillos abundè suppeditet,
 nullosque communes argumentor-
 um locos non exhauriat, quibus,
 quantum ipsis conari datur, vel

receptissima, vel exploratissima concurantur scripta Veterum & monumenta; qui negantium, ut vocant, argumentorum vires penetrant, silentii vocem audiant, & tacentium vota suffragiaque exquirant, ac mutam linguam ritè interpretentur; qui gloriæ jacturam putent, dociles esse aut videri, ne credantur aliorum ductu indigere, & nescire nisi tritas semitas calcare; qui immoderatam adfectent veri inquisitionem, nec fateantur verum ab aliquo inventum, nisi cum ejus opinio vehementioris Critices igne probatur, vel certos præferat veritatis characteres, uno Criticorum, qui tales natura & arte sint, instinctu tuto discernibiles.

Hicce novæ Critices genius, hæc indoles recentium Criticorum, quorum si suffragia, testimoniaque suscipias, & communem vocem exaudias, maxima cum illa, & per illos bona mundo contulit Deus Optimus Maximus. Nam priusquam lumen istud instar novi Sideris exoriretur, jacebat, inquiunt, quasi tenebris involutus, Orbis literarius: ingenia torpebant: languebant Scientiæ omnes, ac liberales Disciplinæ: extinctus penè in hominibus erat discendi ardor: regnabat loco sapientiæ vana coecaque fides: Scientia hominum ferè omnis, aliis credere; & nullo, vel perfunctorio dumtaxat præmissio examine, in aliorum dictis requiescere. Hinc frequentissimi posteriorum errores, ex Veterum sive ignorantia, sive

dolo derivati. Quippè prisca illi fideles simplicitatem quamdam cum Christiana fide & moribus induerunt, quæ in ruditatem & profundam rerum ignorationem facile degeneravit. Exinde à sæculari literatura diligenter cavebant, quam vel perniciosam, vel certè Christiano homini inutilem judicabant. Metuebant sibi à Grammaticis & Philosophis, quos Religionis hostes experiebantur, & quorum dogmata & pronuntiata, aut stulta credebant, aut impia & noxia. Qui ejusmodi porro erant, prudentem in iis delectum habere minimè poterant; magisque tutum ac expediens illis videbatur, quæ extra fidem erant, nescire omnia, quàm vel pauca cum erroris periculo noscere, quæ nullum esset piaculum ignorare. Unicum his, idque vehemens Pietatis ac Religionis studium, quo aptissimi reddebantur ad ea excipienda & credenda, quæcumque iis virtutibus muniendis & ornandis quomodolibet deservirent. Nulla his inverisimilia, quæ aliqualem Pietatis speciem habere viderentur. Pia somnia, & qualibet jactata à Christianis visa & miracula, prona ab illis fide complectebantur, adeò ut instar sacrilegii esset, vel tantillum de similibus sinistrè suspicari.

Qui per illa tempora Fidelium Præceptores habebantur, non uno eodemque modo erga scientias sæculares affecti fuerunt. Illorum quidam à mundiali eruditione penitus quoque abhorrebant, & ne-

fas putabant; quod Epicurum, Platonem aut Pythagoram versarent, qui Christum & Evangelium haberent. Alii in fide robustiores existimabant, nihil ab adversariis timendum, in propriæ causæ, quæ justissima, omnique ex parte firmissima esset, præjudicium: potiùsque sperandum, ut, si eorum arma nostri tractarent, eisdem facile ipsi Gentiles debellarentur, confunderenturque. Nec caruit foelici successu prudens consilium. Qui enim ex Christianis Paganorum libros, sive Poeticos & Fabulosos, sive Philosophicos & Historicos data opera lectitarunt, superstitionis ethnicæ vanitatem, vel ex iis, quæ illorum Authores tradebant, nullo negotio perspectam habere potuerunt; nec ipsis arduum fuit, quoties de Religione pugna commissa est, inermes ferè, aut malè armatos hostes vincere, vel qualiacumque illorum arma in ipsorum capita convertere. Hinc non ignobiles Christiani nominis de Pagana sapientia, quæ stultitia est apud Deum, triumphi. Hinc mirabiles quorundam ejusdem superstitionis illustrium Magistrorum ad nostram Fidem conversiones.

Ut autem credentium in Domino multitudo quotidie cresceret, quod primitivi illi Patres ardentissimè exoptabant, nihil non tentatum, quod videretur piæ, si quæ alia, intentioni profuturum. Flagrans quidem erat Christianorum pro Religione zelus, sed in multis præposterus, & vera scien-

tia ac discretione vacuus. Quorundam etiam fidelium pectora ambitio & cupiditas occupabant; nec paucorum corda mendacii spiritus ac novitatum amor possidebant. Hi fictionum & fraudum pro Religione, aut imprudenti, aut iniquo animo, Artifices. Non satis iis erat, si vana, futilia & mendacia ostenderent. Ethnicorum Oracula, prædictiones & vaticinia; monstrosamque ac detestabilem Deorum multitudinem, quos ipsi eorum adoratores vel nequissimis hominibus sceleratioribus fuisse, nisi prius à propria excidissent credulitate, diffiteri minimè possent. Ulteriùs ergo progrediendum fuit, atque pio aliquo artificio probandum, Gentilium quædam Oracula, & hæc quidem celebritate ac veneratione apud ipsos famosiora, veritati ac sacroribus Christianæ Religionis Mysteriis evidenter adstipulari. Gloriosum pro Christi fide facinus (Critici nostri ajunt) impostores quidam Christiani audacter aggressi sunt; atque in hunc finem *Hystaspis Divinationes* adeò vastè confictæ & in vulgus sparsæ, ut ne oculatioribus quidem fraudem dolumque agnoverint: quin imò, post decursos aliquot annos, tantam apud Fideles venerationem adeptæ sunt falsa Hystaspis Vaticinia, ut Clemens Alexandrinus, vetus Christianorum Doctor, digna ea putarit, quæ à B. Paulo Apostolo commendata fuerint. Hoc enim Clemens ipse testatur libri 6. *Stromat.* pag. 636. Ubi & Apostoli Ora-

Orationem recitat, quam ex traditione aliqua populari vel incaute crediderit, vel se credere simulavit. Neque enim renunt Critici palam asserere, priscos Ecclesie Patres vel mendacia Religioni quomodolibet faventia ipsos confinxisse, vel conficta ab aliis novis dolis confirmasse, aut saltim, ut simplicioribus morem gererent, æconomiae gratia dissimulasse, & ubi expediret, etiam usurpasse. Norunt (inquit Simonius Castigat. ad Opusc. Vossii de Orat. Sibyll.) qui aliquam rerum Ecclesiasticarum cognitionem habent, quam vafre prisci illi Patres cum Judæis ac Gentilibus disputarent.

Quod si hoc vel mediocriter Eruditi norunt, quid non noverint de fraudibus hujusmodi recentes Critici, quorum industria, labori & sagacitati omnia sunt nuda & aperta, quamvis vel tempore valde remota, vel ipsa suapte natura nimis arcana? Nempè, in immensum mea crescat Oratio necesse est, si omnia velim persequi, quæ illi cognitione ac penetratione illa sua verè mirabili post tot demùm tempora sunt assecuti. Paucis quæ potiora sunt complectar. Norunt, quæ Sibyllarum nomine commendantur à Patribus Oracula, fraudulenter fuisse supposita fatidicis quibusdam foeminis, insigni abusu superstitionis credulitatis Paganorum, qui eas Vates esse crediderunt. Norunt, Judæum aliquem, ut Romanis victoribus assentaretur, aut quemdam sciolum Christianum, ut Re-

ligionis suæ causam promoveret, fictionis fuisse Opificem. Norunt quoque fictionis tempus, certamque fortunatissimi Epocham mendacii. Norunt (apud Cler. in Notis ad cap. 23. libri 18. de Civ. Dei, pag. 590.) multos Patrum olfecisse quidem suppositionem Sibyllinarum Carminum; *sed quia rudis plebecula tam levibus capiebatur rationibus, quam gravibus, eos arripuisse hoc argumentum, ut alia mutaret, quia conducebat causa, non quia verum iis videbatur.* Norunt ipsos tam infoeliciter fuisse astutos, ut cum abuti voluerint stulta plebeculae credulitate, nihil sibi cavendum cogitarunt vel ab æqualium eruditione & prudentia, vel à futurorum Criticorum exacta ad severissimæ Critices regulas censura. Norunt insuper primævos Patres nimis fuisse pronos ad credenda mendacia, quæ speciosa viderentur & utilia; facillimèque captos fidelis populi rumoribus, quos leviter colligebant, & velut germanas Traditiones aut Historias in libris suis evulgabant. Norunt, istiusmodi vitiis, quæ nec in Herodoto, Xenophonte, Thucydide, Dionysio, Tullio, & hujus classis Scriptoribus ethnicis vel lent agnoscere, etiam posteriores ætate Patres laborasse; nec sincerius ac circumspectius quam priores, cum Fidei adversariis egisse. Hoc novit Clericus, famosus novæ Critices illustrator, in Magno Augustino: hoc novit in Ambrosio. Uterque enim iste Sanctissimus & Sapientissimus Parens, nisi Clericus

cus vertiginoso agitur spiritu, in negotio Religionis *stratagemata* adhibebat *Ecclesiastica*, quibus *plebeculae fucus* fieret, quibusque causa sua victrix, tamquam testimonium habens ex Deo, evaderet. Sunt autem Critico *Ecclesiastica* ista *stratagemata*, falsa miracula & scripta, quibus res Christiana mirifice juvaretur, & Infidelitas amplius confunderetur. Putabant, inquit, illo ævo fideles licitum, imò laudabile esse mendacium, quod ad conciliandam aliis æternam salutem, & firmandam apud stultam plebem veram Religionem, pio fuce adhiberetur. Et hoc quidem errore rudiores quique potissimum detinebantur; non tamen ipsi soli: nam & Clemens Alexandrinus, & ejusdem subfelli Magistri, vel eodem imbuti erant, vel illum habentibus facile indulgebant. Certè ille Clemens, idem Criticus ait, *panum erat sollicitus, an Libri, quos Ethnicis opponerat, veri aut falsi essent, modo sententia sua responderent. Constat etiam (alibi scribere audent) mendacii tam inimicum non fuisse Augustinum, quam volebat videri.* Licet enim contra mendacium semel & iterum præclarissime scripserit, & officiosa quælibet mendacia, ac præsertim ubi de Cultu Dei ac Religione agitur, luculentissime improbaverit, lib. 1. *contra mendac.* c. 1. & 18. atque in altero opere *de Mendac.* c. 10. id præsumendum est (juxta præscriptas à nova Critice *Præsumptionis leges*) callidè fecisse Augustinum, ne mendacii

arcantum negotio Religionis utilissimum, inimicis revelaretur, vel ne minus veritatis studiosus haberetur. Alioquin ignorare Augustinus non poterat (Criticus blaterat) frequentissimum fuisse malum hoc inter Ecclesiasticos homines illius ævi, multumque roboris & credibilitatis accessisse veritati nostræ Religionis ope mendaciorum, quibus & illustria propria Gentilium testimonia, & insignia confingebantur miracula.

Hoc tam firmo (si ita libet Criticis) fulcro ne Christiana fides, quæ Deo ipsi innixa est, privaretur, sedulo Veteres curarunt, ut nova in dies splendida pro Religione procuderentur & propagarentur mendacia. Et in hunc sanè finem concinnata, & disseminata est ap. Suid. illa de *Thule* potentissimo Ægyptiorum Rege historia, qua inducitur Serapidis Oraculum Sacrosanctæ Trinitatis mysterium disertis verbis exponens, sub notionibus *Dei, sermonis & Spiritus*: tum & illa alia ap. eumd. Suid. Nicephor. Cedren. & alios, de Oraculo Delphico Imperatori Augusto respondente, Puerum hebræum ubique regnaturum, & falsa Numina fanis & delubris suis ejecturum.

Et facta quidem hæc fabulæ odorem exhalare videntur vel ipsis moderatioris ac pientioris Critices sectatoribus: quos inter P. Honoratus à S. Maria factum utrumque rejiciendum censet, hac potissimum ratione, quod Patres neutrius meminerint. Insuper neque

que nullum inter utrumque discrimen agnoscit, quamvis priori unus dumtaxat Suidas ambigui nominis Author suffragetur; posteriori tamen plures, & Eusebius ipse ap. Cedrenum ad stipulari inveniantur. Quibus cum aliorum silentium, & dubium in re, de qua agitur, Plutarchi testimonium præferat, videat ne fortè leges sibi præscriptas transgrediatur; et, superiorum more Criticorum, renuat factum recipere, à gravibus, nec suspectis Scriptoribus admisum, & testatum, ductus argumentis illis, à se validè improbat: Hoc Justinus, Athenagoras, Tertullianus, Theophilus & Tactianus, qui magno Religionis ar-

dore flagrabant, silentio nequam præterjissent. Neque, si ætate Augusti Oraculum Delphicum responsa dare desisset (quod ex Oraculo Augusto reddito sequi supponunt) Plutarchus scripsisset in opusc. *De defectu Oraculorum*. ætate sua Oraculum Delphicum maxima fuisse, quàm retro unquam, in existimatione. Imprimis, ex præstito Augusto Oraculo non inferitur, statim ab eo tempore Dæmonem siluisse; sed quod certissimè futurum erat præfinito à Deo tempore, usitato in Prophetiis maximè loquendi modo, tamquam jamiam præsens exprimitur. Ita quidem Oraculi verba hæc accipienda sunt:

*Me puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo debinc tacitus abscedito nostris.*

Deindè, quod P. Honoratus falsitatis indicium desumit ex responso metricè dato, cum Cicero ap. Baron. in *Appar.* num. 25. testetur, non modo sua ætate, sed jamdiù isto modo Oracula Delphis non edita; levissimum nobis videtur: nam quidquid sit de veritate historica Ciceronis, qui facile potuit decipi ac decipere, & populares rumores tamquam facta vera adoptare; qui Oraculi veritatem tumentur, dummodo teneant sententiam, ultrò concedent, responsum Græca & soluta redditum oratione, quam unus quidam postea versibus hexametris exprimere voluerit. Quid in hoc aut

novum, aut inverisimile? Adde, quòd si Dæmon Delphis tale oraculum fudit, superiore vi id facere compulsus est, fortassèque coactus ad illud fundendum veteri more & stylo, ut magis genuinum haberetur. Non enim rationabiliter, quæ Dæmones Divinitus compulsi oracula ediderunt, iis æquiparantur, quæ fallaciter sua sponte dare solebant infidelibus responsa. Denique non nisi negantibus argumentis probari potest, Augustum numquam Romam rediisse à tempore, quo in Græciam profectus fuit, annis antè adventum Christi undeviginti. Ut istiusmodi argumenta quicquam

valeant, vel juxta concessa & firmata ab ipso P. Honorato, gratis supponi debet, res omnes Augusti litteris fuisse consignatas, nullasque à Scriptoribus, quorum Opera ad nos pervenere, omiffas; aut nulla aliorum Scripta deperdita, in quibus continerentur, quæ in extantibus modo Historiis desiderantur.

Ut ut sit, non de eorum numero facta hæc sunt, quæ priscorum Patrum calculis firmentur. Ac fortassè & hæc ipsa Patres noverint; noluerint tamen sua fide excipere, scriptisque suis inserere, ne viderentur parùm verisimilia probare. Enim verò siluerunt, & de industria fortè siluerunt, ne cogerentur refutare, quæ à rudioribus credi, Christianorum causæ expediret. Ut enim locum demus egregiis, nisi iniquissimæ essent, Criticorum conjecturis, plura Patres minus necessaria ad suæ causæ commendationem prudentes laudare noluerunt, ne si omnia, quæ jactabantur mendacia nullo delectu admisissent, eorum apud Cordatos authoritas minueretur, quam oporteret integram servare, ut in aliis tutius mentirentur ac fructuosius.

Inter hæc utiliora à Patribus laudata mendacia Mercurii Libri, vel saltem qui *Menander* inscribitur, ut P. Alexander opinatur, à Criticis recensentur. Et hos quidem antiqui Patres, & Authores Ecclesiastici genuina Trismegisti scripta crediderunt, vel ut talia profuturo causæ suæ mendacio

venditarunt, variaque ex illis loca in Christianæ religionis illustrationem excerpserunt, attulerunt, expenderunt, signanterque Author *Cohortationis ad Gentiles* sive S. Justinus Martyr; Clemens Alex. lib. 4. *Strem.* S. Cyrillus pariter Alex. lib. 1. *contra Julian.* S. Augustinus lib. *De quinque hæres.* c. 3. siquidem germanum ejus opus sit; & Lactantius lib. 4. *De Divin. instit.* c. 6. Alterutrum de Patribus fatearis, ipsorum authoritatem contemnerè debebis. Nulla enim authoritas est, quæ & scientia & veracitate non constet. Vel ergo Patres imprudentes quæ nescierunt, temerè laudarunt, ac consequenter scientia defuit illis ac prudentia: vel allegarunt quæ commentitia esse agnoverunt, ut specioso mendacio causam promoverent suam apud imperitos, & sic veraces non fuisse deprehenduntur. Alterutra de causa cadant necesse est de authoritatis, quæ magna illis vulgò apud fideles adjudicatur, fastigio. Cumque difficile fuerit, nisi nimium rudes, crassoque ad discernendum judicio supponantur, ut potuerint vera & genuina putare, quæ tot clara præferunt signa falsitatis ac suppositionis; proclivius est credere, non tam deceptos in re adeo perspicua fuisse, quam voluisse dissimulando veritatem alios decipere, vel jam deceptos à præconcepto errore minimè liberare.

Pudet hæc vel referendo sæpius dixisse; sed tam certa nostris Criticis videntur, ut ferè cæcutire aut

aut dormire necesse sit, qui ea clarè non vident. Nimirum, qui ad novæ Critices lumen res non contemplantur, iis subsidiis penitus destituuntur, sine quibus ineptissimi planè sunt ad internoscenda Veterum subsequen-
 tiumque Ecclesiasticorum sive intellectus sive voluntatis vitia. Et hi quidem, quoniam iudicii sagacitate non pollent, & præjudicatis opinionibus, quæ libertatem adi-
 munt ad rectè judicandum neces-
 sariam, imbuti sunt, pacata omnia, tutaque supponunt, in quibus maximè veritas periclitata est, vel defectu veracitatis, vel inopia studiositatis ad veram Criticam prærequisitæ. Iis notæ esse non possunt priscorum artes & simula-
 tiones, quibus aut vafre tacebant utilia pro Religione ab aliis conficta mendacia; vel ipsimet fucato specie Pietatis dolo confingebant, & concionando, scribendovè rhetoricis coloribus pulchrè effigiebant, rudique ac devotæ plebi ingerebant. Nihil & hi mali aut falsi suspicari audent de hominibus, quos non solum optimis moribus ornatissimos credunt, verum etiam habuisse supponunt clavem Scientiarum. Sed quàm aliter res sese habuerit, & quàm sit alia vera Antiquorum, cunctorumque non recentium Criticorum effigies, oculatissima nostrorum Critice mundo jam patefecit. Hujus magnæ Artis lumine detecta sunt & vitia Veterum, & falsa iudicia posteriorum, qui de trivio erant, sapientum. Maxima utique apud

hos de Antiquis existimatio: at qui Critica severitate de rebus di-
 judicare didicerunt, nihil eos supra homines fuisse propalam demonstrarunt; quinimò invictis, si ad Critices præcepta expendas, argumentis ostenderunt, minus aliquid ipsos fuisse minoris famæ & sequioris ævi Viris, hoc est, Criticis modernis.

De horum grege unus, isque præclarissimæ Artis ex instituto Magister, adeò non dubitat de assertionis hujus veritate, ut affirmare nequaquam formidet: [Quòd si omnes omninò Africae Episcopos (eo scilicet tempore, quo Religio ea in regione florebat, & selectissima Concilia celebrabat) congregasses ad iudicium ferendum de sensu loci veteris aut novi Testamenti, quorum nullus Hebraicè sciebat, & perpauci Græcè norant; ingens illa imperitorum multitudo ineptior erat ad rectè judicandum, quàm Vir unus peritus utriusque Linguae; exempli causa, quàm solus Hieronymus Stridonensis, quamvis tanta non fuerit ejus peritia, quanta vulgò putatur.]

Ne verò putares, dum ista legis, unum saltem Hieronymum, cum iis sapientissimis hominibus, quos postremis hisce temporibus Critica peperit, & ad rectè judicandum formavit, comparari posse; aut solos Africae Episcopos ante exortam Criticem tanta ineptitudine, iudicii inopia laborasse, audi & obtupesce, cum vides Criticum sequentia promentem:

[Quis

[Quis dubitet etiam superiori sæculo XVII. unum Hugonem Grotium (Literatum quidem hominem, sed dubium apud optimos iudices Christianum) aut unum Joannem Drusium (Divinum, ut hæretici appellant, Grammaticum) rectius potuisse Scripturam veteris & novi Testamenti interpretari, quam omnes Italiae ac Hispaniae Episcopos simul, capita conferentes?] En Hieronymo, qui ferme unicus fuerit priscorum Patrum peritus, doctiores & peritiores Drusium & Grotium, homines novæ Criticæ addictissimos, & Hebraici Græcique sermonis præ Hieronymo callentissimos. En quotquot sunt, aut unquam fuerunt in Italia & Hispania Præsules, & Ecclesiarum Pastores, imperitissimos & ineptissimos vel unius loci Scripturæ Sacrae Interpretes, longèque posthabendos non Hieronymo dumtaxat, aut venerando aliorum Patrum Coetui, sed præsertim novis recentibusque hominibus, Verbi Dei scripti perversoribus; qui nec linguarum, de quorum peritia pueriliter gloriantur, ope; nec luminum ac præceptorum, quæ optimè percepisse feruntur, novitiæ Critices auxiliis, potuerunt veram Religionem invenire, & sana inter tot dogmatum monstra vel ipsis invisa, post prolixam rei inquisitionem, probè discernere. Perbellus sanè Divinarum Literarum Interpretes Grotius, cui vel ipsa Christi Divinitas, de qua illæ evidentissima perhibent testimonia, vel dubia fuit

vel suspecta! Idoneus utique Scripturæ Sacrae explanator, qui vel ejusdem dignitatem, excellentiam & certitudinem agnovisse non videtur!

Miretur tamèn quis, nec immeritò, cur homines isti, Aquilæ inter Noctuas, solis Episcopis Italiae aut Hispanis præferantur, non autem vel Germanis vel Gallis, qui, quòd attinet ad præcipua Scripturæ Sacrae ac Fidei nostræ capita, ea prorsus quæ & illi sapiunt, si Orthodoxi & haberi & esse cupiunt? Undè Itali & Hispani simul omnes adeò ad judicandum inepti, cum inter illos & olim fuerint, & modò sint Hebraicè ac Græcè periti, imò Drusio & Grotio longè forsàn peritiores? Nempè, tantæ ineptitudinis una, & hæc potentissima causa est, quòd, cum Hispani & Itali in iis regionibus vivant, in quibus viget Sacrosanctum Inquisitionis Officium, nulla fermè ingeniis libertas relicta sit; sed, ut Critici garrunt, vix non in vilia mancipia convertantur ingenia, compellanturque nihil ultra tentare & audere, contra vel præter id, quod à Majoribus suis, qui plerumque lapsi sunt, traditione acceperunt. Paucis verbis: Hispani & Itali ejusmodi homines non sunt, qui, & si plurimùm ingenii acumine valeant, possint tamen intelligentiæ viribus proficere, & eam assequi eriticæ Artis perfectionem, sine qua tam non possunt homines re ipsa docti esse, quam esse sapientes absque veritate. Hinc, qui in

utra-

utraq; Gente eruditi putantur homines, custodes potius dicendi sunt veterum errorum, quos, nimia, vixque non superstitiosa in priscos Patres reverentia, obstinatissimè tenent, ac defendunt pugnantissimè, vel quia veteri consuetudine ac præjudicata opinione, ita animo compositi sunt, vel quia imperio superiorum non aliter loqui scribereve jubentur, aut permittuntur.

His certè non licet cum Criticis fraudes dolosque Patribus, qui nos in Christo genuerunt, suspiciosa quadam malignitate imputare; nec tam Doctores, quam Corruptores Ecclesiæ impia prorsus temeritate dicere. Non licet fallaces & mendaces, ingeniososque simulationum opifices credere. Neque ipsi fas putant, eam sibi usurpare libertatem, quæ morum potius corruptela sit, ac earum perversio virtutum, sine quibus nemo Christianus evadere queat modestus, humilis, prudens ac pius. Nollent ii, tametsi per Superiores liceret, ea uti damnanda apud benè moratos licentia, quæ verè scelus est, quamque jura omnia execrantur, & vel ipsa non sustinet civilis hominum comitas & urbanitas. Possent quidem & Itali & Hispani, & æquè possent ac reliqui ceterarum vel cultissimarum Nationum homines, & novam ipsi Criticem sectari: nam incredulos esse; & vel gravissimis Testibus exceptiones objicere; & quæ oculis subjecta non sunt respicere; & de iis, quæ certa non

sunt, mille dubia excitare; & pejora suspicari de illis, quorum res, quod sint valde antiquæ, minus nobis sunt exploratæ; tandemque in proprio obfirmari judicio; nec aliorum fidei & authoritati suam sententiam submittere, nec oppugnantibus ullo modo cedere; in quibus præclarissima hæc Ars consistit: nihil arduum est vel ingeniis communi acie præditis; immò quid facillimum esse videtur, præsertim respectu illorum ingeniorum, quæ libera potius quam modesta & verecunda esse amant; quæ præsumptuosa sunt, nec patiuntur ab aliis discere, cum putent meliora se posse ceteros docere: quæ, cum philautia maximè laborent, atque idcirco nimium sibi placeant, non alia probare solent, nisi quæ proprio sensui ac palato arrident: quæ perversa sunt indole, nullaque flexibilia prudenti ac virtuosa docilitate: denique quæ argutiis delectantur, & quantalibet veri aut falsi specie illicò capiuntur.

Quæ ejusmodi sunt in Hispania & Italia ingenia, nec eruditione carent, facillimè novam Criticem, nisi coercerentur, induerent. At moderata, pia ac religiosa ubique locorum ingenia, sponte velut sua eam judicandi Artem detestantur, quam non cognoverunt Patres eorum. Sciunt enim, & horrent, non nisi post ominosa hujus Artis natalitia in Christiano Orbe auditum, quos Doctores Christus in Ecclesiâ posuit, idoneos non fuisse mysteriorum Dei dispensatores, sed

sed seductores plebis christianæ, & piarum stratagematum inventores, fabularumque ac mendaciorum, vel imprudentes, vel officiosos Artifices. Numquam certè nisi Critices ore prolatum, constare propè modum omnes sive Latinæ & Africanæ, sive Græcæ Ecclesiæ Patres imperitos Criticæ sacræ, & infelices Scripturæ Interpretes fuisse: idque solum negare posse, qui nec eos, nec Scripturam sat studiosè legerunt. Adde ex eodem Critices oraculo: Egregios nostros Doctores, & Sacrarum Literarum Interpretes negligenter Scripturam legisse, & oscitanter laudasse: tantaque apud illos inveniri specimina non fidei circumspectæ, & firmis rationibus nixæ, sed temeritatis inconsultæ, & omnia temere arripientis; ut non nisi imprudenter in eorum autoritate adquiescamus. Tales nobis depinguntur penicillo Criticorum ii, quos in Ecclesia veneramus Magistros! Nec satis genio suo, invidio, petulanti & ambitioso fecisse putant, si in humanis Scientiis & Disciplinis, quas sine Religionis & salutis nostræ dispendio nescire possumus, aut infantes, aut omninò inopes illos prædicant; nisi etiam hospites & peregrinos declarent in ipsa fidei morumque doctrina, ad eruditionem populi fidelis, & ad infidelium conversionem, errorumque confutationem prorsus necessaria. Si hæc dicere, & Critices magisterio dicere, delirare non sit, infani omnes & stulti sumus, qui

Critici esse volumus, & ad tantæ Artis lumen adhuc tenebras palpamus.

Et enim tolerare utcumque possemus, imò non semel daremus Criticis manus, si Patres inferiores dicerent Demostene ac Tullio in eloquentia; in Poëtica Homero & Virgilio; in Historia Herodoto & Xenophonte; in Mathematicis Euclide & Archimede; in Philosophia Platone & Aristotele. Patienter etiam ferri posset, quòd ipsis Patribus Critici quoad hæc præponerent magnam illam Grammaticorum & Philologorum cateravam, quos una peperit nova Critica, quorumque garrulitatem, arrogantiam, fastum, ac verborum amarulentiam jam diù sustinet sobria sapientia, & Christiana charitas. In iis, virtute illæsa, vinci, aut modica, aut nulla fermè est jactura: Ceterum velle hæc inania vanæ sapientiæ simulachra, iis qui verè Sapientes fuerunt præferre; & eos, qui unius Grammatices regulas toto vitæ tempore scrupulosissimè sectantur, illis præponere, quos Deus spiritu intelligentiæ replevit; vel insigniter desipere est, vel turpiter ignorare, quæ sit scientia Sanctorum, & vera ejus sapientiæ indoles, quam puro corde, nec nutante fide postulantiibus affluenter dat Deus.

Sed surdis videamur canere, dum hæc novis Criticis ingeminamus. Hæc enim recens Critica eodem tempore nata est, quo vel ipsam Christianam sapientiam multis modis deformatam crediderunt, qui
ejus-

eiusdem Critices parentes, instituto resque agnoscuntur. Undè eadem est apud Eruditos epocha novæ Critices, & Evangelicæ, uti ajunt, reformationis. Hæc ætas fuit, tempusque natalitium libertatis ingeniorum, quam vel fatente Bælio, Protestante hominè, & novorum Criticorum facile principe, in *Dict. Critic.* verbo, *Takiddin*, jure lugeamus orthodoxi-Romani, nec immeritò (pro ea, qua laborant mentium cæcitate) magno plausu concelebrent Hæretici ac Libertini. Ante medium XV. & initium XVI. sæculi, omnia (inquiunt) erant ignorantia caligine oppleta: Traditiones Majorum, necdum sæpè infirmæ, verùm etiam plerumque aperte falsæ, maxima ex parte regebant credentium fidem: Ritus illi inanes, & à Christiana simplicitate alieni in usu erant, quibus dum exterior quædam majestas oculis exhibetur, interior hominis, quæ potissimum exigenda est, Divinorum contemplatio ferè extinguitur: populorum devotio, non solido veritatis perspicua cibo, sed fucatis specie pietatis levissimis bellariis, hoc est, apocryphis aut dolo inventis narratiunculis, historiis, aliisque hujus generis nugamentis alebantur, oblectabanturque: Scripturæ Sacræ, quæ purissimus est veritatis fons, sensus ab iis fideles edocebantur, qui idonei aptique ejusdem Interpretes minime fuerunt. Hæc Ecclesiæ facies usque ad ejus sæculi exordium, quo nova exactæ Critices lux mundo

exorta est, mentium caliginem dissipans, & congenitæ libertati ingenia restituens. Exindè cœperunt emergere homines genio & ingenio audaces, qui, excusso authoritatis, germanaque prudentiæ jugo, nihil recipere probare statuerunt, nisi quod sensui judicioque suo recipiendum videretur ac probandum. Ne verò id gratis, & omninò absque ratione crederentur facere velle, Regulas sibi constituerunt, quas qui religiosè servarent, ab erroribus, quantum humani intellectus imbecillitas patitur, longissimè abessent.

Porro, cum Regulæ hujusmodi adeò laudabiles, adeò erroribus propulsandis (ex sententia Criticorum) utiles, in praxin deductæ sunt, protinùs earum natura ex fructibus agnita. Parum quippè abfuit, quin vi & usu novarum Critices Regularum Christiana vacillaret fides, nutaretque cum veri Dei agnitione & Cultu Religio omnia. Neque enim falsus est, qui non ita pridem scripsit (*Clavign. à S. Honorina De delectu & usu Libror. suspect. pag. 82.*) *Neque in Galliis antè Franciscum I. neque in Italia antè captam Constantinopolim Atheum quempiam reperiri.* Tanta hominum quorundam licentia, vel potius insipientia ac fatuitas, postquam inventa & instituta est Ars, qua eatenus doctissimi, quatenus de omnibus dubitare sciamus!

Verùm fateamur oportet, paucorum Criticorum hanc insaniam

E

fuisse,

fuisse, eorumque dumtaxat per-
 verforum hominum, qui non so-
 lum à novæ Critices regulis enor-
 miter exorbitarunt, verum etiam
 ipsius naturæ ductum voluntaria
 cæcitate dereliquerunt. Nec dif-
 fiteamur contentiosus abusus, non
 legitimi usus regularum novæ Cri-
 tices fructus esse amaros æquè ac
 noxios tot errores, ex una Evan-
 gelii reformatione quotidie pro-
 manantes. Ultrò etiam conceda-
 mus præclaris quibusdam ac piis
 ætatis nostræ ingeniis, non Criti-
 ces recentis vitio, sed culpa sua
 tantummodo errare in religione &
 moribus, quicumque errare de-
 prehendantur. Nostra tamen sen-
 tentia, & eorum, qui rem accura-
 tissimè scrutati sunt, iudicio, ne-
 gari non posse videtur, quæ à no-
 va Critice præscribuntur, ejus-
 modi esse regulas, quas quicum-
 que exactè observare velint, facile
 in vitia prolabantur, nisi fidei ac
 sinceræ prudentiæ ac pietatis au-
 thoritatè & vi in recti viam re-
 vocentur.

ARTICULUS SECUNDUS.

*An recentiores Critici verè jactent,
 sine Linguarum Orientalium, præ-
 sertimque Hebraicæ ac Græcæ peri-
 tia, novam Criticem, aut omninò
 aut perfectè possideri non posse: ne-
 que esse idoneos Sacrarum Litera-
 rum Interpretes, qui ejusmodi
 Linguas non plenè
 callent?*

Ante immissam à Deo super-
 bientibus hominibus nati-

væ, quæ unica omnium erat, lin-
 guæ confusionem ac divisionem,
 cum esset terra labii unius, & ser-
 monum eorundem, qui proxi-
 morum dicta aut facta criticè, &
 per conjecturarum ac præsumptio-
 num viam interpretari voluissent,
 id potuissent utique legitimè præ-
 tare optimo dumtaxat rationis usu:
 neque alio prorsus instrumento
 indignuissent ad ferendum rectum
 de alienis scriptionibus iudicium,
 si ea tempestate homines conscri-
 bendis libris operam quomodo-
 libet navassent. Ast, quoniam di-
 viso ac multiplicato plurima in
 idiomata humano sermone, singu-
 lis propè familiis singulæ fuerunt
 linguæ ita peculiare ac propriæ,
 ut ignotæ essent aliis, nisi eas la-
 bore & consuetudine addiscerent;
 inde necessitas ista profluxit, qua
 mortales cogimur vel ignorare
 quæ peregrinis vocibus prolata
 aut scripta offendimus, vel eos
 consulere, qui quæ nobis exotica
 & impervia sunt, nostro edisse-
 rant idiomate.

Hinc ambitiosiora quorundam
 ingenia, qui, si possent, nescire
 nihil vellent, nec facile acquies-
 cunt aliorum eruditioni ac peri-
 tiæ; ne compellantur decessorum
 de una in alteram linguam trans-
 lationes vel probatissimas absque
 critica discussione recipere, illis-
 que scrupulosissimam fidem suam
 sine proprio periculo accommo-
 dare, summis conatibus adnixa
 sunt ad eam linguarum notitiam
 pervenire, quæ ipsos constituere
 posse videatur reliquorum mortu-
 lium

lium præceptores ac magistros. Porro ambitio hæc nota est velut characteristica illorum Grammaticorum, qui novæ Critices culmen tenere cupiunt, & suprâ omnes, qui sunt & dicuntur sapientes, extolli volunt.

Hi, non ut primitivi humani generis parentes, famæ suæ turrim erigunt, suumque nomen celebrant, cum una cuncti lingua loquuntur; sed postquam loquelas multiplices vel didicerunt, vel didicisse præsumunt. Neque enim usque adeo dociles & simplices esse debemus, ut perfectam jactantibus linguarum cognitionem protinus credamus: facile quippè est, ut fastosa & arrogancia ingenia imperitis fucum faciant, & liberaliter mentiantur, in quibus falsitatis redargui & convinci non nisi agrè possunt. Fama est, Postellum linguas quindecim; Thevetum viginti octo adeo perfectè possedisse, ut omnibus expeditissimè loqueretur. Sed, uti quidam Criticorum ait apud Mencken. hi duo ejusmodi terræ filii erant, qui verbis sæpenumerò Sydera pulsaturi, re ipsa ut plurimum parum præstare valebant. Quid autem Josephi Scaligeri jactantia aut arrogantius aut stolidius? Is ne unicam quidem seignorare linguam gloriabatur, quem propterea haud illepide amandares ad illos septimi Coeli habitatores, de quibus impostor Mahumedes impudentissimè effativit, *singulos nimirum habere septingenta millia capitum, & in quolibet capite septingenta*

millia ora, & in quolibet ore mille septingentas linguas, laudantes Deum septingentis millibus idiomatibus. Mittimus multilinguam Protestantium catervam, qui uno quidem ore, sed idiomate multiplici, non Deum, sed se ipsos laudant & commendant. In his suorum opinionone eminent Mullerus, Taubmanus, Kirstenus, Schurmanius, Ludolphus, Heideggerus, Pfeifferus, Acoluthus, Drusius, Grotius, & alii innumeri, plus minusvè famosi, qui pluris facere solent polyglotias laudem, quam aureas Pactoli arenas, aut Croesi divitias.

Quoniam verò paucorum est peritia linguarum, si cum nescientibus conferas, qui ejusmodi studium sectantur, arrogantia turgere passim deprehenduntur; & cum unam fortè, alteramvè leviter degustaverint, (ajebat Vandalus quidam Criticus de grege Protestantium) omnes devorasse, ac perspectas se habere hoc impunius gloriantur, quo rarius suam inscitiam prodi vident. Unus apud Plinium Mithridates multigena linguarum cognitione excelluit: at diebus nostris merces ista in quolibet septemptrionis angulo Grammaticis familiares esse solent, si iisdem testibus fidem non deneges. Ex his aliqui adeo se jactant linguarum divites, ut multos ceteros reputent, infantem verò vel disertissimum Hieronymum, qui ab illis sæpius durius vapulat tamquam semidoctus, vixque non imperitus alphabetorum

sermonis Hebraici, Syriaci, Chaldaici & Arabici, quos optimo ingenio, ac summo ardore, à præstantissimis magistris discere expetivit.

Porro dignissimi jactatores hi essent, qui præficerentur magno Synedrio Jerosolymitano, cujus olim Præses, ut Maymonides nugatur, septuaginta duabus linguis omnibus terrarum nationibus, in totidem dialectos divisis, responsa dare solitus erat; vel qui adscriberentur societati fratrum rosæ crucis, de quibus Naudæus in *Hist.* pag. 99. refert, inter stupenda eorum mendacia, hoc quoque celebratum, quòd scilicet in universo terrarum orbe dispersi, ubique tamen linguam habuerint propemodum vernaculam, & usque adeò familiarem, ut in ea nati viderentur atque educati. Putaverint fortassè qui hujusmodi homines sunt, de ipsis Apostolum locutum, cum homines veluti ex suppositione, tacitè commemoravit, qui *linguis hominum loquerentur & Angelorum*. Quid ni! si vel ipsam Dei loquelam soli ipsi in Scripturis sanctis agnoscunt, soli ab humanis verbis probè discernunt, soli quid Deus ipse suis illis verbis significare voluerit benè capiunt. Ceteri, ut isti blaterant, ad eloquiorum Dei interpretationem penè cæcutiunt; & vel sensus eorum genuinos minimè intelligunt, vel integros etiam libros humana solum industria, & fallaci non semel calamo exaratos, pro Divinis & Canonicis nobis

obtrudunt. Credères; linguosos illos homines intimos Dei fuisse Consiliarios, nisi adeò discordes, sibi que repugnantes in ipsa sermonum Dei expositione invenires. Putares, in tertium Coelum raptos, ibique arcana verba audivisse, nisi videres, nihil ipsos buccis crepantibus eructare, quòd profana eruditione Grammaticorum majus sit ac sublimius.

Vvalæus ap. A catholicos haud infimi subsellii sapiens existimasse dicitur, eos, qui nimium studii, nimium operæ linguis impendunt, rarò solere severiores Disciplinas capere solidè, & in eas profundè penetrare: cujus rei rationem, qui Vvalæi vitam conscripsit, in hunc modum designavit: [Linguae (inquit pag. 606.) superbæ sunt, solæ coli volunt, nec aliarum Scientiarum servitio discentis animum patiuntur occupari; tantum in memoria consistunt, nec ullam eum rebus similitudinem habent, qua eum in sui notitiam deducant, aut initiata cognitio possit promoveri.] Hoc veraciter dictum satis superque magistra experientia probatur. Vix enim unum vel alterum reperire est hominem linguarum peritum simul & solidè doctum. Si qui verò cum cognitione linguarum vastam quoque rerum notitiam conjunxerunt, hi sophistæ potius quam veri sapientis imaginem expressisse inventi sunt, incidisseque in absurdissimas opiniones, nec tam vera aut probabilia, quam fucata & fallacia docuisse. Superbæ certè sunt lin-

linguæ, & quas nullus hominum domare potest. Dominantur enim iis, qui eas habent: & cum garfulos & arrogantes, ceterorumque contemptores efficiant, ineptos reddunt ad placidam & tranquillam veritatis contemplationem, sine qua nemo prorsus scientificus sapiensque evadit.

Neque propterea quis nos existimet studium linguarum aut absolute noxium, aut saltem non laudabile judicare. Extrema, quantum fieri potest, in omnibus vitari cuperemus. Et, sicut eos damnamus, qui non nisi multifariam loqui tota vita discunt, & hoc uno studio felicissimos ac sapientissimos se credunt; ita & eos laudamus, imò impense colimus, qui solido & accurato scientiarum utiliorum studio, linguæ Græcæ, & præsertim Hebraicæ cognitionem addiderunt, eaque sobriè ac modestè ad illustrationem quorundam locorum Sacræ Scripturæ utuntur. Qui hoc spiritu sacrorum idiomatum studio incumbunt, non nihil utilitatis ex eo haurire possunt, licet non illos uberrimos fructus colligere, quos se habere jam præsumunt, & nobis promittunt, qui Græcè, & Hebraicè loqui eo fine didicerunt, ut Veteres probatasque Ecclesiarum consensu Translationes privata scientia & autoritate corrigant, ac sapientissime corrumpant.

Phereponus, qui unius linguæ Hebrææ necessitatem adeò exaggerat, ut eos, qui ejus ignorantie laborant, vel perfecta cogni-

tionem non pollent, à munere & officio Interpretum arcendos omnino censeat, numquam hætenus probavit, aut probare deinceps poterit, meliora & utiliora esse, quæ recentes hebraizantes nobis quotidie tradunt, quàm quæ ab Antiquis, & ab ipsa Romana Ecclesia accepimus. Vel inter ipsos Veteres Patres qui Hebraicè docti fuerunt, non ob id, quantum ad cognitionem Christianæ legis, tum ad Mores, tum ad Dogmata, & præcipua Disciplinæ capita plus excelluerunt, quàm reliqui Patres, quibus solius Versionis in Ecclesia receptæ cura fuit. Quis Origene in Hebraicis literis eruditior? Et quis simul ad sinceram Divinæ Scripturæ explanationem sapientissime ineptior? Epiphanium Critici non negant Hebraicè scivisse, & tamen crebrò improbant eruditionem ejus ac sententias. Fatentur etiam Hieronymum inter Veteres Hebraicè fuisse doctissimum, ipsius nihilominus interpretamenta identidem rejiciunt, nec raro risui & contemptui exponunt. Scilicet, recentiorum Criticorum opinio, vel error potius est, cum Hieronymus modernæ Critices ignarus fuerit, non eum potuisse tam egregia ac necessaria arte destitutum, ad eam consurgere Hebraicæ linguæ cognitionem, quæ plena ac perfecta dici jure valeat.

Talis tantaque cognitio uni Critices novæ studio debetur, ad hujusque Regulas exigenda est versio omnis, si probanda sit tamquam

aurum in fornacè. Ita quidem Critici censent, qui nimirum sibi plaudunt de absoluta peritia sacrarum linguarum. Nec sciunt miselli isti sciolii arborem ex fructibus agnoscere, cum tamen nequeant ignorare ex quo in Septemtrione prævaluit ambitiosum exoticarum linguarum ac præsertim Hebraicæ, Syriacæ & Arabicæ studium, confusa penitus esse omnia ac turbata, talem tantamque inductam in rebus Fidei & Religionis Christianæ divisionem, qualem quantamque passim non sunt ædificatores Turris Babel. Instabilis ibi est norma credendorum, ac novi quotidie articuli conduntur. Novæ hæreses antiquioribus succedunt, & quæ extinctæ videbantur jam ac sepultæ, denuò suscitantur, & animosius defenduntur. Procu-
duntur nova, sibi que pugnantia hebdomada qualibet Biblia: & cum singula Laudatores nanciscantur, qui etiam jurare audeant, archetypo ad amussim respondere, sola vulgata nostra Latina despecta ibidem jacet, vixque inter corruptissimæ profanæque doctrinæ Libros postremum locum invenit. Hæc, & si pejora sunt, cum frequentissimè contingant in illis cultissimis regionibus, deliros homines loqui existimes, cum dicentes audis: *Nos exactius ac melius, cum linguarum Critices peritissimi simus, verba Dei, & germanos eorum sensus dignoscimus & interpretamur, quam veteres Patres in his rebus planè ineruditi, vel eruditi modicè solummodò ac per-*

functoriè. Benè ergo sit, quòd tantum sibi tribuant, qui non alieno, sed suomet judicio metiri sese volunt. Sed cur & ipsi super germana Scripturarum intelligentia, & rebus, quæ non parerga, sed præcipua, summèque substantialia Religioni esse certissimè noscuntur, interminabiles foveant scissuras? Cur in re tanta dissidentium nullus aut alium vincit, aut ab alio victum se agnoscit? Quomodo tot discordiæ regnant, ubi summa viget primigenii Textus peritia? Cur ad conspectum tam potentis Caducei (si hoc nomine digna sit, quæ perfecta jactatur Hebraicæ linguæ cognitio) tot adhuc sectæ oppositæ de novo exoriuntur, & intestinis præliis tumultuantur? Cur è tot sapientibus ne unus quidem Mercurius exurgit, qui tutam ad salutare veritates viam demonstraret? Cur saltem nos Catholicos, & eos præsertim, qui inter nostros etiam Hebraicè sapiunt, præclarissimi præceptores ab antiqua Patrum suorum sententia non movent, vel quicquam, quod melius sit, iisdem persuadent?

Verendum sanè, quinimò credendum est firmissimè, parum certè vel nihil utilitatis Ecclesiæ Christi attulisse cantatissimam neocriticorum eruditionem: & quatenus permittamus (quod numquam concedemus) consumatos esse atque egregios in re Hebræa Grammaticos, clavemque proindè habere, qua referari possint secreta Divinæ Scripturæ, op-

timè in ipsos quadrare minimè ambigimus, quod de Hebræorum Doctoribus veritas Christus lamentabatur, dicens Luc. c. II. v. 52. *Vae vobis Legisperitis, quia tulisti Clavem scientiæ, ipsi non introistis.*

ARTICULUS TERTIUS.

Ostenditur Hebraica linguæ peritiam, quantalibet fingatur ac jactetur, medium esse insufficiens ad hauriendam germanam & genuinam Sanctarum Scripturarum intelligentiam; atque adeo omninò esse necessarium Traditionis subsidium, & cor humile, diligens, pium ac devotum.

QUAMVIS neocritici nimum sibi blandiantur de absoluta linguæ Hebrææ cognitione, & videantur plurimum audere, certissimasque ex Hebræo versiones promittere, fumos tamen vendere, & splendide necdum nobis, sed & sibi ipsis mentiri, satis, nifallimur, constat ex dictis, luculentiusque ex mox discendis constabit. Nemo est qui diffiteatur, talem tantamque esse Hebraici sermonis difficultatem, ambiguitatem atque incertitudinem, qualem quantumque mortalium nullus, vel summo labore & industria superare potest. Interclusa est via omnis, per quam quis posset ad perfectam ejus cognitionem pervenire. Nullus ad eam communicandam, menti que ingerendam

magister idoneus. Si præsumptionibus committenda res foret, Rabini grammatici aptiores ad id munus, ceterisque præferendi viderentur. At neocritici acerrimè refragantur, apertèque negant, fieri posse, ut iis præceptoribus quisquam valdè proficiat, quini-mò in pluribus non insigniter decipiatur. Laudantur perisæpè etiam apud Christianos Viri Hebræi Grammatices, ut ajunt, peritissimi; atque de eorum numero tamquam præcipui & excellentiores commendantur Judas Chiug, sive Jehuda Palsi, qui à Davide Kimhi, in *Præf. Libri Michol*, caput dicitur, & dux Doctorum & Instauratorum linguæ sanctæ: Jonas Aben-Essæ, sive Ezra Hebræo-Hispanus, cognomento sapiens, ac hominum suæ sectæ planè Literatissimus: David ipse Kimhi, qui ad docendum cunctorum aptissimus vel à neocriticis passim prædicatur: Elias Levita, qui optimus Hebræorum Criticus habetur, quique Chaldaicas paraphrases intimè calluisse dicitur: & alii nonnulli minoris famæ.

Ceterum, licet videatur non immeritò commendari velut domesticæ, & in re propria istorum peritia, non uno tamen ex capite eadem creditur & valdè imperfecta, & plurimis erroribus obnoxia. Imprimis, quæ vulgò extollitur, præfatorum Rabbiorum Hebraicæ rei scientia, Antiquitatis commendatione caret, nec deducta probari potest ex perpetua, numquamque interrupta successio-

sione magistrorum ejusdem Gen-
ris : nam Hebræorum grammati-
corum nullus sæculo Christi VII.
antiquior esse invenitur , & eo-
rum plures , iique insigniores XII.
XIII. & XVI. vixerunt. Ante hæc
tempora , & ætate Judæ Chiug,
qui Hebraicarum literarum Inf-
tauraturator habetur , perversa erat
in ore hominum , corruptaque ad-
modum lingua sancta , ut totidem
verbis David Kimhi affirmat. Quis
porro credat unius Rabbini inge-
nio & industria linguæ, quæ ad ni-
hilum penè redacta tunc erat , ut
loquitur Richardus Simonius lib.
3. *Crit.* plenam cognitionem inf-
tauratam fuisse ac restitutam ? Præ-
tereà , cum Peritissimi quique tes-
tentur , utròque fateantur , in-
numerabiles esse in Hebræo voces
ambiguæ , multiplicis & incertæ
significationis & potestatis , instar
prodigii fuisset , quòd hæc omnia
potuisset aptè , foeliciterque de-
terminare labor & industria vel
solertissimi & ingeniosissimi ho-
minis.

Rursus , Hebræorum magistros
linguam de lingua didicisse , hoc
est , cum plurimarum vocum He-
bræarum vim & proprietatem nes-
ciant, ex affine aliarum Nationum
idiomate mutuatos esse ipsarum
significationem ac potestatem,
Rabbini ipsi produnt ap. Morinum
Exerc. Bibl. 6. c. 5. Neque puduit
Davidem Kimhi palam profiteri,
ignotum fuisse Rabbini quidnam
vox Hebræa *tatitha* significaret,
quousque ancillam audierunt sco-
pas eo vocabulo exprimentem;

similiterque nescivisse ; quid He-
bræis esset *jehabca* & *jobela* , usque-
dum ex Arabe mercatore didice-
runt , primum significare , onus
camelo imponere ; & ex rustico
in agro Arabiæ errante , per se-
cundum indicari arietem. Quid
autem perfectionis & securitatis
accedere potuerit Hebræicæ lin-
guæ , ex similibus fontibus casu &
fortuito haustæ , quis , cum men-
tis compos sit , perspicuè non vi-
det ? Præterimus immania & ab-
surda planè ac superstitiosa He-
bræorum errata , partim orta ex
inanibus Veterum traditionibus,
partimque desumpta ex Masore-
tharum , Cabalistarum & Talmu-
distarum nugamentis & insomniis:
quæ omnia & singula homines pa-
rum alioquin scientiis & artibus
excultos , atque hostes Christi ju-
ratos , suspectissimos utique red-
dunt , prorsusque ineptos magis-
terii muneri efficiunt: Quare non
procùl à vero abesse nobis visus
est Joannes Forsterus , homo inter
Protestantes Hebraicarum rerum
callentissimus , cum in *Pref.* sui
Lexici Ling. Hebr. scribit : [Quod
ad Sacræ Scripturæ intelligentiam,
atque etiam Hebrææ linguæ cog-
nitionem attinet , præstiterunt
(Rabbini grammatici) quod lau-
dem mereatur, omnino nihil. Nam
Dictionaria & Commentaria ipso-
rum plus obscuritatis & erroris in
Ecclesiam Christi invexerunt,
quàm lucis & veritatis.] Nec me-
liora de istis tradit , sive Protec-
tantes alii , qui in evolvendis
Rabbinorum Libris vitam insump-
sere

Tere ferme omnem; vel etiam Orthodoxi Viri Hebraicè docti, & melioribus ad ferendum de similibus judicium dotibus præditi.

Jam verò, si hæc dicere de Hebræa Rabbiorum Grammatica veritate ipsa cogimur, quid sentiendum nobis erit de neocriticorum Hebraica peritia, quæ tota quanta est (si novas & voluntarias ipsorum conjecturas demas) ex cænohis illis rivulis hausta negari non potest? Quidquid artis Grammaticæ nunc traditur in Scholis (ajebat ubi suprâ Simonius) depromptum fuit à Libris R. Kimhi, Aben-Essæ, Eliæ Levitæ, aliorumque recentiorum Judæorum. Hoc verissimè dictum, & à nemine negari potest, nisi quis contendere velit, Hebræam linguam, quæ hodie in Scholis traditur, & in Septemtrionali plaga operosissimè docetur & discitur diversam ab antiqua esse, deberique neocriticorum inventioni. Et fortassè non pauca sint, quæ ipsi invenerint, & veteribus addiderint. Ea enim perspicacia industriaque pollent, qua deperdita vel corrupta post multa sæcula vocabula vel potuerint invenire, & in usum revocare, vel certè aliis à se noviter excogitatis supplere. Quo casu dubitandum meritò foret, an ea vocabula, verba essent linguæ sanctæ?

Quidquid ergo neocritici contentiosius conentur, fateantur necesse est, non eos sinceram Hebræorum linguam è tenebris eruisse, & suoapte ingenio in apertam

lucem emisisse; sed ipsammet, quam Hebræi magistri vel à Majoribus suis acceperunt, usuque & exercitatione conservarunt, vel quam conquisitis hinc indè adjumentis condiderunt, hanc ipsos aut facilius aut laboriosius didicisse, & vel uberius vel parcius adeptos esse. Ex iis fontibus, cum puriores non suppetant, suam qualemcumque in re Hebraica eruditionem hauserunt, quotquot majori vel minori delectu suas de eodem argumento lucubrations adornarunt. Neque enim aliundè desumpta sunt Hebrææ Grammaticæ Edmundi Castelli, Georgii Mayre, Thomæ Dufour, Thomæ Erpenii, Clenardi, Christiani Noldii, Ludovici de Dieu, Joannis Buxtorffii, Simonis Glafsii, Sebastiani Munsteri: item Dictionaria seu Lexica Alphonsi Zamoræ, Jo: Reuchlini, Sanctis Pagnini, Jo: Forteri, Jo: Coccaei, Jo: Buxtorffii, Marii de Calasio, Conradi Kircheri, Georgii Vaforis, Eliæ Hutteri, Friderici Lankis, Philippi Aquinatis, Andreæ Plati, & Jo: Leusden. Hæc & similia plurima opera sub Institutionum, Rudimentorum, Exercitationum & Concordantiarum Hebræarum titulis vel à Catholicis vel ab Heterodoxis publicata, si quæ continent præter ea, quæ memorati tradidere Rabbini, aut deprompta sunt ex priscis & probatis versionibus, quarum nulla vulgata nostra Latina purior est, melior aut tutior, vel fallibilibus conjecturis ac defectibilibus regulis innuntur-

tur.



tur, quæ multiplices sunt ac di-
 versa, & hæ ab illis, illæ ab aliis
 receptæ ac probatæ. Similiter quæ
 de Hebræorum genere, origine,
 moribus, Religione, Sacrificiis,
 locis sacris, Tabernaculo, Tem-
 plo, Synagogis, Festis, Personis
 sacris, Sacerdotibus, Levitis, Re-
 publica, Politia, Legibus, Tradi-
 tionibus, Magistratibus, Tribu-
 nalibus, Ritibus, Vestibus, Cibis,
 Domibus, Connubiis, Funeribus,
 Luctibus, Mensuris, Sectis tradi-
 ta, & fuisimè exposita apud bene
 multos Scriptores & præsertim
 Protestantes leguntur, universa
 hæc vel collecta sunt & delibata
 ex ipsa Sacra Scriptura; vel non
 alios sponsores habent, nisi aut
 recentiores Rabbinos, aut anti-
 quiores & graviores rerum He-
 braicarum Illustratores, Philonem
 & Josephum. Ad hos magistros
 necessario sunt revocanda quæ-
 cumque huc pertinentia in Scrip-
 turis Sanctis minimè continentur,
 & tamen veluti aliundè accepta
 afferuntur à Raymundo Martini,
 Petro Galatino, Paulo Riccio,
 Francisco Vatablo, Paulo Fagio,
 Francisco Junio, Aria Montano,
 Tremellio, Genebrardo, Andrea
 Masio, Mercero, Drusio, Grotio,
 utroque Buxtorfio, patre & filio,
 Simone de Muis, Coccio, Schmi-
 dio, Vagenselio, Seringhamio,
 Peringero, Gaumino, Uchtmano,
 Rittangelio, Pocokio, Constanti-
 no l'Empereur, Uvielmo Schie-
 karlo, Seldeno, Ligfooto, Thoma
 Goudino, Pfeiffero, Samuele
 Bocharto, utroque Capello, Clo-

penburgo, Altingio, Sigonio, Ri-
 bera, Villalpando, Serario, Bon-
 frerio, Ayrolo, Lamio, Calmeto,
 & aliis.

Cujuscumque hæc generis sint,
 vel authenticis Bibliorum versio-
 nibus consonant, & ea in illis aut
 clarè aut implicite contenta ha-
 bemus; vel eruta fuerunt è Libris
 Hebræorum, Talmude, Gramma-
 tics, Commentariis, Historiis,
 atque sunt proinde modicæ aut
 nullius firmitatis. Quis enim nes-
 ciat, quàm sint Talmudica &
 Rabbinica vana, nugatoria, ab-
 surda, impia & falsa: quantum-
 que distent à via rationis & veri-
 tatis? Et quamvis similia Chris-
 tiani Tractatores soleant diligen-
 ter expurgare, & ea seligere, suis-
 que operibus inserere, quæ sine
 noxa studiosos erudiant, non ta-
 men certa reddere possunt, quæ
 infirma nimisque suspecta autho-
 ritate nituntur, & nulla veteri tra-
 ditione roborantur. Horum pro-
 fecto fides semper apud cordatos
 nutabit, & vel cum speciosa &
 verisimilia adducere nobis vide-
 buntur, suspectos nos, minimè-
 que securos relinquent: nam ex
 ore mendacium nec ipsa veritas
 absque formidine suscipitur; &
 qui vincuntur fallaces fuisse in
 rebus maximi momenti, nec in
 minimis nostram jure exigunt cre-
 dultatem.

Porro neocritici, qui turbidas
 hæc lacunas, dissipatasque cis-
 ternas frequentant avidissimè, &
 puriores quoscumque fontes fe-
 rè negligunt, aut interdum cor-

rumpunt, limpidissima doctrinæ & eruditionis fluentia offerre nobis non dubitant: tamquam si Regularum suarum potestate & usu, more Alchymistarum, verum è falso extraxerint, certa ab incertis, aurum denique purissimum è impurissimis metallis. In Hebræorum Grammatica difficultas est aut ferè aut omninò insuperabilis, quæ ex diversis modis scribendi & enuntiandi eandem vocem procedit. Tanta est hæc diversitas, ut, Morino teste, vox *dabar* octo modis scribatur & enuntietur, qui res nimium diversas significant. At nihilofeciùs Viri isti, qui instinctu suo aguntur, quosque suæ Critices Regulæ raro vel nunquam fallunt, facillimè huic difficultati occurrunt, optimèque discernunt, ubi & quando confimiles voces diversimodè enuntiables, hoc potius quam illo modo scribi & enuntiari debeant, atque exindè nullo negotio venantur opportunum vel indifferentissimæ vocis sensum.

Vocalia puncta & accentus, quibus linguæ Hebraicæ lectio & pronuntiatio constantior redditur, à quibusque maximè dependet determinatus sensus verborum; ita ut si puncta immutentur, sensus etiam ac vis sententiæ invertantur, atque notæ generis, temporis, numeri, &c. pariter alterentur; vel à Masorethis Judæorum, qui in Urbe Tyberiadis Doctores fuerunt circa annum Christi quingentesimum, utilissimo, ac mirabili planè labore pri-

imum excogitata sunt, quod probabilior fert opinio scriptorum; vel originem habuere communem cum Alphabeto ipso linguæ Hebraicæ, uti contendit R. Azarias cum aliis Rabbini; vel revelata à Deo Moyfi fuerunt cum ipsa Legge, sicut Reuclino lib. 3. *De placitis Cabalæ*, aliisque magistris Judæis placuit; vel denique inventa fuerunt aut instaurata, si à principio eorum usus viguit, ab Esdra, aliisque Doctoribus magni Consilii, quemadmodum creditur vulgò apud recentiores Hebræos. Ut ut sit, certum non est, puncta vocalia industriae humanae opus esse; & quatenus majore authoritate non fulciantur, credere oportet, qui ejus rei authores extiterent, eos nihil ulterius præstitisse, (verba sunt P. Honorati *Reflex. Crit.* Tom. I. Dissert. V. art. 7.) quam notarum istarum præsidio id statuere, quod usu, ab antiqua Traditione manante, ipsorum temporibus invaluerat. Unde vel ipse Simonius, qui longè doctiorem quam veteres quique Hebræi, & antiquiores Ecclesiæ Patres, aptioremque se existimat ad novam condendam ex primigenio Textu versionem, præcedentibus, & ipsa Vulgata Latina accuratiorem & exactiorem, non renuit asserere Lib. 1. *Hist. Crit.* c. 77. pag. 148. col. 2. majori habendam in pretio hanc Judæorum Masoram, quæ ab Hebræis quoquomodo descendit, quam si ab aliis descendisset; quatenus ratio scribendi & pronun-

tiandi alicujus linguæ ab aliis addisci nequit, quàm ab iis, qui eam scribendi pronuntiandique consuetudinem habent. Neque enim credibile fit, ut idem Criticus subjungit, Masorethas aliter Libris Legis Puncta affinxisse, ac in Synagogis per ea tempora legabantur: neque hac super re Judæi in suspicionem cadere possunt, quemadmodum super aliis Fidem attingentibus caderent. Et profecto Aben-Esra sapiens Judæus animadvertit, nihil Doctores Tyberiadis præstitisse, quàm id statuere, quod diuturna Traditione multo ante receptum erat; atque non secus textum Hebraicum distinguere, ac ab Esdra, & magni Consilii Senatoribus tum lectum erat atque distinctum. Hoc tantum uno utriusque differunt, quod illi Puncta Accentusque posuerunt, ut constans esset ab his primo constituta moderatio. Atque hinc Simonius concludit: [Hæc Traditio, quæ ad Puncta pertinet, adeo certa & firma videtur, ut secta Caraitarum sive Judæorum purorum, qui universas Rabbinistarum falsas Traditiones tamquam deliramenta rejiciunt, Masorethica tamen Puncta recipiat, & præsentem lectionem non minori, quàm Judæi ceteri, accuratatione sequatur.]

Prudenter ac temperanter dicta hæc esse videntur, nihilque apparet rationabilius, quàm ubi tutior via non occurrit, ab Hebræis Hebræa repetere; ne si alia ratione velit quis Hebraicè sapere, illud

ei accidat, quod absolutam Sinicæ linguæ cognitionem jactanti in Europa contigit. Is Lipsiensi Bibliothecæ Senatoriæ tamquam peritissimus linguarum Præfectus fuerat constitutus, cumque ex officio teneretur recto ordine libros per materias collocare, inter opera Medica vir Sinicè scientissimus Chinesem codicem posuit, quem vix inspectum Historicum esse agnovit, qui aliquantulum tinctus erat peritia ejus linguæ. Non absimile est quod de viro celeberrimo & in multis apprimè erudito, cujus nomini parco, memoriæ proditur ap. Mencken. *De Charlatan. Erudit.* pag. 92. Edit. Lucens. ann. 1726. Ediderat is plurima, & ut vulgò creditur, præclara Chinesis linguæ & doctrinæ specimina; at cum non omnes facile crederent eorum Authorem fama sua æqualem, ex illis unus Scriptoris egregii amicus familiaris obtulit ipsi chartam bombycinam, quali Chineses utuntur, miris caracteribus insignem. His explicandis cum multum operæ & olei impendisset optimus Chinesis linguæ Interpres, amicus denique impostor vani laboris pertæsus, ultrò papyrum speculo admovit, statimque Interpres indignè se deceptum deprehendit, cum ista literis Longobardicis retrorsum pictis Schedæ inscripta legeret: *Noli vana sectari, & tempus perdere nugis nihil proficientibus.* De hoc ipso gravi ac perdocto aliàs Viro ap. præcitatum Scriptorem narratur, Romæ lasciviusculos quos-

quosdam adolescentes, qui no-
verant brevi excitandum in Urbe
ædificium, voluisse experiri, quan-
ta esset revera nobilis hujus Anti-
quarii peritia; eoque sine scabro-
sum in eodem loco saxum defodi-
curasse, quod miris nonnullis, &
ad libidinem excogitatis figuris
ludrico artificio deformarunt.
Quid dein fit? Jaciuntur funda-
menta novi operis; tollitur lapis,
novum vetustatis monumentum,
ipsa sui integritate admirandum:
quæritur OEdipus; itur ad Anti-
quarium nostrum. Is verò, viso
saxo, tripudiare præ gaudio visus
est, expositoremque agere illius
Scripturæ, quæ nihil penitus sig-
nificaret. Paria his sunt, quæ de
Gronovio maximo ostentatore re-
feruntur.

Verum his omisis, ne longius
extra argumenti nostri terminos
distrahamur, ad novitios Criticos
Literarum Hebraicarum Reforma-
tores sermonem revocemus; vi-
deamusque, an & ipsi, non tam
quæ verè in sacris paginis scripta
sunt, quamquæ libera & legibus
soluta phantasia imaginantur, frus-
trà interpretari conentur. Hi ete-
nim, ut supra Hebræos in re sua
eruditissimos, & ceteros quos-
cumque priscos Doctores Hebrai-
cè apprimè gnaros, videantur Di-
vinas Scripturas posse intelligere,
& Translationes universas hæud
sibi benè visas emendare, atque
in novos & peregrinos sensus de-
torquere, nolunt coarctari Maso-
rethicus notis & punctis; sed sive
hæc Divinitus fuerint instituta, si-

vè vestutissima magistrorum Ju-
daicæ gentis Traditione firmata,
liberum sibi esse volunt, ea ne-
gligere, mutare, & pro exquisi-
tissimo suæ Critices gustu, sua-
rum conjecturarum ope hinc inde
transferre. Sunt etiam nonnulli
inter neotericos Hebraizantes,
qui licitum utileque putant, ne-
dum antiqua Puncta immutare, si
modo id fiat cautè & circumspec-
tè; nempe, cum authoritas veterum
Interpretum mutationi suffraga-
tur; vel mutatio ipsa conformis
est Codicibus non malæ notæ; vel
denique cum bonæ rationes id vi-
dentur exigere, quo melior sen-
sus eliciatur: verum etiam eadem
Puncta tamquam non necessaria
prorsus omittere, & ad Masore-
thas ipsorum Inventores amanda-
re. Hac imbutus opinione Gallus
Masclef, Canonicus Ambianni,
anno 1716. Parisiis edidit in 8.
Grammaticam hebræam à punctis
aliisque inventis Masorethicus li-
beram: Ubi contendit, non tan-
tùm Hebraicam linguam, sed &
Libros Hebraicè scriptos legi pos-
se sine punctorum vocalium au-
xilio, Ope Regularum, quas ma-
ximus hic Hebræorum Doctor,
post elapsa tot sæculorum curri-
cula, novissimè tradit. Sed ad
quid magnum & arduum potens
non sit Vir apprimè Criticus, vel
reconditissimarum rerum sapore
præditus? Et forralsè non diffi-
culter ignaros nos fallerent scien-
tissimi isti homines, si una lin-
gua, unaque sententia loqueren-
tur; sed cum alii alios ignorantia
re-

redarguant, vixque unus cum altero consentiat, tam justum est illis non credere, quam esset injustum dissentientibus testibus fidem præstare. De natura autem novarum Regularum, quarum legitimo usu, lingua Hebraica, qui diuturna oblivione extincta fermè jacuerat, non solum plenè, ut isti dicunt, instauretur, sed etiam cumulatissimè perficiatur, non est cur multa verba faciamus, tametsi per plura dicere possemus. Versionum & interpretationum monstra, quæ quotidie prodeunt ad eas Regulas exacta, clarissimè nos admonent quid prudenter cogitare debeamus de earumdem qualitate.

Ulterius, cum vel ipsi Critici Hebraicè doctiores pro certo habendum esse statuunt, pleraque Hebraicæ linguæ verba penitus esse ambigua, eaque præsertim, quæ spectant ad nomina Animalium, Arborum, Plantarum, Mensurarum tam solidarum, quam liquidarum rerum, Gemmarum, Ornamentorum, Instrumentorum, Artium, Morum, Consuetudinum, &c. tantaque sit, quæ ex ea ambiguitate resultat, difficultas genuinæ & opportunæ interpretationis, quantam Septuaginta duo Seniores hebræi, & qui proximè illos secuti sunt, sacrorum voluminum Interpretes videntur non potuisse omnino superare; quandoquidem sapius isti ab illis discrepare inveniuntur circa expositionem similium vocum: qui modum sese invenisse gloriantur ejusmodi difficultatis extricandæ,

oportet, quòd vel plusquam homines ceteri sapiant, vel præ insanis universis desipiant. Ambigua esse dicitur vox Hebræa *Ochim*, quæ *Isaiæ* c. 13. v. 22. sonitus interpretatur in Textu græco, & Dracones in nostro Latino. Item vox *Lilith* ap. eumd. *Isai.* c. 34. v. 14. quam Septuaginta vertunt Onocentaurum, Latinus vero Interpretres Lamiam. Item vox *Megadim*, *Cantic.* c. 7. v. 13. quæ ap. Græcos nuces, ap. Latinum poma significat. Item vox *Jabalom*, *Ezech.* c. 28. v. 13. quam illi pro Smaragdo, iste pro Jaspide sumit. Denique vox *Ebach*, *Exodi* c. 35. v. 22. quæ armillam sonat in nostra Vulgata, sigillum in versione Græca.

Hæc & plurima alia Hebræorum nomina ambigua & incertæ potestatis & significationis erant ætate, qua primùm facta est Hellenistica Sacrarum Scripturarum versio: ambigua similiter erant ætate Originis & S. Hieronymi. Is, quo nemo doctior, nemo accuratior, nemo prudentior, nemo veritatis amantior & studiosior, ambiguarum significationes determinavit. Hoc præstitit, non temerè & oscitanter, sed summa cum circumspectione. Notum illi erat, si cuiquam alii, qua ratione voces illas Septuaginta duo Seniores interpretati fuissent. Plenissimè noverat quam interpretationem eisdem vocibus adhibuissent Aquila, Symmachus, Theodotion, Lucianus Martyr, & aliarum Versionum Authores. seu

seu Correctores, quarum altera Jericunthe sub Caracalla Imp. re-
 perta, altera Nicopoli sub Ale-
 xandro Mammææ filio. Non il-
 lum latuit quid circa easdem Ver-
 siones animadvertissent Origenes,
 Eusebius, Epiphanius, & si qui
 alii ante ipsum floruerant, qui fuif-
 sent meritò consulendi. Hebræo-
 rum exemplaria, quæ per illud
 tempus in veneratione erant, di-
 ligentissimè examinaverat. Quid
 apud Hebræorum doctissimos Tra-
 ditione receptum esset curiosissi-
 mè investigaverat: tandemque,
 accuratissima omnium discussione
 præmissa, eas ambiguum signifi-
 cationes selegit, probavit, ac
 ceteris prætulit, quas acerrimo
 suo iudicio, optimis rationibus,
 ac Scripturæ spiritui & contextui
 magis consonas esse invenit. Sed
 nihilominus erraverit quandoque
 Hieronymus, si humanitè rem
 tantam præstare aggressus fuit. At
 accessit postea Viri maximi sa-
 piëntiæ, diligentiæ & industriæ
 consensus Ecclesiæ, quæ iteratis,
 ac propè immensis curis magnum
 Opus discussit, perpolivit, & ad
 eam, quæ possibilis sapientissi-
 mis videretur, perfectionem pro-
 movit. Quid in hoc rerum the-
 mate Prudentia & Religio mo-
 nent? Quid iis, qui cum pietate
 dociles esse amant, suadent? Cre-
 dendum ne est, Ecclesiam verita-
 tis adeo sollicitam deseruisse Deum,
 & eam ostendisse turgidis Gram-
 maticis, tantilla humana scientia
 tumentibus, nullaque humilitate,
 & animi moderatione quærenti-

bus & pulsantibus? Et cum tot sint
 diversa & contraria hominum is-
 torum de eodem Sacro Textu ju-
 dicia, quænam potius Deo tribue-
 mus, cum dissentionum Deum
 non esse recta fide credamus?

Si neocriticos per os Simonis
 loquentes audire velimus, nullus
 extitit vel ævo Hieronymi fons
 Scripturarum purus, ex quo in-
 corruptum Dei verbum tuto quis-
 quam haurire potuerit. Origina-
 lia jam tunc non extabant, vel cer-
 tè latebant. Septuaginta duo In-
 terpretes caruerunt æquè ac nos,
 cum Versionem suam adornarunt,
 verò Archetypo; ipsumque He-
 braicæ scripturæ exemplum, quo
 usi sunt in condenda Græca Trans-
 latione suis, non minùs quàm nos-
 trum, vitiis scatebat, & fortassè
 frequentioribus depravationibus
 abundabat. Ipsi verò Seniores
 (ajebat Simonius lib. 2. *Hist. Crit.*
 capp. 6. & 13.) nimium sibi in ea
 interpretatione arrogarunt. Sæ-
 pius plusquam satis esset, Textus
 hebraici Literæ adhæserunt, &
 aliquando non habita sensus ratio-
 ne. Non semper accurate genui-
 nam sententiam elegerunt, tan-
 taque interdum obscuritate labo-
 rarunt, ut Literæ plus nimio in-
 sederint. Sæpè etiam verborum
 significationem, ultra receptam
 apud Hebræos consuetudinem, ex-
 tenderunt ac dilatarunt. Ex qui-
 bus omnibus Criticus infert, satis
 modica accuratione Versionem
 suam Seniores elaborasse. Et hæc
 est lata à neocriticis Censura in
 illud Opus vetustate & celebra-
 te

te venerandum, quod plures Ecclesiae Patres, & fideles ferme omnes superno afflatu perfectum crediderunt, ac per consequens Divinum existimarunt. Sed Critici oculatissimi, qui praeterita & longissimè posita, non secus ac praesentia & propinqua, acutissimè intuentur, videre clarè potuerunt post elapsa ferè XXI. saecula, perversa fuisse per id tempus cuncta prorsus Hebraici textus exemplaria: & ipsum Graecum Seniorum archetypum mille navis fuisse infectum, etiam cum primò prodiit ex ipsis septuaginta duorum Interpretum manibus. Quo autem medio, vel Critices novae artificio haec viderunt, qui nec Hebraea illa exemplaria, nec Graecum originale aut legere aut inspicere unquam potuerunt, ipsi viderint, si tamen cordate nobiscum agere voluerint, nec sibi ipsis repugnantia loqui. Profecto, cui authenticum Viralis, ut ajunt, Versionis exemplar nulla quit ratione esse exploratum, is nullatenus potest nisi divinando distinguere, quae & qualia, quae ejusdem dicuntur exempla, sint magis vel minus ipsi exemplari conformia. Et tamen neocriticis censoria, qua fungi volunt, in Republica literaria potestate, nihil cunctando, pro Tribunali definiunt è tribus, quae circumferuntur; Versionis Septuaginta Editionibus, Complutensi scilicet, Veneta & Romana, quae archetypo Textui propius accedat, quaeque ab eo recedat longissimè.

Tantum nempè hi possunt suarum ope Regularum! Quibus tamen nos haud majorem praestamus fidem, quam recentibus Pictoribus, qui quas Adæ & Evæ, Melchisedechi & Abrahami Imagines confinxere, eas proprias esse ac simillimas Personis, quas representant, vix non jurejurando affirmant.

Porro de antiquis aliis Translationibus nihilo magnificentius neocritici loquuntur. Illa Aquilae plenè barbara illis videtur, ac revera ejusmodi visa est Epiphano, qui ejus Authorem veluti incon-sultum & ridendum Interpretem excepit. Ea verò quam Theodotion adornavit, à Literæ sensu nimium recedere judicatur, hac scilicet de causa, quod ille eam interpretandi rationem fuerit sectatus, quae pluribus sit obnoxia erroribus: nec Symmachus, inquit, qui postremo loco suam condidit, ejusmodi scopulos vitare scivit. Ex quibus omnibus concludendum, ut morem neocriticis geramus, nullum purum ac sincerum Sacrorum Bibliorum exemplar ad Christianorum manus pervenisse, aut eo tempore in Ecclesia extitisse, cum novae Critices lux mundo exorta est. Hebraica exempla omnia, etiamquae ante salutiferum Christi D. ortum, in usu & veneratione erant, erroribus, ex Judæorum ignoratione falsisque Traditionibus procedentibus, abundabant: posteriora eò magis corrupta, quo plus à fonte distabant, eoque tempore confecta

fecta, quo major esset Hebræorum ignorantia, conceptaque jam ex odio in Christianum nomen malitia. Græcarum versionum nulla vel ab initio authentica; & quæ post Evangelii promulgationem proximè elucubratae fuerunt, non solum ineptæ erant ac mendaces, verùm etiam fraudulentæ, cum illos habuerint Authores, qui cum satis peritiæ non haberent, etiam essent jurati Christi hostes, nec alio fine scriberent quàm ut veritati adversarentur. Illibatiora utcumque æstimari possent duæ illæ versiones Græcæ, quas Origenes quodammodo probavit, cum Hexaplorum suorum binis columnis inseruit, nec quicquam de earum imperfectione monuit: at vel hæc apud neocriticos in fraudis suspicionem veniunt, cum jam ipsi (nescio quo teste) noverint, eas à suis Authoribus (non nisi neocriticis notis) tantummodò fuisse elaboratas, ut de autoritate Versionis ab Ecclesia probatae detraherent. Nec pius Lector existimet, cum hoc ex neocriticorum libris legit, eos saltem Versionem istam ab Ecclesia probatam, quæ & *Itala*, & *Vulgata Vetus* solet nuncupari, in honore habere. Hanc illi quoque non mediocriter contemnunt, ceterisque omnibus postponderent, nisi novam Vulgatam ab Ecclesia itidem probatissimam deteriores crederent. Denique de tribus versionibus, seu potius Græci textus Correctionibus, quæ Luciano, Hesychio, Pamphilo & Eusebio adscribi so-

lent, Criticorum censura est, egregios istos Emendatores, ab antiquo probatos, & in Ecclesia laudari solitos, Critices quidem non penitus ignaros fuisse, sed genus Critices nimium liberæ sectatos esse.

Hæc facies sanctarum Scripturarum Hebraicè ac Græcè conservatarum, cum lætis, ut inquit, avibus, detecta primum est exactissimæ Critices magna illa Ars. Latina dumtaxat Bibliorum exempla studiosi tum versabant: sed ea nimis perversa, & Hebraicis ipsis ac Græcis longè corruptiora. Perierat penè vulgata illa vetus Latina, quæ cum Latina ipsa Ecclesia nata esse videbatur. Verùm, si Criticis acquiescimus, nulla vel modica secuta est ex ejus amissione jactura. Ignotus erat ipsius Author. Quicumque autem ille fuerit, Opus confecerat à perfectione longè distans. Græcam versionem in pluribus vitiosam corrigere nullo pacto potuit, forte nec cogitavit. Una ipsi cura fuit, Textum Septuaginta corruptum totidem verbis reddere, ipsosque illorum barbarismos, ineptosque sensus conservare. De suo verò nihil ille adjunxit, nisi rudes penèque barbaras Hebraicæ linguæ Latinas interpretationes, per quas loca obscura difficiliora redduntur, & ambigua sinistrè explicantur.

Ab uno Hieronymo sanctimonie ac sapientiæ miraculo expectare prudentia jure debuisset opportunum tot malis remedium: sed, nisi falluntur Critici, frustra



Vir ille maximus tanto nixu conatus est priscarum Versionum faeces exinanire, & ex tot impuris puram aliquam & emaculatam facere. Sedit quidem arbiter inter dissidentes plurimos Interpretes; at major erat conciliationis & emendationis difficultas, quam quæ vinci ac superari ab uno homine, nondum moderna Critice inventa, potuisset. Non ille, inquiunt, habuit emendata sive Hebræa, sive Græca aut Latina, vel cujusvis alterius linguæ exemplaria, ex quibus quam potius reliquis præferret, nullam eligere potuit. Totum negotium, idque verè arduum, positum erat in obscuro: nec nisi ex conjecturis lux tantilla haurienda. His facile Interpreteres deceptus, iudicioque suo nimium arrogans, censuit, optimum fore consilium, si Literas Hebraici textus aliis commutaret, ut, quem credebat meliorem, sensum redderet. Ad hæc, nullam sibi certam legem constituit; nec suarum observationum tenax fuit: sed liberiori interpretandi rationi plus iusto addictus, nullam constanter securus est; modoque hanc tenuit viam, modo aliam; atque frequentius in eam abiit, per quam, non tam ad illa, quæ scripta erant, quam ad sensa, quæ pro modulo suo scrutabatur, citius rectiusque perveniret. Super hæc defecit etiam accuratatione, ob minorem meditandi consuetudinem, cui acerrimo Vir ingenio, multiformique deditus studio, facile se accommodare non potuit.

Vacillaret ergo magna ex parte summa Sanctarum Scripturarum Authoritas, nisi homines in mundo apparuissent Veteribus sapientiores ac feliciores, qui secum mirabilem Critices Artem adferrent, & omnia bona pariter cum illa. Surrexit Grammaticorum natio petulantissima, qui, excusso totius moderationis ac subjectionis iugo, opere & verbo dicerent, non serviemus amplius, neque Ecclesiam audiemus, neque narrationes Virorum nominatorum conservabimus; sed ruptis frænis, & laxatis habenis, divagabimur liberrimè: atque hæc una Lex erit nostra nullam Legem, quam gustus noster & instinctus non probaverit, agnoscere & revereri. Nos soli videntes sumus, & qui nos præcesserunt, & Grammatices & Critices laude non floruerunt, quamvis viderentur doctissimi, in præcipui momenti rebus tenebras palparunt. Hi, temere usurpata, quæ ipsis non competit, potestate, in alienam segetem falcem miserunt, sibi que indebitè arrogarunt Authoritatem ferendi iudicium super vera & genuina verborum S. Scripturæ interpretatione & sensibus, de quibus aptè & scitè judicare solum spectat ad nos, maximo Dei munere, Grammaticos & Criticos. Cum non sit, inquiunt, hoc loco negotium ad Fidem spectans, nostro in Tribunali unicè ventilandum est ac decidendum; nulloque modo quærendum aut expectandum in hujus generis rebus ab Ecclesia iudicium: quipè

pè non nisi nobis linguarum Peritis, & ex officio Grammaticis liberum est, de similibus authoritativè decernere, & inter variantes lectiones, quæ sit melior, ac sano sensui conformior, statuere; menda & errata, quæ vel ex ignorantia, vel ex oscitantia aut malitia primævo Textui irrepsere, corrigere; puraque Dei verba ab apochryphis & adulterinis, merèque humanis separare. Ad Ecclesiam tam non pertinet de his, quæ Grammaticorum & Criticorum sunt, iudicium ferre, quàm de Cœlorum & Planetarum motibus ac proprietatibus dijudicare.

Vox ista Protestantium quidem vox est, qua tamen loqui non raro solent, qui non sustinerent eorum gregi adnumerari. Protinus illi novis, quæ sibi tribuerunt, iuribus uti volentes, ceperunt Censores agere sacrorum Bibliorum, quorum brevi plurimas evulgarunt Translationes, immaniter ab invicem discrepantes. Fides, Traditio Ecclesiæ Catholicæ, Consensus Patrum & Doctorum orthodoxe sapientium, & Romanorum Pontificum atque Conciliorum Oracula frustra ab illis consulentur, quibus nihil in hoc negotio authoritatis attribuunt.

Unicuique Interpreti propria præjudicia potior & constantior Regula. Cæteræ huic uni accommodatæ. Si Lutherus Bibliorum Interpretem agit, Biblia ejus Lutheranismum ubique sonant. Si Calvinus audet Hebraica corrigere, quæ ferè non novit, errores

ille suos expressissimos ibi offendit. Si Clericus novam Editionem molitur, Sabellii ac Socini blasphemias pro verbis Dei scriptis venditare meditatur, idque re ipsa exequitur. Hiccine est fructus Criticæ libertatis? Hæc ne est Peritia Grammaticorum? Nempè, inter istorum insulsissimas, planèque ridiculas ineptias, satis illa insignis est, qua jactare feruntur, Deorum linguam se solos probè intelligere, notaque habere mystica & arcana nomina, quibus à Diis res quædam ipsis sacræ significantur. Hoc se ab Homero præclaro Critices Magistro didicisse tradunt. Quippè Divinus hic vates sepius Numinum vocabula alumnis & amatoribus suis revelavit, scriptumque reliquit in *Odysea* & *Iliade*, *Briareonem* sermone Divorum appellatum centumge-minum illum, qui periclitanti Jovi cum cælitibus suis suppetias tulit, Virum nempè *Ageonam* humana loquela nominatum. Item, quæ *Cymindis* à nobis vocatur avis, eam *Chalcis* nomine apud Superos insigniri. *Ichoris* pariter vocabulo Deorum cruorem appellari, qui in animantibus sanguis dicitur. Flumen quoque *Troadis*, in quo novæ nuptæ puellarem eluebant lascivo ritu pudorem, à viris *Scamandrum* dictum, à Coelitibus *Xanthum*. *Moly* insuper à Superis nuncupari famigeratissimam illam ap. Grammaticos & Poetas stirpem, quæ omnium veneficiorum & fascinationum potentissimum esse amuletum stultissimè jactatur.

Hæc quo nomine ab hominibus indigitetur operose nimis adhuc quaeritur à Grammaticis, qui cum fabellam loquentium Deorum noverint, humana tamen vocabula ignorant. Soli Cappadoces Divorum nomen retinuerunt, eoque inclytam illam Herbam significaverunt, quæ *Besasa* à Syris, ab aliis *Harmela*, *Sylvestris ruta* à Galeno nominatur. Eadem impudica voce ap. Ruell. lib. 3. c. 39. exprimitur. Quare autem mortalibus ardua res eam vellere, facilis verò Diis, qui omnia possunt, ut *Odyss.* v. 303. idem fabulatur Homerus, edidit more suo Plinius lib. 25. c. 4. scribens: [Inveni è peritis Herbarum Medicis, qui & in Italia nasci illam diceret, afferrique è Campania aliquot diebus effosam inter difficultates saxæas radicis triginta pedes longæ, ac ne sic quidem solidæ, sed abruptæ. Ab ea maxima authoritas Herbæ est, quam *Dodecatheon* vocant, omnium Deorum majestatem commendantes, & in aqua potam omnibus morbis mederi tradunt.]

Homerum Naso imitatus scientiam & ipse Deorum ostentavit, & posteros Humanistas docuit Metam. lib. 11. Fab. 10. *Icelon* à Superis vocari animantium rationis expertium somnium, quod *mortale Phobetora* vulgus nominat. Quantum verò Antiquorum magisterio juniores Grammatici in hoc genere eruditionis profecerint, adeò ut vel præceptores suos superarint, facile colligere est ex unius *Joviani Deificæ linguæ scien-*

tia, qui, quod Vетères non fecerunt, peculiare quoddam elocutionis genus inferis Diis attribuit, quod etiam nobis luculenter explicare novit in *Charonte*, *Scen. 6.* Ex eo disces, *halatiles ferrugineas* à Deo infero Charontè violas vocari; qui tamen quid *Ligustrum* sit nesciret, nisi Mercurius docuisset. Obsecro non sit Lectori grave Pontanum audire, ut miretur, vel rideat, qualis quantaque sit Grammaticorum Scientia. [Principio ait Charon: Quam grata Florum amœnitas! Ut *halatiles hæ sunt ferrugineæ!* Tum Mercurius, violas, inquit, eas mortales vocant: ex his sibi coronas faciunt, multoque miscent Ligustro. Cui Charon, quid est, obsecro, Ligustrum? Quod in margine illo, inquit Mercurius, tam candido & frequenti flore nitet. Charon ad hæc, *Albicantium* nostri vocant. Hinc Cyllenius: At quanto in pretio Flos is habetur, quem superi *Rosam* vocant? Remex huic Strygius: Videlicet, *roratilem* dicis. Subinfert mox Athlantiades: Age, illud respice, an quicquam totis his pratis illo tibi videantur Hyacintho pulchrius? Atqui ut scias, ait portitor, Flos ille lachrymulas mane mittit; hinc *Mærentiolunz* Olitores nominant. Nimirum & apud mortales, ait Caducifer, quædam habere notas doloris dicitur.]

Sed quorsum ista, dices, omnino puerilia ac vana, in re, quam hic versamur, omnium gravissima, planèque momentosa? Nempe,

pè, ut scientibus liqueat, undè fluxerit eximia illa & superna Grammaticorum peritia, qua soli ipsi efficiantur apti ac idonei Divinorum eloquiorum Interpretes. Quis enim jure competat Deificos explanare sermones, supernas exponere phrasas, verba arcana, & ænygmata Dei loquentis aperire, solvere, nisi Literatissimis his hominibus, qui linguas non solum hominum vario idiomate utentium, sed etiam Deorum superiorum & inferiorum probè noscere, & iis, qui scire cupiunt, aptè explicare potuerunt? Sed quam miserimè errant isti? Non enim est Deus noster, sicut eorum Dii, quorum mendacia ipsi mendaciter interpretantur. Illi os habent, & non loquentur: Dei autem nostri fidelissima sunt ac sapientissima Verba, eademque ignita vehementer; ita ut ejus qui illa, devoto ac pio studio scrutatur, cor etiam ardeat, nec delectur amplius frigida eruditione Grammaticorum. Hac ipsi nimium turgent & inflantur, & cum prudentes & sapientes non sint, prudentes sibi & sapientes videntur. Eos autem qui hujusmodi sunt verba Dei nostri confundunt, nam *cum simplicibus sermocinatio ejus.*

Absit ergo ut credamus, nisi & nos pariter insanimus, ineptissimos non esse Interpretes Verborum Dei viventis & videntis, qui vana sectantur, & divinant mendacia: qui loco Traditionis ab Ecclesia probatæ, proprii instinctus oraculum quasi Numen quod-

dam consulunt: qui novitatum cupidi, vetera fastidiunt: qui probatissima aspernantur, & quæ non noverunt Patres nostri docere nos nituntur: qui Scripturarum lectioni accedunt Criticæ curiositatis ac incredulitatis spiritu, non reverenter & instanter pulsando, ut illis aperiat Deus; sed curiosius investigando & dubitando, ut, quemadmodum Judæi olim Christum interrogabant, ut eum caperent in sermone, possint & ipsi invenire quod reprehendant, emendent & corrigant: Qui cum humilitate à Deo non quærunt, quem Deus dat parvulis, intellectum: qui convertuntur ad sanctarum studium Scripturarum, non fervida oratione ad Deum præmissa, sed post impensas benè multas horas lectioni librorum profanorum, postque vanissimè discussas inutiles Grammaticorum quæstiones, an videlicet Acestes à Xenio Joue, in præmium hospitalitatis, rêvera tam longævus fuerit factus, ut, sicut Hipparchus ex Matheseos principiis elicit, vixerit annos centum vigintiquatuor, menses undecim, dies undetriginta, horas tres, momenta duo, ac semiatomum? Dextro ne, an sinistro priori pede navi exscendens Æneas terram Italiæ attigisset? An potius, uti magnus quidam Grammaticus conjiciendo invenit, neutro priori pede humum prefferit, sed sublatus humeris à remige, atque in littore expositus, junctis simul pedibus in arenas infiliit? Quod fuerit no-

men proprium Colchicæ arboris? An nimirum ea fuerit, quam Fagum vulgò dicimus, ut Pedianus contendit, in medium adductis Orphei & Apollonii testimoniis? Utrumvè melius censuerit vel Apollonius ipse, qui, priore sententia mutata, ex Quercu aureum vellus pependisse maluit; vel Menicellus, qui cum Vallerio Flacco hanc prærogativam Orno adscripsit?

Insulsi nos simus, ac propemodùm fatui, si vel ridendis ac exhibilandis frivolis his nugis longius tempus infumamus. Et tamen isti similibus quæstionibus exercentur, mutuoque digladiantur: & cum se jam divinare optimè didicisse se putant, è profanis ad sacra sese vertunt, eodemque spiritu, & animi levitate, quibus de illis disputarunt, his discutiendis & explicandis accedunt. Hinc tot absurda, tot absona, tot distorta, tot plerumque sacrilega verborum Dei interpretamenta, quibus eorum Commentationes scatent, & ipsæ depravantur ac temerantur sacratissimæ Scripturæ. Quantum verò prudentius & sapientius ii agunt, qui sacrarium eloquiorum Dei, & profundam judiciorum ejus abyssum adire & penetrare non præsumunt, nisi fuis ad Deum precibus, & purgato mentis oculo? Ii docibiles Dei efficiuntur, & puros oculos habent, quibus in obscuro lumen videant, & ex loquela manifestè Deum agnoscant. Ipsi, cum de se demissimè sentiant, atque impares tanto munere

ri sese ex animo judicent, facile quiescunt in Majorum suorum, quorum laus perpetua in Ecclesia est, sensu & autoritate; tutoque insistent Ecclesiæ Catholicæ Traditioni; atque nefas jure optimo putant, ab ejus deviare iudicio, quæ Apostolicæ depositum intemeratè custodit, & profanas vocum novitates, fallacesque vanæ sapientiæ opiniones & ipsa detestatur, & nos detestari jubet. Tanto autem firmitus solidissimis istiusmodi Regulis adhærent, quanto experientia ipsa magistra clariùs vident, nihil eos profecisse, sed potius in varias errorum semitas declinasse, qui novas sibi Regulas constituerunt, quibus ex versatilis Critices præscripto, non sententias suas Scripturis sacris, sed Scripturas sacras sententiis accommodarent suis.

Dedignantur ii eloquiorum Dei sensum quærere in Vulgata Latina à Concilio OEcumenico summa circumspectione probata, & in parvi momenti rebus semel & iterum exactissimè correctæ, & sperant meliora se posse invenire in fœculentis Versionibus, è confusa Novatorum Babylone quotidie prodeuntibus. Imò, qui novam fidem profiteri cupit, novam & ipse Versionem sibi condit, in qua ea Deo verba, si fieri possit, adscribantur, quæ ejus esse verba desiderarentur. Sed enim refractoriorum hoc vitium est, à quo prorsus immunes cuperemus orthodoxos omnes Interpretes, etiam Linguarum peritia Illustres. Et ii profectò

facto disertis verbis affirmant, nihil certi de Religione asserere quem posse, nisi Traditionem cum Scriptura jungat; sique juris Regulam à facti præscriptione sejungant. Idem catholicè docent, extitisse perpetuò in Ecclesia quamdam veræ Fidei ac Religionis Synopsin à Scriptura non dependentem, ad quam redigendum sit, quidquid in Scriptura obscurum est: atque ordinem hunc secuta esse Concilia in suis Decisionibus, in quibus Episcopi narrabant Fidem in suis Ecclesiis receptam: nec ipsis visum unquam fuit, confugiendum fore necessariò ad Grammaticos, & in Critice Peritos, ut locus aliquis Bibliorum difficilis aut ambiguus explicaretur; cum scirent, fieri nullo modo posse; ut Libri divini rectè exponantur, nisi ex notionibus, quas in Religione invexit Traditio. Certissima hæc sunt, adeoque ad fidem necessaria, ut qui his adversetur, renuntiasset & illi convincatur. Inde porro legitime sequitur, neminem orthodoxè sentire, nisi profiteatur, verbum Dei scriptum, recta fide, ac sano & genuino sensu expressum, in Vulgata nostra Latina contineri; nec sefellisse nos Ecclesiam, quæ eam ut authenticam approbavit, & uti securam Fidei ac Morum Regulam credendam proposuit ac iussit.

Hoc negat Catholicorum nullus. At qui inter eos de Linguarum cognitione plus justo fortasse glorianantur, timere videntur, nimiam se reverentiam Ecclesiæ ac

Vulgatæ exhibituros, si non solùm salva & integra tueantur, quæ ad Doctrinæ & Morum puritatem spectant, verum etiam alia omnia, quæ Fide illæsa, aliter & aliter legi possunt in Scriptura. Hi licere sibi non dubitant, cum subsidiis ad boni Interpretis munus necessariis haud careant, ea Vulgatæ latinæ loca mutare, emendare, corrigere atque in alias significationes vertere, quas meliores, & contextui conformiores putaverint, dummodò intacta relinquunt quæ ad Fidei pertinent Dogmata, & rectam Morum Doctrinam.

Et nos quidem haud ex illis sumus, qui hæc cum scandalo legunt. Fortè enim nimium Religiosi sunt, qui ipsis Archetypis à Canonicis Scriptoribus Numine suggerente exaratis Translationem aliquam exæquant, nisi prius idoneis documentis evincant, eum, qui Versionem de una in aliam Linguam confecit, id Deo verba pro verbis dictante, aut alio modo Interpretis calamum regente, præstitisse. Ipsa verò Ecclesiæ Traditio, quæ Fidem Religionemque illibatas perpetuò servavit, quæque emergentia ex hac parte dubia legitime, tutoque resolvit, non videtur necessariò credenda esse custos aliarum veritatum, quibus variatis, nec Fides, nec Religio vel in minimo læditur. Utcumque res sese habeat, quam prorsus committendam censemus Superiorum iudicio, maxima est exigenda à Sacris Commentatoribus cautio & circumscriptio: fortèque plurimum

expediret, ut, non nisi rarò, optimisque ad id moti rationibus, facultatem sibi fumerent ea in Vulgata immutandi, quæ non absque maturo prudentique consilio intacta voluit publica Ecclesiæ Authoritas. Erunt fortassè in illa, quæ clariùs, aut elegantius, & si ita loqui fas sit, etiam propriùs ac meliùs verti possent: demus hoc nostris Criticis Hebraicè Græcèque doctis: sed non ipsi tantum sibi arrogare debent, ut, quæ emendatiùs tot magnorum Virorum curis scripta hætenùs non fuere, ea ipsi privata authoritate & scientia emendatissima reddere posse præsumant: eò maximè, quòd certò constet, non meliores ipsos Codices, fidelioravè Exemplaria Correctores; nec opportuniora subsidia ad id rectiùs præstandum necessaria. Quæ enim in Hebræa Scriptura obscura olim fuere & ambigua respectu magnorum Virorum, qui ad ea rectè interpretanda nervos omnes intenderunt, nec ulli vel improbissimo labori, ut id exequerentur felicissimè, pepercerunt, eadem numetiam hodie obscuritate laborant & ambiguitate, laborabuntque semper; in quo casu hoc prudentissimum videtur, quòd scilicèt privatorum quorumlibet sensibus, conjecturis & cogitationibus eas fidenter verborum Scripturæ sacræ notiones præferamus, quas magis antiquas, magis receptas, magisque à pluribus Sapientibus probatas scimus. Quare, etsi demus nostris

Criticis, nulla Fidei jactura, nullò Traditionis contemptu, talia emendari aut quoquomodo immutari posse; non tamen facile annuimus posse id nisi nimium rarò fieri absque vitio imprudentiæ, ac præsumptuositatis. Quis enim prudens, humilis, & sobriè sapiens tantum suo judicio tribuat, ut credat se Veteribus doctiorem ac feliciorem, longèque meliùs Hebraica intelligere, ita ut prospero successu possit conari, cum sufficientia ad id documenta nunc magis quàm olim deficient, tollere & amputare radicem omnem Hebraicæ incertitudinis; & quoties æquivoca occurrunt ac multiplicis potestatis ac significationis verba, ex multis sensibus meliorem eligere? Id quisquis præstare conetur, recurrat necesse est vel ad Simonii aut alterius ejusdem furfuris Critici futes ac lubricas Regulas, vel à Protestantium doctioribus improbatas; vel ad proprias conjecturas sapissimè fallaces, numquàm verò rem concludentes: quæque proinde, licèt fortes quandoque videantur, cum tamen non sint demonstrationes, excludere nequeunt omnem prudentem erroris formidinem; præsertim cum magna Vulgatæ authoritas, jure à nobis exigat, ne ejus interpretationes abjiciamus, nisi quando certò meliora habere possimus.

Non igitur probare hac in parte audemus Claris. Interpretum Augustini Calmet & Bernardi Lamy, (ut alios minùs circumspectos præ-

prætermittamus) studium emendandæ Vulgatæ latinæ, quo sensim necesse est minuatur Authoritas ejus & Majestas, ipsiusque perfectio fermè postponatur perfectioni aliarum Translationum, quas Ecclesia non probavit, nec reverenter à Fidelibus admitti præcepit. Indè autem haud ineptè quisquam fortassis inferet, non longissimè abesse horum præclarissimorum Virorum sensum & cogitationem à Simonii opinione planè temeraria de possibilitate condendi Versionem adeò perspicuam, exactam, accuratam, perfectam, & ipsis originalibus textibus notionibus ac sensibus proximam, ut reliquæ omnes merito posthabeantur, nec ipsa latina Vulgata excepta. Rident Fideles omnes, passimque Protestantes vanissimam præsumptuosi hominis spem: Regulas etiam, quas ad tantæ molis opus rite perficiendum, ineptissimas statuit, despiciunt, ac frivolas & insulas esse ostendunt. Si tamen memorati superiùs Interpretes rectè Vulgatam emendant, ubi illa à perfectione distare videtur, Simonii promissio non prorsus abjicienda judicabitur: quinimò poterit quis existimare, in Commentariis Biblicis P. Calmeti Lectorem habere Vulgatam nostram, juxta modernas Critices Regulas, ex absoluta Linguarum cognitione, emendatissimam; & consequenter perfectissimam & absolutissimam omnium, quæ unquam fuerit, sacrorum Bibliorum Versionem.

Credimus non hoc sibi sumere eximios hos Interpretes; sed si tantum promittere nobis neutiquam audent, debuissent, ni fallimur, à tam crebra locorum Vulgatæ correctione religiosius aut prudentius abstinere, ne in id conari viderentur, quod qui privata scientia & autoritate niterentur præstare, imprudentissimi hominum & arrogantissimi essent. Si velint hi præclari Viri, ut Lectores factas ab illis emendationes recipiant, & ut meliores Scripturæ nostræ præponant, quanta erit apud hæc audientes & videntes Vulgatæ æstimatio? Quanta erga Ecclesiam, cujus illa autoritate & commendatione munitur, Fidelium veneratio? Audient hi Calmet aut Lamy haud infrequenter lectiones Vulgatæ reprobantem, & quasi ex specula dicentem: *Hafida* vox Hebræa multis in locis à Hieronymo cum Symmacho redditur Milvus. Vulgata ex Septuag. eam interpretatur Herodium sive Herodionem, quæ vulgò Ardea à Latinis dicitur. Neutra tamen translatio sustinenda, sed utrique præferenda illa, quæ per *Hafida* Ciconiam intelligit. Si autem quæras rationem, hanc Lamy protinus offert: nomen *Hafida*, inquit, quod sonat misericordiam & benignitatem, convenit Ciconiæ, quæ dicitur pia erga parentes, quos alit, ubi senuere. Similia Calmetus dicit, sed non *Hafida*, sed *Chafeda*, seu *Chafida* scribit. Similiter, *Anapha* (Lamy ait) redditur in Vulgata Charadrion. Sed

Bocarthus ex nomine Hebræo colligit avem esse iracundam, & ideò putat speciem aliquam Aquilæ esse. Bocarthi sententiæ & interpretationes tanti fieri solent à Lamy & Calmet, ut illis Septuaginta, Hieronymi & Vulgatæ frequenter præferantur. *Racham*, inquit Lamy, *Deuter. c. 14. v. 17.* Græcis & Hieronymo est Cycnus. At Bochartus ex Arabica lingua probat *Racham* esse Vulturis speciem, qui Vultur non multum est Aquilæ dissimilis. Calmetus ambigit, an sit standum Versioni S. Hieronymi, qui *Levit. c. non 21. sed 11. v. 18.* Hebræum *Transchemeth* Cycnum reddidit: non tamen hic Bocarthi interpretationem amplectitur, qui Bubonem seu Noctuanam ea voce significari contendit; sed potius conjicit, ap. *Isaiam c. 13. v. 21.* non Struthionem, ubi Vulgata ibi legit, *Bath-fanab* Hebraicè vocari, sed vocabulo isto exprimi Cycnum, qui savissimus, inquit, est, & non minus quam Struthio crudelis. Non validior ratio Calmetum movet, ut Vulgatam deserat, & conjecturæ suæ postponat. At omnibus penè ignota est Cycni savitia: avium tamen nulla est, quæ nomine impietatis tam malè audiat, quàm Struthio. Cæteræ ova fovere, & pullos educare curant: hæc ova sua derelinquit in terra, ut dicitur *Job c. 39. v. 13. & induratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Verùm etsi Calmetus fateatur Hebræum nomen *faanab* uno orè Struthionem verti à Septuaginta, à S. Hieronymo,

ab Aquila, Symmacho & Theodotione, quos nec Pater Lamy nova Critica instructus deferendos putavit, iis omnibus conjecturas præfert, atque adeò mendacem Vulgatæ textum supponit. *Peritissimi*, inquit, *Interpretes*, Coccius, nimirum, Junius, Tremellius, Grotius & Pisc. *Struthioni tribuunt vocem Noza.* Sed numquid peritissimi isti, ferè omnes Protestantes, peritiores judicandi sunt vetustissimis Interpretibus, & ipso S. Hieronymo: eorumque auctoritas Vulgatæ auctoritati præferenda? Plura id genus omittimus, quæ in iis Egregiis Scriptoribus nequaquam probamus. Sufficiunt dicta, ut Sapientiores discernant, an qui adeò liberè sacras Literas interpretantur, penitus exuerint neocriticorum præjudicia, minùsque quàm orthodoxos decet, magnificè de authentica nostra Scriptura sentiant?

ARTICULUS QUARTUS.

De fundamentis, quibus necens Critica nititur: ubi ostenditur, eam non esse securiorem, quàm Critica Veterum fuerit.

MAchina hæc tantoperè prædicata ab ingeniosis nostri sæculi hominibus, cum vetustissima sit, nova plerisque videtur. Fundamenta ejus sunt (Auctoritas) & (Conjectura) & (Traditio.) Esse porro antiquissima hæc fundamenta, nulloque modo à nostris Studiorum Restauratoribus (tali

(tali enim nomine gloriantur) posita, quis ambigat? Scriptorum (Authoritatem) meritum Personale intelligimus, quodammodo in ipsorum lucubrationibus impressum, sæpè etiam aliorum dictis, perennique fama testatum. His tribus (Authoritas) omnis constat, & fulcitur. (Conjecturam) vocamus directionem quamdam rationis ad veritatem, qua rei latentis iudicium efformamus, per ea signa, quæ plerumque veritatem manifestare solent, licet sæpè quoque nos fallant. P. Honor. de S. Maria Tom. 2. *Reflex. Crit.* diff. 7. (Conjecturam) inquit, medium locum tenere inter certitudinem, ac sophisma. Ast inter sophisma, & certitudinem mediat quoque suspicio, quæ (conjectura) solum abusive dici potest, sive levis, ac temeraria (conjectura) quæ in sophismatis confinio est. Certitudo etiam cum latitudinem quamdam habeat, & plures gradus comprehendat; nec omnem prorsus (conjecturam) à sua linea excludit; nam quædam (conjecturæ) adeo gravibus nituntur fundamentis, ut naturam induant moralis certitudinis. Notiones terminorum in *Lexico* accurate explicamus. Denique (Traditionem) dicimus veterem, nec intermissam alicujus rei famam, successiva gravium Virorum fide, ac memoria retentam, & ad nos usque deductam. Traditionis velut basis est fides, suntque hæc duæ res fermè coævæ, antiquioresque scripturis, in quibus cum

non omnia contineantur, pluralium beneficio supplentur. Traditio Authoritatem supponit: nam quæ memoria per traditionem sunt conservata, assertores, testesque habuerunt ab initio, quibus qui proximi illi fuerunt, fidem præstarunt. Veteres Nationum, Populorum, præcipuè verò Ecclesiarum usus, & consuetudines, mutata sunt, sed efficacia ut plurimum argumenta, ac quædam traditionum velut vestigia. Populares rumores, quibus nullus prudentum assensus suffragatur, maximè autem qui à sapientibus sæpè improbati reperiuntur, non traditiones sunt, sed fabulæ aniles, ac vulgares credulitates, non rarò etiam velatæ devotionis fucò superstitiones.

Hæc tria breviter à nobis definita sunt Recentiorum Critices fundamenta, pariterque elementa, ac principia Artis Magnæ, à qua scientiæ universæ, cunctaque bonarum literarum studia, non incrementa solum, sed & puritatem, perfectionemque recepisse dicuntur. Et licet pro Physica Scientia purganda, ac perficienda, alia Critici instrumenta adaptaverint, ut, nempe, Microscopia, Telescopia, Thermometra, aliaque recentis inventionis perspicilla; non nisi præexplicatis principiis, veluti quibusdam instrumentis, usi sunt ad secernenda vera à falsis, legitima ab spuris, atque authentica ab apocryphis, in aliis materiis.

Ceterum hæc tria memorata inf.

instrumenta veteres quoque habuisse Criticos, nemo negare potest, nisi qui desipere velit: esset enim amentia laborare, velle, non res veteres esse, sed novas, (Auctoritatem, Traditionem, & Conjecturam.) Et hoc quidem manifestissimum est, nullosque patitur impugnatores. Illud verò plures potentesque Adversarios offendet, quod mox sumus audacter dicturi; scilicet, prædicta Critices instrumenta, fundamenta, elementa, aut principia, firmiora olim, validioraque fuisse, quam nunc sunt; fuisseque proinde melius fundatam priscorum Doctorum Criticam. Habet utique Ars ista in scriptoribus Modernis, quæ peculiare meritum jure ostendent apud Eruditos: sed quoniam ejusdem Artis fundamenta ab ipsismet modernis Criticis debilitata sunt, ac infirmata; ipsa consequenter Ars minusquoque firma, ac robusta effecta est: imò tam debilis levisque, ut tota fermè versatilis sit; aptaque in utramque partem commodè flecti; atque, instar Artis sophisticæ, potens quodlibet æqua vi asserere, ac negare.

ARTICULUS QUINTUS.

De veterum Auctoritate Scriptorum, quæ primum est Critices fundamentum.

ET imprimis (Auctoritas) veterum Scriptorum, quam firmissimum Critices fundamentum esse, nemo negare potest, nisi

valdè inurbanè, ac ineruditè; non ita firma nunc est, sicut olim fuit: nam recentes Critici illam passim deprimunt, dum priscis Scriptoribus, ipsisque Ecclesiæ Sanctissimis Patribus varias exceptiones objiciunt: non enim dubitant affirmare, quoties Veterum (Auctoritas) ipsis contraria est: (Patres rem non examinasse): (Assertam ab aliis rem eos facile credidisse): (Neglesisse minora, majoribus occupatos): (Non satis exacta critica usos): (In pluribus deceptos fuisse, constare): (sua absque sufficienti delectu ex apocryphis, & contaminatis fontibus hausisse): (scripta in illa parte esse corrupta): & his similia, sæpe etiam pejora alia, quibus admisis, SS. PP. aliorumque gravium Scriptorum (Auctoritas) certissimè extenuatur, enervaturque. Horum quoque aliqui, ac saltim aliquando singuli incuriositatis, oscitantia, ac levitatis in rebus haud fide dignis credendis arguuntur; eaque existimatione quantum illorum famæ, (Auctoritati) que detrahatur declarare, nimis esset durum, parumque pietati consonum. Nec id satis considerant solertissimi Critici, qui accuratissimè omnia perpéndunt. Mitto, licuisse Criticis magnæ Artis licentia, integra repudiare scripta, tamquam spuria, & apocrypha, quæ juxta Veterum opinionem, legitima sunt Auctoris opera, cujus nomen ipsis præfigitur: qua una via non solum Testes recusantur, verum & Testi-

monia ipsa de medio tolluntur. Ex his verò necessaria consecutione colligitur, ante exortam novæ Critices methodum, quæ hodie maximo in pretio est apud plurimos, Veterum (Authoritatem) firmiorem, integrioremque fuisse, eaque tutò innixos priscos fideles, pleraque vera prudenter, pièque existimasse, quæ ab his non amplius vera creduntur, qui data Opera Testium (Authoritatem) depresserunt. Sed enim incautissimè id fecisse Recentiores, obvio cuique ratiocinio demonstratur; cum enim ipsi exactam, firmam, omnibusque numeris absolutam Critices Artem construere, diligentissimè procurent, non satis confidunt firmitudini præintenti operis, cui nutans supponunt fundamentum (Authoritatis). Vacillabunt ergo ferè cuncta Ecclesiarum vetustissima monumenta: vacillabunt etiam si à nostris Criticis toto nixu propugnata; quippè eorum nobis ad fidem faciendam testimonia adducent, quorum (Authoritatem) ipsi infirmarunt, ac sæpè flocci fecerunt. Et ut exemplo rem per se claram luculentius declaremus, loquamur de celeberrima quæstione acerrimè exagitata à famosioribus Galliarum Criticis, circa Epocham prædicationis Evangelii in illis Provinciis. Utraque controversiæ pars habet defensores, numero, elogioque fermè pares. Omnes habentur Critices laude insignes. Propugnantes fidem in illis partibus disseminatam ab Apostolicis Viris Dionysio Areo-

pagita, & Sociis; Authorem *Act. S. Saturnini* prorsus contemnunt, dicentes: (fidem non mereri.) At de Sulpitio Severo, & Gregorio Turonensi ajunt, eos fuisse Scriptores credulos, parùmque in historia exactos. Qui verò vestustiorè hujusmodi Epocham impugnant, tenentque Areopagitam minimè in Gallia prædicasse, imò nec Gallias unquam vidisse, atque eas Provincias non ante tempora Decii Imp. tertio sæculo ineunte, habuisse Prædicatores, Episcopos, & Martyres, ac uno verbo, Fideles; antiquiores contrariæ Epochæ assertores Visbium, & Hilduinum, omni prorsus (Authoritate) vacuos dimittunt: Libellus enim ab Hilduino Visbio attributus (Lisbium alii appellant) de quo Papyr. Masson scripsit: [Qui libellus propter variam eruditionem potest cuivis Docto placere] à famigeratissimis Criticis Dupino, Tillemontio, Launoyo, Bailletto, ac P. Sirmondo, *Dissert. De duob. Dionys. c. 1. & 4.* ut confictum ab indigno Authore opus prorsus contemnitur, exploditurque. Hilduini verò famæ mirum est quantum isti detraxerint: quem enim alii, [Ecclesiarum Magistrum] & [Magnum Aaronem, cujus nitor morum cum sensus probitate commendatur] dixerunt: Isti vocare non dubitant, [Aulicum hominem] [status Ministrum ignorantiae plenum] [Audacem impostorem] ac [Inventorem fabularum.] Ecce qualem Magistrum Gallicanæ Ecclesiæ habuerunt, qualisque Aaronis Sa-

cerdotio fuere insignitæ, si fas est Critices primariis Magistris credere!

Renatus Massuet in *Notis ad S. Iren.* tanti fecit Severi Sulpitii, antiquioris Historiæ Galliarum Scriptoris, authoritatem, ut Testem dixerit omni exceptione majorem. Si explorare velis, cur Criticus iste, contra perspicuam Irenæi assertionem, qui lib. 1. *contr. Hæres.* cap. 10. anno 150. quo scribebat, fundatas agnovit Ecclesias in Germaniis, Hispaniis, Galliis, &c. quorum cum diversitate linguarum una & indivisa esset Fidei ac Morum Traditio; prævalere voluerit Testimonium Authoris, qui annis 250. post Irenæum Historias suas collegit, in promptu causa est, cum constet, Renati scopum fuisse, nullos Martyres in Galliis agnoscere ante Lugdunenses; nullosque ante Fructuosum, qui anno 259. passus est, in Hispaniis. Sed, quod ad Hispanias attinet, Sulpitii testimonio insigniter abutitur Renatus; quippe nihil ille de Hispaniis locutus est, quod opponatur antiquitati Ecclesiarum, & Martyrum S. Fructuoso vetustiorum. Nec tanta est apud Gallos Sulpitii Authoritas, quæ præferri debeat aut possit Irenæi Authoritati, quantum ad res primitivas Ecclesiæ Galliarum. Et imprimis in suas Critices Regulas peccant, qui facta adeo antiqua confirmare nituntur testimonio Scriptoris, qui post tot sæcula vixit; præsertim ubi multa concurrunt, quæ illi adversentur. Deinde, tamen in

aliis integra esset Sulpitii fides, talis certè non est in designanda Ecclesiarum transalpinarum EPOCHA, quam falsam evincunt quoad Gallias Sigonius, Salmasius, Hornius, Natalis Alexander, & alii plures: quoad Hispanias verò tum ipsi, tum Baronius, Fevardentius, Jo: Ernestus Grabe, Cajetanus Cennius, præter nostrates Scriptores. Prætereà, nisi Sulpitium Tertuliano & Cypriano vetustissimis Scriptoribus in re antiquissima omninò imprudenter præferamus, illius Epocham recipere non possumus; nam primus lib. *adv. Judæos*, cap. 7. *Hispaniarum omnes terminos* Christiana Fide ac Religione illuminatos describit: quod mirificè congruit testimonio paulò antiquiori D. Irenæi: secundus autem *Epist.* 68. Ecclesias in Hispaniis jam diù antea formatas, & Episcoporum Curæ subjectas, suo tempore invenisse testatur, quatenus expressè commemorat Basilidem & Martialem Episcopos canonicè depositos: Fœlicem & Sabinum ipsis ritè suffectos: Præbyterum, Diaconum: hoc est, illorum temporum Ecclesiasticam Hispaniæ Hierarchiam, quæ Episcopis, Præbyteris & Diaconibus constabat. Subdiaconi enim vel nulli tunc erant, vel certè inter sacros Ministros non reputabantur; nisi magis placeat credere (quod video quibusdam Viris doctis arrisisse) sub Diaconorum nomine Subdiaconos, Lectores, & si qui minores alii fuerunt, contineri. Est ergo certissimum coepisse

se in Hispania Ordinem Hierarchicum circa ann. Christi 64. eo scilicet tempore, quo Principes Apostolorum ad Hispanias miserunt septem illos Episcopos, qui Sedes in illis Regionibus fixerunt.

Nec solum veteres Gallicar. rer. Scriptores à nobis hic commemorati, qui tamen præcipui sunt, de (Authoritatis) fastigio, Criticorum opera, cecidere; verumetiam celebriora ipsa Martyrologia, Ecclesiarum consensu firmata, pristinam fidem, honoremque amiserunt; nam (nulla Martyrologia ad nos, nisi corrupta pervenisse) ab emunctæ naris Doctore P. Millete fidentissimè affirmatur. Singuli quoque Critici eadem corrupta declarant, quoties propriæ opinioni nocent: rursusque incorrupta, si favent. Ipsum Ven. Bedæ Martyrologium temeraria manu temeratum, ea fiducia asserit Lauenoy, qua posset, si audacis pennæ ictum vidisset. Baronianus Codex, aliusque ab antiquo Religiosè aservatus in Monasterio S. Cyriaci, incorrupti ab eodem Critico nequaquam judicantur, quia duplicem Dionysium minimè distinguunt: incorruptissimus verò creditur ab ipso Codex alius, quem penès se domi retinebat, & de cuius 500. ann. ætate ipse jam sententiam tulerat. Sed quando orationi nostræ materies deficiet, si universa dictis simillima, vel extremo, ut ajunt, digito velimus tangere. Dolemus florentissimæ Nationis sortem, cujus Historia,

non tam nova luce perfusa, quam nova caligine est repleta studiis eorum, qui omnia se illustraturos promittunt. Nec id vitio tribuimus Authorum doctrina, pietateque insignium; sed nimix curiofitati Artis Criticæ, quæ sub honesto velamine studii perquisitè quærendi in omnibus veritatem, miro modo se insinuat animis studiosorum. Dolemus etiam male cessisse generosam, piamque quorundam Criticorum intentionem, qui cum veram Critices Artem cogitarint, procurarintque instituire, aut jam institutam novis Regulis perficere, eventum habuerunt votis contrarium; nulla siquidem Arti perfectio accessit; quinimò eo robore ac firmitudine modò caret, quibus olim plurimum vigebat, aptissimaque reddebatur, ad excolendam fidelium pietatem; ad consulendum Majestati Ecclesiæ; ad conservanda perenni memoria, in aliorum ædificationem, gloriosa Christianorum Heroum facinora; necnon ad coercenda, pondere (Authoritatis) ingenia illa audaciora, quæ nihil aliorum fidei debere volunt, sed totum propriis ratiociniis discere se posse præsumunt. Hæc sanè, dum homines Majorum (Authoritati) credere assuescunt, haud difficulter obtineri possunt; nullatenus verò, media illa Arte, qua testimonia jam pridem credibilia, vel suspecta, vel corrupta, vel alterata, vel infirma, vel etiam conficta, & fabulosa, unoque verbo, fide indigna evulgantur. Igitur Ars illa, quæ nos

nostrorum testimonia Patrum infringit, vixque non funditus evertit; Patres ipsos inhonorat, & filios eorum Magisterio privat; nec amplius idonea est ad aliquid stabilendum; sed ad negandum ferè universa: ad hoc quippè (Auctoritas) non est necessaria, sed sufficit omnino (conjectura), qua (Auctoritas) credatur suspecta.

ARTICULUS SEXTUS.

De secundo Critices fundamento, quod est Conjectura.

ET (Conjectura) quidem, quæ verè hoc nomine digna est, non illa autem, quæ suspicio quædam dici potius meretur, & in pura non repugnantia magis, quam in positiva, solidaque ratione fundatur, alterum est fundamentum, principiumque & antiquæ, & novæ Critices, quæ à propria natura non degenerat. Est etiam (Conjectura) familiarissimum rationis instrumentum; nam cum intellectus noster valdè pauca evidenti, certavè cognitione assequatur, opus illi est, in omni fermè humano negotio, (conjecturæ) auxilio, qua latentès sapissimè veritates, per signa quædam, mediaque verisimilia, solerter, ac subtiliter investiget. Multiplex quoque topos est, qui (conjecturæ) argumenta suppeditat: undè (conjectura) ipsa res est multiplex, ac varia, fallaxque ac lubrica humanæ Mentis operatio, quæ quibusdam Prudentiæ præceptis regi quidem potest,

certò autem dirigi ad scopum veritatis non nisi difficillimè potest. Accedit, quòd non omnes ad iudicandum, Animovè conjiciendum, æquè benè dispositi sumus; nec singuli ab eodem objecto eodem modo afficimur, ac movemur; quòd quidam diversis organorum dispositionibus tribuendum omnino putant; cum potius alii imputandum velint variis hominum educationibus, passionibus, præjudiciis, diversoque gradui luminis Rationis: quam inæqualitatem, quidam Peripatetici provenire asserunt, ex inæquali Animarum numerica perfectione: non enim credunt esse necessarium, quòd res speciei ejusdem, sint etiam ejusdem intrinsecæ perfectionis. Descartes dubitatio fuit, an sensus singulis hominibus singula objecta eodem prorsus modo repræsentent? Indèque hausit hujusmodi dubitationem, quòd ex pluribus eandem rem attentissimè considerantibus, quidam ad assensum magna vi impelluntur, quidam blandè solum invitantur, quidam verò nullo modo, vel modo potius contrario, ac per oppositam viam moventur. Hoc sanè profundum cerebri humani arcantum nondum referarunt cultro anatomico, aut quoquam alio instrumento sagacissimi Naturæ exploratores. Utcumque res se habeat, videtur neutiquam negandum temperaturæ diversitatem non nihil conferre ad diversum modum objecta percipiendi, sicut aliquid confert pro passionibus ip-
lis

sis concitandis, aut sedandis. Illud omnino certum, omnique Physices systemate securius, inconsiderantiam, præcipationem, Animique in iudicando levitatem, esse vitia prudentiæ opposita, in quibus si quis impingat, imprudentis titulum non effugiet.

Igitur magna quædam Ars est conjectare probè scire; atque ea potissimum excelluisse credendi merito sunt, qui, inter teteros homines, Naturæ, Gratiæque dotibus fuere longè præclari; nempe, illi homines sanctissimi, ac sapientissimi, quos non Parisiensis, aut Salmantina, Complutensivè Schola, sed tota Christianitatis Universitas, ipsaque Ecclesia Christi ex omni Mundi Natione congregata, Doctoratus laurea insignivit, decoravit, ornavit. Hi, quos verè dixeris electos ex millibus sapientibus, ingenio Magni, Maximi morum nitore, passionum domitores, lectioni assidui, instantes orationi, omnique ex parte aptissimi fuerunt ad prudenter, rectèque de rebus iudicandum. In hos defectus illos conjicere, quos Critici nequeunt de se patienter audire, ac tolerare: injuria est, non ipsis tantummodò irrogata; sed & universo Populo Sancto Dei; cujus fides, iudiciumque publici arguuntur erroris, dum minus idonei declarantur, venerati per tot sæcula ab eodem, Magistri.

Sive ergo rectè conjectare, opus sit exquisitissimæ prudentiæ; sive effectus sagacissimi, ac perspicua-

cissimi ingenii, iudicii vè purgatissimi recto tramite, ex puritate intentionis, ad veritatem tendentis; sive demùm quicquam sit aliud, quod ad intellectus perfectionem, aut morum integritatem quomodolibet spectet: illos ad optimè conjectandum apprimè idoneos fateri debemus, quibus nullam ex recensitis dotibus negare sine injuria possumus. Laudabiliter sanè nostri Critici laborarunt in colligendis, designandisque locis, ex quibus desumi possint solidæ, gravesque (conjecturæ); tamen insipienter, ac penè stultè quispiam assereret, hosce locos Modernorum industria dudum fuisse detectos, veteribusque incognitos: eo præcipuè, quod istorum topici Canones nihil exquisitum, nihil altum, nihil profundum, nihil absconditum, arcanumque nihil continent; sed eas tradunt, ac exponunt Regulas materiæ adaptatas, quas vel vulgaris, vel mediocris saltem hominum prudentia vix ignorat; & à quibus plerumque ne fallatur, cavere debeat. Rem exemplis illustremus.

Pro dignoscendis legitimis Scriptis alicujus veteris Authoris, signa observanda præscribuntur (Tempus, Dogmata, Stylus). v. gr. si in opere aliquo D. Augustino attributo, observemus ibi Authorem loqui de tempore S. Augustino posteriori; aut de eventibus post ejus mortem secutis; vel allegare Authores, quos tardius floruisse constat; vel dogmata tradere integritati fidei, morumvè

candori adversantia; vel assertis à S. Augustino in aliis legitimis scriptis notabiliter disconvenientia; vel de materia aliqua differere, quam compertum aliunde sit D. Augustinum nunquam tractasse; vel denique stylo uti longè diverso: prudenter conjectare possumus, tale scriptum, opus non esse S. Doctoris germanum. Quod tunc conjectario potius, quam conjectura plenè conficiemus, cum non unum, aut alterum, sed vel plura, vel omnia allata signa concurrunt. Antiquorum etiam testimonia tale opus velut illegitimum rejicientia, quamvis signa prænarrata deficiant, ipsum vel suspectum, vel confictum omnino probant. Silentium insuper præcorum Scriptorum nunquam nunquamve talis operis mentionem facientium, quamdam Animo dubitationem ingerit; sed motivum ad solide conjectandum nequaquam præbet, nisi aliis fulciatur adminiculis. Andreas Hyperius *de Ratione stud. Theol.* lib. 4. cap. 9. has Regulas assignat; paucisque mutatis, easdem præscribit, vel potius transcribit Caveus, aliis Cavius (vulgo Cave) Scriptor hæreticus, sed celebris ap. Criticos nominis, sect. 4. *Prolog. Histor. Liter.* Nec diversæ ab istis re ipsa sunt, quas magis per extensum adducunt ex *Arte Criticæ* Joannis Clerici, tom. 2. part. 3. sect. 2. cap. 2. & sequent. Rivetus Dn. pinus & alii: nam quod isti advertunt circa Opus diverso Authori attributum in anti-

quis Mss., diversus locus non est ab Authoritate Veterum, legitimitatem alicujus Operis negantium. Ad materiam item pertinet Authori minimè proportionatam, quod in opere, de quo est dubium, exagitentur aliquæ controversiæ, posteriori tempore primum exortæ.

Similiter pro discernenda veritate alicujus Historiæ, sequentes Regulæ communiter assignantur. Prima, quod vetusti facti primus Scriptor minimè sit modernus, sed vel æquè antiquus, vel parum tempore distans. 2. quod Historia non deprehendatur in pluribus mendax. 3. quod narratio in Historia contenta non probetur desumpta ex apocryphis, fabulosis, aut dubiæ, vel nullius fidei libris. 4. quod rationi temporis, loci, & conditionis Personarum narratio non repugnet. 5. quod relatum in aliqua Historia factum, ab alia, vel ab aliis integrioris famæ Historiis nequaquam negetur, nec in dubium vertatur. 6. quod Authores contemporanei, qui de eodem argumento scripserunt, ejusdem facti meminerint. Postrema, quod narratio verosimiliâ, credibiliaque afferat, & quæ minimè pugnent cum aliis certioribus factis.

Rursus, pro dignoscendis inter plura exemplaria Mss. purioribus, & incorruptioribus, præcipuæ Regulæ sunt. Prima, quod Authoris antiqui Codex antiquitatem & ipse ostentet; id quod ex qualitate characterum, velut ab intrinseco, colligi solet. 2. quod al-

alterationes, aut emendationes non habeat. 3. quod scriptorem præferat gravem, aut saltem non suspecti nominis. 4. quod eo Codice usi fuerint graves doctique viri absque eo, quod illi menda imputaverint. 5. quod, si discordantia inveniantur ejusdem Autographi manuscripta, ille Codex ceteris præferatur, cui plures majori ex parte consentientes reperiuntur. Postrema, quod illud Ms. ceteris paribus, magis authenticum, illibatumque reputetur, quod in celebri aliquo loco constat diligenter asservatum a tempore, in quo Author vixit, vel non longe posteriori.

Postremo ad veritatem traditionum secure probandam, triplicem Canonem Critici frequenter assignant. Primus, quod ad hoc ut de eo, quod in traditione positum dicitur, jure non dubitetur, illud diversis & temporibus & locis scriptum sit à pluribus exploratæ fidei, qui producantur in testes. 2. quod Scriptores illi, nisi verbis omnibus, at certè sensu conveniant in testimonio, quod de re, quæ accepta per traditionem creditur, perhibent. Ultima, quod iidem scriptores ad rei gestæ originem, quæ veritatis caput est, continua serie reducantur. Ita ferè ad verbum Launoyus, *Dissert. de Sulpic. Sev.* §. 16. pag. 86. ap. P. Honor. de S. Maria, tom. 1. dissert. 1. art. 2.

Hæc sunt præcipua generalia indicia, sive argumenta, quorum usu Critici explorare solent, an

hæc vel illa Opera sint legitima, aut spuria? An sint saltem ex parte corrupta, & alterata? Quanta sit fides adhibenda huic vel illi Codici? Uter inter discrepantes purior sit judicandus? Quæ Historia vera narrare censenda sit? Qui eventus credendi ut veri, aut rejiciendi ut falsi? Qualis Traditio eo nomine digna putanda? Et istæ quidem Regulæ, licet nonnullis exceptionibus sint obnoxia, nec singulæ pondus habeant sufficientis probationis; graviore sunt tamen, atque rem satis probabiliter conficere potentes, si casibus particularibus debito modo adaptentur, nihilque præmittatur, quod ad exactam in judicando circumspectionem à Prudentia exigitur. Leviores profectò sunt Regulæ aliæ à nostris quoque Criticis præscriptæ, frequentiusque ad praxim deductæ. Tales esse credimus Regulas illas, quarum usu iidem Critici Acta Sanctorum expurgasse gloriantur, exhibuisseque lectioni fidelium veros Martyrum Triumphos, mille, ut putant, fabulis, ac vanissimis narratiunculis, falsisque miraculis antea depravatos. Regulæ sunt. Prima, quod Martyrum Acta quanto breviora, ac simpliciora, tanto veriora conjectentur. 2. quod illa Acta simplicia esse intelligantur, in quibus breviores discursus, parum de miraculis, & de cruciatibus extraordinariis narrantes, sinè affectata locorum Scripturæ Divinæ citatione, continentur. 3. quod in Actis minime

referantur verba dura, inurbana, aut quoquomodo injuriosa à Sanctis prolata contra Tyrannos, Imperatores, Præfectos, Judices, vel adversum carnifices ipsos torquentes. 4. quod præmia ac munera à Tyrannis Martyribus promissa, ut Christianam fidem desererent, Acta suspecta reddant vel falsa. 5. quod pro spuris falsisque reputentur illa Acta, in quibus fit sermo de Edictis adversus Christianos promulgatis, sub Imperatoribus Trajano, Antonino, ac Marco Aurelio. 6. quod rationabiliter sit dubitandum de sinceritate Actorum, quæ supponunt Decium, & Valerianum simul aliquando Imperio potitos. 7. quod voces quædam in Martyrum obitu è celo auditæ, non quidem sententiam quamdam brevem, ut in morte S. Polycarpi, sed longiores quosdam sermones texentes, suspicionem saltim generent de falsitate. 8. quod Acta, in quibus Romanus Pontifex appelletur (Episcopus Episcoporum) antè V. sæculum, conficta sint judicanda vel hoc uno indicio: tali enim argumento Tellemontius tom. 4. pag. 740. negat scripta à S. Ambrosio Acta Martyrii S. Sebastiani, in quibus hujusmodi titulus legitur. Enimverò antè Ambrosium eò usus est Tertullianus longè antiquior, lib. de Pudicit. cap. 1. ubi Romæ Episcopum nominat (Pontificem Maximum) & (Episcopum Episcoporum). 9. quod Acta ad Triapriora Ecclesiæ sæcula pertinentia, si in illis expressio (Trinitatis)

reperiatur, uti reperitur in Actis S. Sophiæ per hæc verba: (te deprecamur inseparabilis Trinitas, quæ es una Deitas): & in alteris SS. Eusebii, & Marcelli, qui à S. Stephano Papa baptizati dicuntur (in nomine Trinitatis) sine ambiguitate falsa credantur. At cur, si Tertullianus, & S. Cyprianus Martyr per illamet tempora sæpè idem vocabulum usurparunt? Cur si Firmilianus in *Epistola* ad eundem S. Cypr. ap. P. Alex. tom. 1. dissert. 14. sect. 3. Baptismi, invocata nominum Trinitate, collati expressè meminisset, atque PP. omnes IV. sæculi eodem usi sunt vocabulo, non ut nuper excogitato, sed velut antiquo, ipsisque Apostolis coævo? Cur denique, si in Actis authenticis, veterisque primitivis S. Eupli ad an. 304. ap. Ruynart, *Act. select.* pag. 440. legitur: (dixit Euplus, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum adoro, Sanctam Trinitatem adoro, præter quam non est Deus: & quod plus est, in aliis Actis selectissimis S. Fructuosi Episc. & SS. Augurii, & Eulogii Diacon. qui pro Fide Christi passi sunt sub Valeriano, & Gallieno an. 259. ap. eund. pag. 222. perspicua quoque invenitur S. (Trinitatis) commemoratio? Ultima Regula est, quod de illis Actis dubitatio nonnulla haberi possit, in quibus nomen (Papa) attribuitur Præsbyteris, & Episcopis, in primis sæculis. Hoc scrupulo pungitur Tellemontius in Actis S. Canonis, qui Martyr occubuit circa an.

ant. 275. Sed facile potuit scrupu-
 lum deponere ex Actis S. Theodo-
 rici ab ipso approbatis, in qui-
 bus Frontonus Præbyter (Papa)
 nuncupatur. S. Conon passus est
 sub Diocletiano. Alia exempla vi-
 deri possunt apud Mabill. tom. 4.
Analect. & apud citat. Ruyn. pag.
 364. in Act. SS. Juliani, & Basilis-
 sæ. Tempore Sidonii Appollin. qui
 mortuus fertur an. 472. Episcopi
 universi (Papæ) vocabantur: sem-
 per tamen hoc nomen per quam-
 dam excellentiam Romani Pontifi-
 cis proprium fuit, ut in *Annal. Ec-
 cles. Franc.* P. le Coïnte dicitur,
 licet solum à tempore Gregor. VII.
 idem titulus jure privato debeat
 Romanis Pontificibus S. Petri
 successoribus. Unde elapso proxi-
 me sæculo propè initium, D. Sa-
 yaron Præses Claromontii in Al-
 vernia, acriter reprehensus est,
 quod Turonensem Archiepisco-
 pum (Papæ) appellatione indigita-
 rit. P. Mabill. de Re diplom. lib. 2.
 Posteriores decem Regulæ, nec so-
 lidæ sunt, nec observantur à Cri-
 tics, nisi cum propriæ intentioni
 favent, ut videbimus ex adducen-
 dis in hoc Tractatu, copiosius au-
 tem in *Lexico*, sub sing. vocibus.

ARTICULUS SEPTIMUS.

*De vera conjectandi ratione, qua
 Veteres PP. usi sunt, ante inventam
 novæ Critices Methodum.*

Regulas pulchra methodo,
 magnoque artificio à nostris
 Criticis traditas, etiam ubi à dic-

tamine recti judicii non exorbi-
 tant, suntque aptæ ad latentem
 veritatem revelandam, nec Juris-
 prudentia unquam nescivit, nec
 humana ratio, vel in privatis ne-
 gotiis, ignoravit. Medicina ipsa,
 cujus studio non sublimia solum,
 sed & mediocria, vulgariaque in-
 genia operam navant, si non eas-
 dem propter diversitatem mate-
 riæ, alias certè abstrusiores, nec
 absque ingenti labore percipien-
 das, Regulas complectitur; quæ
 cum non infallibiles sint, sed con-
 jecturales, securos minimè red-
 dunt vel qui optimum illarum fa-
 ciunt usum: unde non raro opti-
 mis secundum apparentiam con-
 jecturis, pessimus eventus, hoc
 est, mors ægrotantis respondet.
 Tamen conjecturis vivere in plu-
 ribus necessum est; ideoque in
 qualibet Arte, ac Scientia Paren-
 tes, Principesque æstimati sunt,
 qui de rebus perspicuis, certisque
 uberiores notitiam habuerunt;
 solidius autem ac plenius de oc-
 cultis ambiguisque conjectarunt.
 Non ergo Ecclesiastica studia illos
 pro Magistris agnoscunt, qui fidei
 Articulos noverunt, aut sapienter
 pronuntiarunt de rebus evidenti-
 bus; sed qui ulterius de incertis,
 & occultis sapientiæ aptissime
 sunt philosophati, tamquam veri-
 tatis locupletissimi possessores, ju-
 dices, ac testes.

Quoniam verò inter Ecclesiasti-
 ca studia primas obtinet Scriptura
 sacra, mirabile dictu est, quàm
 solerter, quàm sagaciter, quanto
 acumine ingenii, quantaque lec-



tionis assiduitate Veteres PP. Laborarint, vigilarint, insudarint in discernendis libris canonicis ab apochryphis; in corrigendis menda plurima, quæ vel ignorantia, vel incuria, vel malitia perversorum hominum ipsis irreperant; in eruendis ex Mysteriorum abditis multiplicibus sensibus ejusdem sacrae Scripturae; in conciliando cum veteri novo Testamento, amico foedere ad unitatem redactis, difficillimis utriusque antinomiis; atque in evertendis erroribus inimicorum, sub tegmine eloquiorum Dei venenatas opiniones abscondentium. Non utique ista, & alia magni etiam facienda, novæ Critices inventioni, culturae, aut perfectioni debentur; sed pietati, prudentiæ, ac sapientiæ nostrorum in Christo Patrum, quos posuit Deus in Ecclesia sua Doctores, replevitque spiritu intelligentiæ. Nostra erga hos vel modica antipelargia sit, accepta ab eis tot tantaque munera agnoscere, recensere, prædicare.

S. Hieronymus, qui dum viveret, contemporaneos detractores stylo suo compescere valuit; futuros post tot sæcula frænare non potuit. Ejus Critica parum exacta visa est Modernis, levioresque in pluribus ipsius conjecturæ. At eos fructus ex unius Critica Hieronymi Ecclesia jam collegit, quales nisi insipienter quisquam sperare possit ex universa Juniorum Critices magna Arte. Sanè, nisi principiis obsteretur, citòque remedium adhibeatur, timendum est, ne ex

nimia Critices licentiâ, iterùm Ecclesiæ accidat, ut apud Latinos tot sint exemplaria, etiam sacrorum Bibliorum, quot Codices; utque unusquisque pro arbitrio suo vel addat, vel subtrahat quod ei visum sit. Huic morbo tam periculoso, ut opportunè mederetur Romanus Pontifex S. Damasus, post tot exemplaria Scripturarum toto Orbe dispersa, voluit ut Hieronymus quasi Arbiter sederet, ac novum opus, ipsumque arduissimum, laboriosa piæque præsumptione ex veteri faceret. Decuit enim, ut Cassiodorus inquit lib. 1. *Divin. Lect.* cap. 15. ut undè ad nos venit salutaris translatio, indè iterùm rediret decora correctio. Deniquè S. Hieronymus summum quodammodo opus summa quoque dexteritate maxima ex parte perfecit, quamquam ut homo in nonnullis à veritatis scopo aberravit: voluit enim Deus, quòd fideles debitores simus non tam Hieronymi sapientiæ, quam Ecclesiæ iudicio ac Magisterio. De hoc plura ubi de Vulgata tractamus, *Bibliogr.* Tom. II. in art. *S. Hieronymus*.

Ceterùm in adornando tantæ molis difficillimo opere, non illis conjecturis usus est S. Doctor, quæ laudari, ad praxinque reduci solent à nostris Criticis; alioqui nunquam opus absolvisset; nam etiam postquam absolutum, perfectumque est, qui hujus generis conjecturas, graves, solidas, tutasque arbitrantur, tale ac tantum opus credunt in multis imperfectum,

sum, minimèque omnibus numeris absolutum. Verùm novit profecto Hieronymus alia breviori securiorique via conjectare, & acutissimi ingenii sui cultro discrepantium Codicum nodos solvere. Hinc licet postremos duodecim Versiculos Evangelii S. Marci, in raris Evangelii invenerit, suisque oculis viderit in omnibus pene Græciæ libris totum illud testimonium deficere, ut ipse refert *Epist. ad Hedib. quest. 3.* non propterea spurios reputavit, sed ut legitimos Canoni inseruit. Græcis multisque latinis exemplaribus prætulit Doctor Maximus pauca Latina, Arabica, & Syriaca quædam: atque id fecit optimo usu Critices optima. Simili Critica S. Irenæus eosdem Versiculos retinuit. Historiam pariter mulieris adulteræ, quæ totidem Versiculis continetur in Evangelio S. Joan. à v. 57. cap. 7. usque 11. cap. 8. non habebat, teste gravissimo P. Maldonato, *Comment. in cap. 8. Joan.* antiquissimus Vaticani Codex; non habuit postea Græca Catena, in qua cum tres & viginti Authores sint, nemo ejus meminit; non habebant Origenes, Clemens Alexandrinus, & Nonnus; cumque Chrysostomus, ac Theophylactus in totum Joan. scripserint, nec ipsi habebant; in Syriaca Versione desiderabatur eadem historia, quæ esse haberetur in veteri latina Editione, nullus ei ex antiquis suffragabatur, præter Ammonium & Tatianum, qui, secundum Criticam Richardi Simonii, vel uni-

Origeni nequaquam debuerunt præferri. At eos S. Hieronymus altioris ordinis Critica instructus, directusque, illos & Origeni, & sanioris judicii plurimis aliis Scriptoribus censuit omnino præferendos; atque id tam justa & æqua sententia, quæ meruerit universalis Ecclesiæ approbationem.

D. Hieronymum suam vet. Test. elaborasse versionem ex Canone Hebraicæ veritatis, luculentissime demonstratum jam est à P. Martianay Monacho Benedictino, maxime autoritate quatuor Codicum, qui plusquam 800. ann. antiquitatis habent. Ceterum istos Codices, hoc uno argumento, juxta morem novæ Artis, verè critico, corruptos asserit prædictus Richardus, quod per (impuras Monachorum manus) transierint. Hæc optima videtur conjectandi ratio, cui pauca revelata sunt de thesauris Sapientiæ, cum scriptum sit, *Eccles. cap. 1.* (In thesauris Sapientiæ intellectus, & scientiæ Religiositas). Sancti verò, quibus uti diligentibus se præbuit Deus sapientiam, quæ, juxta ejusdem *Eccles. dictum;* (scientiam, & intellectum prudentiæ compartitur) non solum Sapientiæ arcana noverunt, sed & Scientias ipsas & Artes prudenter, ac religiose tractarunt, modo scilicet superioris ordinis, velut devitato ab ipsa perfectione Sapientiæ.

Falluntur nimium Critici, si credant, graviora ipsos pro Ecclesia fidelibusque negotia tractare, quam tractarint veteres Christiani.

ni Sapientes. Horum Victrix Critica, non intellectu solum prudentiaque, verum & fide pietateque armata, Scripturas à Deo acceptas integritati puritatiue restituit, & earum sensus aperuit; paganæ Philosophiæ argutias à toto ferè humano genere diu approbatas, ac sub sæcularium Principum majestate protectas, fatuitatis convicit; Idololatriam ab ipsa Philosophia confirmatam, atque authoritatem præstigiis, mirabilibus, oraculis, ac totius penè mundi religione, magna ex parte prostravit; hæreticos in Ecclesia regeneratorum, velut vermes ex pulcherrima fructiferaque Arbore, quotidie enascentes, atque innumeris artificiis fidem, quam professi erant, oppugnantes, iteratis conflictibus, revicit, debellavit, ac obmutescere affectos pudore fecit. Quid plura? Ipsa Sanctorum Critica Apostolicas Traditiones noscere, defendere, conservare, posterisque confirmatas relinquere optimè novit; lupos sub ovina pelle contactos subtilissimè demonstravit; veram à falsa sanctimoniam, spiritus, juxta Salvatoris monitum, discretissimis probans conjecturis, plenissimè tutissimèque distinxit, Regulasque optimas tradidit, quibus id etiam posteri possent tuto præstare; apocryphos, ac mentitos alienis, etiam Apostolicis ac Prophetis nominibus, libros, qui magno tunc temporis numero vulgabantur, & curiosa aviditate, falso quoque Religionis studio ac zelo lectitabantur,

solertissimè detexit, & adhibitis opportunis cautelis, aut vitandos omninò; aut, ubi hoc sufficeret, corrigendos monuit.

Hujus sagacissimæ cum pietate Critices opus fuit eximium, illud Gelasii Papæ Decretum, quo in Romano Concilio, tamquam diligens Dominici Gergis Pastor, sabria à noxiis, minusvè proficuis, rationalium pecudum pabula fecernens, velut in Classes quasdam Scriptorum opera divisit, definiens, qualia instructioni fidelium sint maximè utilia, qualia incertæ authoritatis, qualia falsitatibus repleta, qualiaque toleranda, ut literatorum studio propter variam eruditionem deserviant. Richardus ipse à nobis sæpè citatus, *Hist. V. T. lib. 1. cap. 1.* testimonium perhibet de antiquo fidelium Critices studio; nam asserit, quondam vel ipsas foeminas circa Criticam sacræ Scripturæ fuisse occupatas; idque probat exemplo *Sunnia*, & *Fretella*, quæ ab interiori Germania Hieronymo doctè, nec sine aliqua peritia, ultra Latini, Hebraici, Græcique sermonis, scripserunt. Responsum à Sancto Doctore ipsis præstitum in hoc genere doctissimum appellat idem Author. Qui tamen videtur nescivisse, quod in antiqua editione veneta, & in pluribus *Miss. Epistola* hæc Hieronymi directa est (Dilectissimis fratribus *Sunnia*, & *Fretella*): undè apparet hæc fuisse Virorum, non Foeminarum nomina; atque ex ejusdem Epistolæ verbis videtur satis apertè colligi, eos fuisse

esse Viros Militares ex Getarum bellicosa Gente; ita enim scribit Sanctus Doctor, ut habetur tom. 2. Oper. pag. 665. (Dudum Callosa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores, ad stylum calamumque mollescunt, & bellicosa pectora vertuntur in mansuetudinem Christianam.) Nec vitio tribuendum, si foeminae quaedam ingenuè pieque educatae, Criticæ studio incubuerint, dummodo id non egerint, ut proprio iudicio majorum opiniones corrigerent, sed ut ex doctrina Ecclesiasticorum, quos in occurrentibus dubiis consulerent, magis proficere ad pietatem possent. Hoc sine Gissa Caroli Magni soror, sub directione Theodulphi Episcopi Aurelianensis, Psalterium D. Hieronymi, tum ex Græca Septuag. interpretatione emendatum, tum ex Hebraico fonte in latinum conversum, binis columnis transcripsit.

Hoc genus Criticæ semper laudabile in Ecclesia fuit, necessariumque ad puritatem fidei motumque tuendam, & conservandam. Hujusmodi Critices plenissimè conscius S. Dionysius Alexandrinus, prudentissimas Regulas tradidit ad ferendum rectum iudicium inter opera legitima, & falso supposita. Eas Eusebius posteritati consignavit, lib. 7. *Histor. Eccles.* cap. 25. Hujus Scriptoris Criticam, in multis commendabilem, consultò omittimus, ne hæreticum hominem cum Sanctis ulatenus numeremus. At præter eunda non est Critica plurium fi-

delium, qui in Conventu Constantinopoli habito ann. 533. libros à Severianis hæreticis sub nomine S. Dionysii Areopag. confictos, attentissimè examinarunt, & ut fraudulentos respuerunt. Patres etiam VI. Synodi OEcumenicæ supposititias declararunt impias literas magno artificio velatas. Libri S. Augustini *De Doctrina Christiana*, lumina Critices clarissima quaqua versum diffundunt, quæ non nisi cœcis oculis abscondi possunt. Synopsis sub nomine S. Athanasii exactæ opus est Criticæ, itemque Epistola ejusdem Sancti ad Marcellinum. Rursus S. Augustini illud verè grande opus *De Civitate Dei*, humani ingenii velut ex vertice prodiit. Verè Magna esset novæ Critices Ars, si in ejus feracissimo subtilitatum campo unum tale germen oriretur. Moralia S. Gregorii Magni omnem laudem exuperant; ac sicut Sol unicus est, sic isti operi alterum minimè associandum. In eo Author profundum Abyssus penetravit, ac cœlesti quadam Critica ex stylo Deum in scripturis agnovit, & multiplicem eloquiorum Dei sensum, quantum humanæ imbecillitati permittitur, patefecit.

ARTICULUS OCTAVUS.

De Theologica Critica Ang. Doct. S. Thomæ Aquinatis, quæ apud Scholasticos viget ac floret.

ET quia de singulis sermonem facere nimis longum esset, nec

nec longior oratio melius intentum probaret, ideò, ceteris omis-
sis, locum hic honorificum demus
Angelico Præceptori, quamvis
Critici nostri vix eum commemo-
rare dignentur, nec soleant ejus
suffragium exquirere pro dirimen-
dis controversiis Ecclesiasticis.
Scilicet homines isti humano, non
Angelico modo scire intendunt;
undè universa probare volunt vi-
su, odoratu, gustu, tactuque.
Ex solo auditu plures ipsorum ni-
hil præter Fidei dogmata reci-
piunt; alii cum hæretici sint, nec
ista suscipienda credunt. Sunt
etiam quidam ex ipsis, qui ex
parte solum novam Criticam in-
duerunt, nondum veteri integrè
deposita; & hi quidem in duas
partes claudicant, nec nisi diffi-
culter rectè incedere queunt. Sed
cur Critici nostri à Lycæo veræ
Critices fermè excludant homi-
nem morum sanctimonia Angeli-
cum, ac supra hominum capaci-
tatem sapientissimum, qui de
Deo, & Creaturis, de Natura
Angelica, & humana, de Gratia,
& Gloria, de virtutibus, & vitiis,
de ineffabilibus fidei, ac humanæ
Redemptionis Sacramentis, deque
coelestibus, ac sublunaribus tam
multa copiosè solidèque expli-
cuit, illustravit, docuit, quanta
vix datur homini, vel eo Magistro,
discere? Fortassis illud Criticis
displicet in tanto Doctore, quòd
Scholasticus fuerit, & Scholasti-
corum nobilissimus Princeps, &
Antesignanus; licet enim hoc no-
men vetus in Ecclesia sit, eoque

insignitum reperiamus Evagrium
scriptorem antiquum, ac rerum
Ecclesiæ copiosum veracemque
historiographum, ut Testatur
Photius in sua Critica Scriptorum
cod. 29. tamen postquam Theolo-
gis, qui certa methodo ac ratio-
ne quasi nova via Theologiam
tradunt, ipsum nomen peculiari-
ter inditum fuit, odiosa quadam
significatione usurpari incepit,
propter cavillos argutasque ratio-
cinationes Joannis cognomento
Sophistæ, Scholæ Nominalium
Authoris, quem secuti sunt Ar-
noldus, & Ruseellinus Magister
Petri Abailardi. Ab his suspecta
reddita est subtilior quavis Theo-
logia Dialectica Arte edifferens;
crevitque adversus Artem suspi-
cio, vitio quorundam Professo-
rum, qui in errores aliquot con-
tra Fidei nostræ veritates prolapsi
sunt, inter quos fuere Berenga-
rius, Abailardus, ac Gilbertus,
Magister Sententiarum horum
quoque numero a plerisque adhuc
adjungitur, errasseque in multis
asseritur, quoniam à Dialectica
theologizandi methodo non pro-
cul recessit, sicut recesserunt S.
Anselmus, Petrus de Blois, & D.
Bernardus, qui veteres Patres
haud à longè secuti sunt.

Ceterum nec B. Albertus Mag-
nus, nec Alexander de Alès, nec
ipse D. Thomas cum Sanctissimo
Coætaneo Doctore Seraphico, vel
inter hos laudatos postremò Theo-
logos, locum inveniunt, ex sen-
tentia Criticorum, imò juxta lo-
corum distributionem factam ab

eruditissimo Authore *Meth. Stud.* cap. 7. pag 31. cui Theologi scholastici propter usum Logicæ ac Metaphysicæ Aristotelis nimis videntur displicere: quare de tribus immediatè nominatis Doctoribus, inquit: (Isti Aristotelis libros Religioni Christianæ aptarunt, cujus Dogmata Moralemque, juxta hujus Philosophi principia explicuerunt). Papæ, quale quantumque malum hocce! Vitium esset, si Scholastici Theologiam aprarent Aristotelicis principiis, sicut quidam hac nostra ætate ferè universa accomodare nituntur propriis sensibus, & opinionibus.

Verumtamen Theologia Angelici Magistri, in qua (scientiæ religiositas) ubique ad miraculum usque resplendet, tales Critices Regulas sectatur, quas vel ipsi delicatiores Critici improbare sermone non audeant, tamen opere plerumque soleant. Regulæ sunt. Prima. Mystera lumine fidei revelata, etiamsi apertissimè videantur repugnare principiis per se notis rationis naturalis, certissimè ut vera credenda sunt. 2. Veritates fidei nunquam contra rectam rationem intellectus nostri censendæ, quamvis pleræque sint suprâ ipsam rationem, quæ tunc corrigi, fideique adaptari debet. 3. Fidei veritates sunt desumendæ ex aperto testimonio S. Scripturæ; vel ejusdem Verborum sensu communi Ecclesiæ interpretatione eidem Scripturæ attributo; aut ex traditionibus Apostolicis à Christo capite ad nos

usque per ipsos Apostolos eorumque legitimos Successores inflexibiliter transmissis; aut ex Definitionibus universalis Ecclesiæ in Conciliis OEcumenicis legitimè ac sufficienter representatæ; aut ex definitivo judicio Romani Pontificis, uti Jesu-Christi in terris Vicarii, ac B. Petri Successoris, Pastorisque ac Magistri totius Ecclesiæ. 4. Testimonia ex his fontibus emanantia, nunquam ad invicem contraria esse possunt, cum è suggestionem habeantur unius ejusdemque Divini Spiritus, qui dissentionum Deus non est: undè si cubi hæc pugnantia inter se appareant, ratione emendari auferrique debet falsa apparentia. 5. Privatorum Doctorum opiniones quantumvis sanctissimorum & sapientissimorum, nedum dictis testimoniis ex Spiritu S. Magisterio habitis, sed nec evidenti cuiuspiam rationi, aut communi hominum, præsertim verò sapientum, judicio præferri debent. 6. Uniformis veterum Patrum sententia, etiam ubi explicata desunt principia, firmam in re Theologica probationem facit, cui refragari sine temeritate minimè possit. 7. Quoties Doctores Sancti in re alioqui clara contraria pronuntiasse videantur; aut congrua aliqua expositione concilientur, eruenda vel ex verborum ambiguitate, vel ex vario scriptorum idiotismo, vel ex sensu Authoris alibi magis ab ipso explicato, vel ex quovis alio idoneo loco; aut si concordari commodè non valeant,

ea incunctanter sententia prælegatur, quæ rem compertam adstruit. 8. In re ambigua, cum PP. ut solent, diversimodè opinantur, vel plurium Authoritas præferenda; vel opinio, quæ licet minori Authoritate videatur suffulta, efficacioribus nitatur fundamentis. 9. Alicujus, vel paucorum Veterum sententia, in Concilio aliquo vel Nationali, vel Provinciali approbata, ceteris paribus, probabilior habenda, quam opposita, cui major Authorum numerus suffragatur. 10. PP. illis opinionibus majus authoritatis robur impertiuntur, quas constanter, & dedita opera, circa materiam, quam ex professo tractarunt, sæpiusque confirmando docuerunt. 11. Vehementiores quædam PP. expressions, quibus, dum aliquem errorem impugnant, videntur aliquatenus favere opposito, sano sunt sensu accipiendæ, exponendæque juxta doctrinam ab iisdem traditam, ubi magis vera asserendo, quam falsa impugnando edisserunt. 12. Quoties aliquis, vel aliqui PP. propriæ opinionis rationem assignant, si hæc aut manifesta æquivocatione laboret, aut aperte sit inefficax, aut innitatur insubstanti omninò supposito, aut veteri consuetudini, legivè jam abolitæ, tunc talis opinio pro non asserta habeatur. 13. Peregrinæ, ac potiori titulo, profanæ vocum novitates, in rebus Theologicis, maxime verò in fidei Mysteriis explicandis, penitus vitandæ sunt, etiamsi ex intentione lo-

quentis nil falsum significant, ac etiamsi extra Theologicam Dialectum rem non absurdè significarent. 14. Declarationes fidei à Conciliis emanatæ, vel desumi debent ex attestatione PP. qui ipsis fortè interfuerunt, vel ex eorum scriptis, qui, contra damnatos in illis hæreticos, controversias agitarunt, vel ex Historicis communiter à Catholicis Doctoribus receptis, vel ex Conciliorum Collectionibus publico consensu approbatis. 15. Ex iisdem fontibus sunt hauriendi genuini sensus errorum ab Ecclesia scriptorum; minimè autem ex confessionibus fidei ab hæreticis ipsis plerumque editis; nisi quas, post cantatam palinodiam, poenitentia causa publicarint. Ultima. In rebus, quæ à fide historiae unice dependent, unius veteris gravisque testimonium, cui nullus alius contradixit, recipi prudenter potest, ac debet; si rem à se visam, aut à fide dignis auditam narret, & res in propria materia nec absurda sit, nec incredibilis appareat, bene perpensis facti circumstantiis.

Has veræ Critices solidas, sapientiumque ad sobrietatem proprias Regulas, sublimissima, & exquisitissima prudentia particularibus casibus applicatas, perpetuò observat in sua Theologia Angelicus Doctor; cujus vestigia premere anhelant, quicumque Theologi rem potius, quam nomen amant. Huic Theologiæ Aristoteles famulatur, famulatur & Plato, famulatur & Socrates, famu-

mulanturque & alii Philosophi, quos idoneos invenerunt Scholastici, ut Reginae ac Dominae scientiarum inservirent. Quod si Aristoteles præ ceteris familiarius ad servitium admittitur, ideò est, quia præ omnibus plus habilis ad servitum, juxta Scholasticorum prudentissimum judicium, reputatur: melius enim Dominae suae instrumenta organaque ministrat, quorum usu ipsa veritates suas demonstrat, explicet, suadeat, defendat. Absque hujusmodi organis instrumentisque Theologia rectè differere non posset, sicut absque Grammatica aptè loqui non valeret. Quid ergo? Vitiumne erit hæc ab Aristotele accipere, à quo aptiori modo ministrantur, quam à Platone, aut quovis alio Philosopho ministrantur? Et cur Dominae non licuit uti servo sibi benè viso, cum fiat per hoc nemini injuria? Ast, inquiunt Critici, nimis multa sunt instrumenta argumentandi, multiplicesque usque ad nauseam modi Syllogismorum Aristotelicæ Dialecticæ. Utique. Sed cujus Artificis apotheca contemnitur, quod superabundet instrumentis propriæ Artis; maxime si illa publica sit, ac singulis Professoribus ad uniuscujusque libitum instrumenta exhibere debeat? Profecto ita se habet Dialectica Aristotelis; tamen Scholasticorum discretionem ac judicium argumentorum usus, omnino est committendus; nec omnium sanè stylus idem est, nec omnes dum Theologicè differunt, syllogis-

mos cumulant; imò pluribus familiares sunt brevissimi arguendi modi, iisque præcipuè qui non, pro Scholarum Tyronibus, scribunt.

Rursus in Scholastica Theologia duo maxime Criticis displicere solent. Primum est sylva innumerabilium quæstionum, etiam supra illarum numerum, quas copiosissimè excitavit ventilavitque D. Thomas. Harum plurimæ, inquiunt, vanæ sunt ac inutiles, tempusque Theologis subripiunt, quod redimere deberent, juxta monitum Apostoli. Hinc sæpe renovant querelam Mart. Dorp. Theologi Lovaniensis, qui *Orat. in Prælect. Epist. Pauli* ita exclamat: [Cur omnem ætatem quæstiunculis de lana Caprina, & ipsam Asini umbram superantibus, perdimus? Cur Sophisticarum captionum nullus est neque modus neque finis; sed perpetuæ quædam argutandi, plicandi, & replicandi libidò, & titillantis quidem, sed heu nimio constaturæ veritatis inanis oblectatio]? Secundum, est modicum, ac nullum fermè Scholasticorum studium substantialium; & utilium rerum; nam Scholastici, (Critici antischolastici adjungunt) ferè neglectam habent Scripturæ Divinæ, quæ basis est ac fundamentum veræ omnis Theologiæ, assiduam & fructuosam lectionem, maxime verò exactam perscrutationem sensus ejusdem litteralis, ex quo fermè uno desumi possunt ceteræ pro Theologia argumenta-

tiones. Similiter lectura SS. Patrum in Scholasticis rara est, vel omnino perfunctoria; cum tamen scripta veterum aptissima sint, ut Theologum efficiant, (inquit Abrah. Scultet Scriptor hæreticus *De fruct. PP. lect.*) in docendo & confirmando copiosum, in refutando argutum, in explicando interpretandoque promptum. Historiæ denique, cujus notitia rebus illustrandis, Theologo est valde utilis ac penè necessaria, aut nulla, aut certè exigua cura est apud Scholasticos, qui propterea sæpe in disputationibus, inquit Godæus Eruditus Galliæ Antistes in *Pref. Histor. Eccles.* tom. 1. vel ignorantia, vel malæ fidei in recitandis rebus historicis publicè arguntur. Undè Author *Metb. Stud.* luget decoloratam à Scholasticis Theologiam, tamquam si ex defectu novæ Critices luminum, hæc non sit aliud, quam rudis indigestaque moles inanum questionum, vacua pondere veritatum. Addit quoque laudatus Godæus Episcopus, (Scholasticos, intentam à Div. Thomæ claritatem in rebus Theologicis obscurasse, studium Divinæ Scripturæ, Patrum, & Conciliorum evertisse, paulatimque extinxisse in Theologiam addiscentibus spiritum pietatis, aridissimo illo stylo, quem appellant Scholasticum).

Ita durè Scholasticos Theologos divexant etiam ii, qui inter Criticos & Dignitate & Moribus Ecclesiastici sunt; quos proinde beniguè interpretari, Charitas

Christiana jubet: nequè enim fieri potuit, ut Ecclesiarum Pastores zelo ac doctrina præclarissimi, aut ignoraverint, aut dissimulare voverint, innumerabiles fuisse modoque esse Scholarum Alumnos non Critica virga corripandos, sed summis laudibus honorandos. Horum arma Scholastica, utpotè magis acuta & penetrabilia hæretici homines odio prosequuntur, quia metuunt: vellent enim, cum argutiis plurimum valeant, ut ii, quos hostes credunt, licet solos persequantur errores, argutiarum modos dolosque ignorarent, ne ab his redargui convincivè possent. Non autem est cur talia arma formident, quibus noxia esse nequeunt. Sophismata Lutherana, & Calviniana Scholæ detegunt, spernunt, irrident; insuper Idiotarum oculos aperiunt, ne ipsis incautè capiantur. In hac Palæstra ad tempus Scholastici exercentur, vacaturi, ætate crescente, fructuosioribus, ut Critici ajunt, studiis; illis videlicet paulò antè recensitis, non quibus Critici vacare solent; neque enim eadem sunt omnium hominum studia; nec Ecclesiæ Sanctæ expediret, quod numerus augetur Criticorum; quandoquidem Critica Magna Arte Scripturarum Divinarum summa Autoritas, mille dubiis circa authenticam Versionem palam excitatis, obscuratur, extenuatur, enervatur; commendata per rotæ sæcula Patrum sapientia infirmatur, ac in multis etiam contemnitur; monumenta Ecclesiastica aut

sus-

aspecta redduntur, aut falsa divulgantur; piæ fidelium opiniones pietatem devotionemque confuentes, nimia sciendi libidine, eliminantur ac evertuntur; generales traditiones dubiæ fiunt, particulares verò etiam irridentur; imminuitur deniquè gloria Sanctorum, verbaque signorum, quibus Deus honorari à fidelibus velle declaravit, vel humana Critica velut naturalia interpretantur, vel ab historicis conficta esse dicuntur.

Dùm ergo Critici, hos tandem fructus maximo animorum suorum oblectamento percepturi, impensè sese applicant lectioni & collationi diversorum Codicum, ut Biblia nostra emendent, ut Patres corrigant, ut historias expurgent aut dissipent, ut radicas cordibus fidelium opiniones evellant, utque nihil ferè nos credere doceant; Scholastici potissimum Juniores, quibus ocia hæc literatissima neque conveniunt, neque placent, perpetua speculatione, mentes quodammodo infigunt in Theologiæ objecto, quod Deus est; cujus infinitas perfectiones, cum creata cognitione comprehendendi nunquam possint, semper querunt, inquirunt, perscrutantur; putantque, nec falluntur, longè dignius occupari, ac studio mobiliori incumbere, quàm ii, qui circa Astrorum umbras immorantur, aut coelestia corpora dinumerant metunturque, aut præsumunt altitudinem Coeli, & latitudinem Terræ, & profundum

Abyssi pariter dimetiri, aut cogitant Solem sistere, Terramque diurno motu circumvolvère, aut de Epicureis atomis jugiter discurrunt, aut internas animalium plantarumque structuras observare non desistunt: & tamen Critici hujus generis inutilissimas occupationes non solum minimè reprehendunt, verumetiam laudibus extollunt, atque annumerandas censent cum opimis fructibus novæ Critices. Si ergo nullus neque modus neque finis imponitur observationibus, ut vocant, Mathematicis, Mechanicis, Physicis, quæ extra Deum certissimè divagantur; nec Asini umbræ postponitur unius vermiculi Bombycis anatomica historia, non sine oculorum jugi attritu, magnaque temporis jactura elaborata; imò si historia hæc velut sublime quoddam humanæ solertiæ opus à Criticis concelebratur, avidèque expetitur & queritur à Regia Societate Anglicana, quæ ulteriorem operi manum apponere cogitat, apud oper. posth. Marcelli Malpig. fol. 76. in Edit. Amstel. quare isti Scholasticos non sinant liberè ociari, si ita dicere lubet, circa subtilissimas quæstiones de Deo, ac de rebus Divinis, deque Creaturis ut ad Creatorem relatis? Quare ipsis non liceat, quadam veluti anatomica speculatione, Naturam omnium rerum opificem, fide duce, incessanter rimari? Scholasticorum in studiis necessariis socordia esse tantum habet objectivum in intellectu Criticorum,

ut

ut opportuno loco demonstrabimus.

ARTICULUS NONUS.

De qualitate Conjecturarum, quibus Critici sæpè ducti Patrum Authoritatem deserere solent.

Nihil magis in votis habere videntur Critici, quam ut veterum Ecclesiæ Scriptorum Authoritatem venerentur, tueantur. Quamobrem opera sua communiter exordiuntur ponderosis verbis, quæ & signa & pignora sint hujus piæ intentionis. Nec de sinceritate ambigimus, sed promissorum fidem desideramus. Tillemontius Amatoris vetustatis contesseratione insignitur, & reverâ talem se exhibet, dum in suis præmonitionibus pag. 16. advertit, quod cum illa, quæ improbabilia apparent, possint vera esse, & de facto talia interdum sint, non licet ea rejicere, nisi in contrarium insurgant validissimæ rationes, quoties commendabili Veterum authoritate muniantur. Vigore hujus principii hic Criticus Author admittit quædam veterum testimonia, quæ Critici alii recusare non dubitant, ut sunt testimonia Eusebii & S. Ephrem de historia Abagari; aliud Hegesippi apud eund. Euseb. de Martyrio S. Jacobi Episcopi Hierosolymorum; aliudque Plutarchi ab ipso Eusebio confirmatum de morte Numinis (Pan), sub cujus nomine mors Christi Salvatoris annuntiata


fertur ab ignota voce Thamo cujusdam navis Naucero, in sinu Corinthiaco, propè Echinades insulas. De veritate hujus historiæ plures Critici dubium habent; & re vera tota nititur authoritate pagani unius Scriptoris; nam credibile videtur non aliundè illam Eusebium hausisse: tamen Tillemontius hanc historiam, quam aliquis fabulam putat, rejicere non audet, ne præjectum principium deserere vincatur. Sed protinus & in re graviore desertoris vitium incurrit. Cum enim Origenes, S. Basilus, S. Gregorius Nyssenus, S. Cyrillus Alex. Eustatius Antiochenus, & alii Veteres referant, in Hierosolymitano Templo fuisse peculiarem quendam locum educandis puellis destinatum, inter Templum ipsum & Altare, à quo B. Virginem Mariam ibi manere desiderantem, Ministri expellere voluerunt, & tumultu facto, Zachariam, patrem Præcursoris, expulsiōni resistentem occiderunt: Tillemontius, cui & Gravesonus suffragatur, tantorum Patrum testimonio minime obstrictus, factum judicat inverisimile; hac ratione, quod videatur nequaquam conveniens modestiæ SS. Virginis. Non ergo illi Patres veram Criticam habuerunt, qua discernere probè scirent, quæ conveniunt, aut non, virginali modestiæ. Neque hic modò disputamus, an factum sit verum; sed an testes eidem suffragantes prudenter rejiciantur tamquam nimium creduli, & inepti ad eadiscer-

serbenda, quæ Virgini Deiparæ sint decora, ab iis potissimum, qui, ne Veterum auctoritatem deserant, inverisimilia fortasse credunt. Apocryphum quidem est, ex quo ea desumpta videntur, Pro-evangelium Jacobi; at quæ dicuntur apocrypha, non eo ipso, aut sunt, aut probantur falsa. Fortè etiam & ex purioribus hausta fontibus, nunc nobis ignotis.

Præterea idem Author incredibile putat, quod S. Jacobus minor liberum habuerit ingressum in (Sancta Sanctorum), propter eximiam Viri sanctitatem Judæis ipsis commendabilem: quia verò hujusmodi privilegium noverat expressè testificatum à S. Epiphano, & S. Hieronymo, & Rufino; ne tanto auctoritatis pondere premat, hac fortissima ratione defenditur, dicens: (Authores istos erroris fuisse capaces), ideòque in translatione de Græco in Latinum ab ipsis facta narrationis Eusebii, qui illam ex Hegesippo sumpsit: pro (Sancta) vertisse (Sancta Sanctorum), non bene utrumque distinguentes. Magna utique in re tunc notissima tantorum Scriptorum æquivocatio! Sed cur saltem incredibile non agnoverint homines rerum Hebraicarum peritissimi, quod, post tot elapsa sæcula, credibile non esse, critico visu Tellemontius videt? Nempè, nondum illis temporibus inventa erat secunda Regula credibilium.

Ruinartius, severus, si quis alius, Criticus, & in Patres verbis promissisque religiosus, tanti

fecit unius Codicis Regii auctoritatem, ut cum in eò solum invenisset scriptum *Sancta*, non *Sancta Sanctorum*, Scaligerum reprehendit, quòd secutus testimonia Eusebii, & SS. Hieronymi, & Epiphani, exploratum duxerit, Jacobo, propter singularem innocentiam & sanctitatem licuisse ingredi in penitioem & sacratiorum Templi recessum, qui *Sancta Sanctorum* dicebatur; & in quem solus Pontifex, semelque tantum in anno introire poterat. Addit insuper Ruinartius, in Hegesippi textu nihil aliud occurrere, quam in *Sancta*; id quod intelligi oportet de *Sanctuario*, in quo Sacerdotes solis vestibus lineis induti ex officio & jure suo quotidie ministrabant. Quem sensum retinere maluit Valesius in sua Versione, contempta Veterum auctoritate, ut morem gereret novis Criticis. Ceterum, ut appareat, non esse Criticos hostros labii unius, etiam cum una Hebraeorum aut Græcorum lingua loquuntur, vel eam interpretantur, Calmetus & ipse famosus Criticus in suo *Dict. Bibl.* nihil discriminis agnoscit inter *Sanctum Sanctorum*, & *Sanctuarium*; sed utriusque vocabuli usurpatione indiscriminatim significari dicit intimum Templi penetrale, ubi Arca Fœderis servabatur: quem in locum ceteris ingredi nefas, Summo Sacerdoti semel tantum quot annis die solemnem Expiationis. Igitur, si quicquam valent novæ Tellemontii & Ruinartii Interpretationes aut Emendationes, Eusebius,



Hieronimus, Epiphanius & Ruffinus Hegesippi Textum pessimè interpretati sunt; nec solum convincuntur sermonis imperiti, verum etiam rei apud Hebræos ex ipsa Lege vulgarissimæ ignari. Romana quoque Ecclesia, quæ Breviatio suo priscorum narrationem Patrum inseruit, nimia, penèque incredibile ignorantia crassum errorem probavit, & fidelibus prudenter credendum proposuit. Et, nisi post tot secula, nova apparuisset mundo Tillemontii ac Ruinartii Critica, adhuc ignoraremus quidnam re vera de Jacobo traderit Hegesippus, cujus mentem nec assecutus est Eusebius, nec assecuti sunt Epiphanius, Hieronymus & Ruffinus.

Non minori, quàm Tellemont, erga Patres reverentia affectos se esse protestantur famigeratus inter Theologos Criticus P. Alexander in *Hist. Eccles. sæc. 1. tom. 1. dissert. 2. quæst. 1.* & celebris Dupin, in *Dissert. prælim. pag. 177.* & tom. 1. pag. 63. Communis horum promissio est, nunquam se à veterum Patrum sententiis discessuros, nisi ab eorum placitis magna argumentorum efficacia abducantur. Nunc videndum quam vi conjecturarum moveri se in oppositum sinant. P. Alexander *Hist. Eccl. tom. 1. cap. 10. art. 7.* cum impugnare in animo haberet sententiam illorum, qui post S. Irenæum, Tertullianum, S. Epiphanium, S. Hilarium, S. Hieronymum, Philastrium, S. Augustinum, & S. Isidorum Hispal. Ni-

colaitarum hæresis Magistrum Authoremque agnoscunt Nicolaum unum ex sept. primis Diaconis, expendens velut magis positivum sequens Irenæi testimonium. lib. 1. cap. 27. (Nicolaïtæ Magistrum habent Nicolaum, unum ex septem, qui primi ad Diaconatum ab Apostolis ordinati sunt): tam aperta Irenæi verba, critica planè libertate, exponit, inquiens: (Irenæus solum significat Nicolaïtas Magistrum agnoscere, id est, jactare Nicolaum. Ni hil enim cogit, ut alio sensu Sancti Irenæi verba accipiamus). Et quomodo nihil nos cogit, si tot gravissimorum Scriptorum autoritate cogimur credere, non adeò obscurè, ambiguè, & ineptè locutos? Quomodo nihil nos cogit, si assertum Nicolai Magisterium nullus Veterum attribuit hæreticorum jactantiæ, sed omnes veritati historiæ? Et quomodo, si Irenæus nihil aliud significare voluit, mentem suam non clarè significavit, aperuitque fidelibus mendacium Nicolaïtarum, qui tantum dedecus dolosè appingebant Apostolico viro Nicolao?

Et quia novæ Critices plenè conscis aspera quæque fiunt in vias planas, idem Author Magnæ Artis peritissimus, nulla difficultate assecutus est verum sensum verborum D. Hieronymi *de Vir. illust.* ad cujus perceptionem Priscorum nullus pervenerat. Hinc Hieronymum eo loco scribentem: (Barnabas unam ædificationem Ecclesiæ continentem *Epistolam* com-

composuit): ita discretissima Crisi interpretatur: (Cum Sanctus Hieronymus hanc *Epistolam* compositam dicit à S. Barnaba, titulum spectat *Epistolæ*, non rei veritatem.) Ita quidem, quoniam sic placuit Critices amatori. At videtur, quod expeditius nodum solvere potuit, dicens, (Hieronymus erravit), nam simili formula prementem auctoritatem excurit: (Epiphanius), inquit, (deceptus est): (Severo Sulpicio non est fides adhibenda): (Gregorius Turonensis facile errat): (Veteres in monumentorum censura sunt decepti): & alia hujusmodi. Sed sapiens scriptor pulchrum opus varietate fecit pulcherrimum. Fortassis etiam tunc meminit illius Regulae Critices: (legitimi operis nota est, si Antiqui laudent illud opus sub nomine Authoris, cui est inscriptum). At quando, vel qua via scire poterimus, antiquos opus aliquod laudasse sub nomine vulgati Authoris, si Hieronymus scribens, (Barnabam unam *Epistolam* composuisse, Ecclesiae adificationem continentem), dicatur neque verum Authorem indicasse pervulgatae *Epistolæ*, neque *Epistolam* ipsam laudasse? Sensus obvius verborum P. Alex. in allata expositione est, quod sciens S. Hieronymus sparsam inter fideles unam *Epistolam* falso Barnabæ adscriptam, spectato solo *Epistolæ* titulo, dixit, (Barnabas composuit), &c. Unde vero Criticus iste novit, Hieronymum non cre-

didisse Barnabam verum *Epistolæ* scriptorem? Ubi invenit Hieronymiana phrasi, illum dici aliquod opus composuisse, cui falso tale opus attribuitur? Et hanc phrasem tolerandam dicemus, an potius absurdissimam, minimeque tanto Doctore imputandam? Astrologi, quorum his postremis temporibus Critica subtilissima est, tale aliquid dicunt de Scriptura Sacra, in qua describitur gyri Solis, quem ipsi immotum adstruunt; inquit enim, ibi asseri Solem moveri, non quod verè moveatur, sed quod ita ignari Astrologiae homines falso credant. Verendum, ne aliquis Criticus eadem phrasi tandem aliquando assereret, potuisse S. Lucam verè scribere in Evangelio, Joseph generasse Jesum, quandoquidem filius ipsius putabatur.

Sed tolerabiles utcumque permittamus similes Verborum conjecturas verè peregrinas, verè novas, verèque alienas à tam Veterum, quàm Recentiorum idiotismo: sanè si ita licet, & exactissimi Judicii spectataeque eruditionis Scriptoribus licet, testimonia Veterum præfato modo exponere ac interpretari; uno ictu Auctoritas concidit universa, concussisque fundamentis, tota Critices ingens moles cum Regulis suis corruit. Unusquisque etiam Criticus propriis manibus opiniones suas dissipabit, vel viam saltim adversariis ostendet, per quam tuto, ac alienis sumptibus, debellati prostratique possint. Ete-

nim quonam pacto idem P. Alexander suam, & aliorum opinionem de veritate *Epistolarum* SS. Ignatii, & Polycarpi Martyrum, adversus alios Criticos, tenebitur; si Adversarii, mutuatis ab ipso verbis, ita interpretentur Hieronymum scribentem: (Ignatius scripsit unam Epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos) &c: (Polycarpus scripsit ad Philippenses valde utilem Epistolam) sicut ipse eundem interpretatus est exarantem: (Barnabas unam ædificationem Ecclesiæ continentem Epistolam composuit) ? Dicent enim: (Cum Hieronymus has Epistolas dicit scriptas ab Ignatio & Polycarpo, titulum spectat *Epistolarum*, non rei veritatem).

Et ut evidentius appareat, æquissimè à nobis sæpè inculcatum, quòd dum Critici de omnibus judicare instituunt, Artem judicandi omnino subvertunt, sciendum est, Gelasium Papam in suo Decreto alias à nobis commemorato, cum Apocryphos libros designat, sequens judicium promulgare: (Epistola Jesu ad Abgarum Regem apocrypha; Epistola Abgari ad Jesum apocrypha. Liber, qui appellatur Pastoris apocryphus). Liquet ergo, quòd, juxta Pontificiam Criticem, hæc tria censuram merentur æqualem. Ceterum apud Criticos firmum esse debet nihil. Undè censura Pontificia in Epistolis Jesu ad Abgarum, & Abgari ad Jesum, firmiter probat ex sententia P. Ale-

xandri; ex sententia verò Tillemontii minimè: eadem item censura, secundum opinionem ipsiusmet P. Alex. nihil operatur contra authenticitatem libri Pastoris; hanc autem excludit, juxta aliorum Criticorum opinionem. Epistolæ, licet pro germanis habitæ ab Eusebio, à S. Ephrem Syro, à Dario Comite, ab Evagrio, à S. Joanne Damasceno, à Theodoro Studite, & ab aliis, apocryphæ omnino sunt credendæ, inquit P. Alexander, quia ita Papa in Concilio Rom. declaravit; & de Authoribus, qui aliter opinati sunt, dicendum est, quòd allegata ab ipsis monumenta non bene expenderunt, ac in eorum censura decepti fuerunt. Ita quidem: nam vel hac una obsequiosa erga Apostolicam Sedem Regula, verius quam Ariadnæ filo Theseus, discrepantium opinionum labyrinthum tuto evadere & Critici, & nos poterimus. At non sic res se habet; quippè Regula ista, sicut & Critices quævis alia, non regit, sed regitur; servit, non dominatur. Ideo liber Pastoris, qui à Papa cum Concilio inter apocryphos numeratur, apocryphus neququam est, sicut *Epistola* apocryphæ sunt, sed legitimum Hermæ opus, quamvis non Canonicum, non opus continens Verbum Dei scriptum: & S. Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius, S. Athanasius, S. Hieronymus, Rufinus, & alii, qui ita rem esse credidere, non sicut sæpè alibi decepti fuerunt, sed

exactissime rem istam examina-
tunt.

Eadem ambiguitate apud Cri-
ticos laborat conjectura illa, quæ
ex tempore, in quo Authores ali-
quod factum narrantes vixere, ple-
rumque desumi solet: & hæc
enim ancilla est voluntatis. Hinc
P. Alexander, qui cum aliis Criti-
cis, veterum Pontificum usque ad
Siricium, Decretales supposititias
affirmat, cum sciret, eas uti genui-
tias agnovisse pleraque Concilia,
Conciliorumque & Canonum Col-
lectores, pluresque Authores spec-
tatae integritatis, & eruditionis,
omnium horum testimonia velut
penitus infirma declarat, recusat-
que, *quoniam, silentibus, inquit,
Antiquioribus; qui post nonum sæ-
culum scripserunt, nec Decretales il-
las ad severioris Criticæ normam
examinarunt, probabile argumen-
tum efficere nequaquam possunt:*
dum Acta Martyrii S. Andræe A-
postoli authentica, verèque à
Præsbyt. & Diacon. Ecclesiæ A-
chaïæ sub an. Chr. 59. conscripta
probare conatur, Regulam hujus-
modi penitus deserit, & contra
præscriptum ipsius, vetustissimum
factum primi Ecclesiæ sæculi, cu-
jus prorsus meminit Scriptor, per-
suadere Mundo sperat, solo testi-
monio Ephetii Episcopi, Beati Sa-
cerdotis, B. Petri Damiani, pau-
corumque aliorum minus antiquo-
rum. Vides quorum fide Acta illa
tuta consistant, licet ante finem
sæculi VIII. nullam eorum men-
tionem fecerint neque Concilia,

neque Papæ, neque Eusebius, ne-
que Hieronymus, neque ullus om-
nino Author. Tamen alibi ab eo-
dem Critico S. Martialis Epistolæ
fictitiæ declarantur propter vete-
rum Scriptorum silentium. At si-
luerunt sanè omnes Veteres, nec
siluerunt solum, verum etiam
sæporis vocibus contradixerunt
singulari opinioni Philoponi
Grammatici, qui Jesum Christum
mortuum asseruit intra trigesi-
mum septimum ætatis suæ annum.
Nihilominus hæc opinio aliarum
omnium victrix evadit, juxta ex-
quisitissimum judicium ejusdem
Critici, quem ignorasse non cre-
dimus, qualis sit Philoponi Au-
thoritas: licet enim scriptor iste
Alexandriæ, contra Severum hæ-
resiarcham, ac Proclum Platoni-
cum Philosophum scripserit, non
id laudabiliter egit, sed dum quos-
dam errores confutavit, in alios
incidit, unde binos libros planè
hæreticos postea edidit, alterum
adversus resurrectionem mortuo-
rum, adversus Chalcedonense
Concilium alterum: quare uti hæ-
reticus, & Scriptor [inaniter seu
ineptè laborans] damnatus fuit in
VI. Synodo, Act. XI. Verum non
prorsus inaniter ineptèque labo-
rasse dicendus videtur Philoponus,
si in medietate VI. sæculi verum
annum mortis Christi invenire po-
tuit, lapsamque detegere om-
nium veterum Patrum, cuncto-
rumque Ecclesiæ monumentorum.
Sed pro nunc satis de P. Alex. Cri-
tica.

Celebris inter Criticos Du-pi-
nus,

nus, Parisiensis Doctor, Scriptorque insignis *Bibliotheca Authorum Ecclesiasticorum*, eximius Antiquitatis venerator plerumque ostenditur: undè propter Veterem S. Hieronymi Autoritatem, gentianam credit *Epistolam S. Barnabæ*, quam alii Critici cum Tencelio in op. S. Hieronymi *de Script. Eccles. Alexandrinum Judaicum figmentum* suspicantur; quos Dupinus tom. I. *Bibliogr.* pag. 18. magnæ imprudentiæ arguit, cum velint melius hac de re judicare, & plus ingenii luminis, quam Hieron. habere. Eadem erga Veteres devotione ductus, Hermæ tribuit librum Pastoris; admittitque ut genuina opera, S. Clementis *primam Epistolam ad Corinth.* fragmenta, quæ supersunt *secundæ*, *Epistolas* septem S. Ignatii Martyris ab Eusebio & S. Hieronymo commemoratas; nam tres alias Latinas, & alias quinque Græcas eidem attributas rejicit; reveretur quoque *Epistolam* S. Polycarpi, cujus impugnatores Blondel, & Daillé magnæ temeritatis reos condemnat, quod præsumpserint melius, quam Irenæus Polycarpi Discipulus, hujus styllum agnoscere, & clariori pollere ingenio, quam Euseb. Hier. aut Phot. ad judicandum de vero ejus *Epistola* Authore: supponit enim Dupinus, tales esse *Epistolas*, quæ modò extant, Ignatii, & Polycarpi, quales ad priscorum manus pervenerunt: de quo fortè major posset esse dissertatio, ampliorque dubitandi licentia, Veterum authoritate illibata.

Erud. Godæus lib. 2. *Hist. Eccles.* ann. 107. & 108. observat, quod exemplaria *Epistolar.* S. Ignatii, quæ nunc habemus, in multis minimè respondent locis à Veter. PP. allegatis. At Dupinus constanter affirmat, citationes Veter. PP. ad literam reperiri in Edit. dict. Ep. Usserii, & Vossii. Indè occasionem sumpsere Blondel, Saumaise, Daillé, & alii hæretici, easdem *Epist.* rejiciendi.

At Dupini Critica alieni judicii opinionibus diù circumscribi non patitur: undè citò rumpit funiculos Authoritatis, ac proprii dictaminis lumen insequitur: ut verò palam faceret, nolle se unius vel alterius prudentiæ legibus astringi; omnium simul Autoritatem in re gravissima deseruit tom. I. pag. 28. ibi enim credere repugnat, quod Apostolorum Symbolum verè sit ab Apostolis compositum, sicut vulgò à Fidelibus creditur; quare inquit: Non temerè dubitari potest, an Apostoli, ut fertur, in unum convenerint, ut velut in Concilio congregati, Symbolum Fidei conderent? Tamen ita rem esse credendam affirmant Ruffin. S. August. S. Leo Mag. S. Maxim. Taurin. Fortun. S. Petrus Chrysol. & plurimi alii gravissimi Scriptores, qui hoc quoque sensu sunt interpretati testimonia S. Irenæi, Tertull. Lucifer. S. Hier. & S. Ambros. afferentium, Ecclesiam ab Apostolis accepisse Symbolum, quod est Fidei Regula. Si absque temeritate Fideles dubitare possunt de hujusmodi facto, nondum

Cri-

Critica moderna temeritatis definitionem novit, vel apud Criticos etiam Ethicæ Regulæ sunt ambigua.

Hinc idem Author putat se citra temeritatem negare posse Sibyllarum Libros, quos suppositivos esse autumat, confictosque, secundo sæculo, ab aliquo sciolo Christiano, postquam veri Sibyllarum Libri, ut ipse credit, igne consumpti perierunt vel in Capitolio, vel in Templo Apollinis Palatini. Et quò tandem abierunt Critices Regulæ, si & aliæ Regulæ inventæ sunt, quibus prudenter asserantur conficta Sibyllina oracula? Et quali prudentia conficta dicuntur, & tempus fictionis designatur, cum de hoc nec umbra, nec odor extet in ullis Veterum testimoniis? Flammæ Romani incendii, quo Sibyllarum Versus absumi conflagarique potuerunt, tempestivè extinctæ sunt, ut certis documentis monstravit P. Crassetus Jesuita, part. 2. Dissert. *sup. Orat. Sibyll.* Fictio modò asserita à Dupino objecta olim fuit Christianis ab inimicis Fidei, nulloque negotio tunc diluta ab ipsismet Christianis, ut testis locupletissimus est Lactantius, *De vera Sapient.* lib. 4. cap. 15. Ibi Sibyllina exempla præfert, deprompta ex Cicer. Varron, aliisque Veteribus. Testimonia etiam, quæ Sibyllarum nomine vetustissimi Patres scriptis suis indita reliquerunt, in modo extantibus libris ad verbum reperiuntur, vel sensu saltem eodem, aut æquivalente ha-

centur. Quid ergo adhuc desideratur, aut quid sufficiet Criticis, quibus hæc pauca sunt; maximè, accedente communi Fidelium traditione, de cujus veritate ante finem sæculi XVI. quando, exorientate Critica, tempus dubiorum Mundo advenit, nemo prorsus dubitavit. P. Possevinus & Castallio nonnullos scrupulos excitarunt. Sed Blondellus Author heterodoxus, Sibyllas detestans, quæ de Purgatorio apertissimè vaticinantur, primus in earum versus exarsit, confictosque dixit ann. 140. partim ab Herma, Authore Libri Pastoris, partim postea à Montano: nec pudet hæreticum hominem talia sine testibus loqui. Hunc secuti sunt Marckius, & Gallé; quodque pejus est, ab eo Dupinus accepit, quæ contra Sibyllas, & contra suam Criticam adducit. P. Alexander mediam inter extremè oppositas sententiam tenuit, docuitque, primò, quòd Sibyllarum oracula, quæ ab antiquis Patribus, & Authoribus Ecclesiasticis laudantur, non sunt figmenta Christianorum. Secundò, quòd Sibyllina carmina, quæ octo libris continentur in Bibliotheca Patrum, non sunt prorsus genuina, & incorrupta, sed in multis alterata à Christiano aliquo parùm erudito, ignaroque linguæ Hebraicæ, imò exiguam cognitionem habente veræ Theologiæ, ac præcipuorum Mysteriorum Fidei. Et sanè non pauca in his libris sunt valde difficilia, & quæ, nisi sano sensu exponantur,

minimè sint toleranda. Videtis *Bibliogr.* nostræ Tom. IV. pag. 190. col. 2. art. *Sibylla*.

Ceterùm neque hoc Critices temperamentum, quod prudentia videtur non parùm congruere, constans Criticis esse solet: unde ipse P. Alex. qui de libro, cui titulus est (*Pimander*), & ab antiquis Patribus Mercurio Trismegisto tribuitur, expressè affirmat figmentum esse alicujus Neochristiani Philosophi Platonici, ejus temperamenti omninò obliviscitur; nec, sicut de Sibyllis, asserit (testimonia, quæ ab antiquis Patribus, S. Justino (si is Author est *Exhort. ad Gentes*), Lact. Clem. Alex. S. August. S. Cyrillo, & aliis nomine Mercurii laudantur, non sunt figmenta alicujus novi Christiani Platonici; sed liber, qui modo extat sub nomine Mercurii incorruptus minimè est, sed in multis alteratis, & impurus): Verùm extremam sententiam amplectens, sanum temperamentum dissolvit, & tam liber ipsum (*Pimander*), quam Mercurii testimonia ex ipso à Sanctissimis Patribus allegata, & laudata, æqua censura contemnit, dicens: (An Mercurii liber reverà esset necne, Patres non expenderunt, majora in studia incumbentes). Vide Critices novam Dialecticam. Dùm de Sibyllis sermo est, valet arguere sic: (Patres Sibyllarum testimonia allegarunt: ergo expenderunt, an reverà Sibyllarum essent necne)? At dùm agitur de Mercurio, non amplius valet

argumentum; sed sic potius: (Patres Mercurii testimonia allegarunt, & laudarunt: ergo quia minimè expenderunt).

Enimverò Critica semper ultra progreditur, & cum dubitando coeperit de singulis monumentis Ecclesiasticis, omnia ferè negando perficitur. Jurisprudencia, in rebus quoque externis, pluris facit antiquas hominum possessiones, usus, consuetudines, ac bonam fidem; prudentissimèque instituit jura præscriptionis, usucapionis, & alia hujus generis, ad tuendum temporis beneficium, ac bonam fidem hominum: nisi enim ista plurimum valerent in humana Societate, dura perpetuaque anxietudine cruciarentur homines circa res familiares, quas nullo legis præsidio defendere possent, adversis tentatas ab aliis probabiles actiones. Ceterùm Ecclesia, quæ res suas familiares, hasque maximi pretii, longissimi temporis possessione, usu & consuetudine immemorabilibus, fide & testimoniis Verèsum, Monumentorum nunquam deletis vestigiis, ac fidelium consensu & traditione perenni fluxu manente, cumulatisimè vindicare potest; non ideo relinquitur bona sua pacificè possidere, sed à nova Critica novis quotidie litibus provocatur, appetitur, conturbatur; nec Judicem habet, cujus autoritate compescantur litigiosi homines; ipsi enim volunt Judices esse & partes in causa publica, in qua non licet privatis

Jus dicere; neque, qui Catholici sunt; interesse ullum habere possunt; cum, neque, quæ indecora sunt Matri, filiis gloriosa esse queant; neque ditescere valeant spoliis Materni honoris.

Igitur postquam Critica Ecclesie abstulit celeberrima Mercurii Trismegisti testimonia, quibus Catholicam Fidem plurimum commendari, etiam apud Paganos, Patres nostri agnoverunt: ne vel umbra remaneat alieni ac famigeratissimi nostræ fidei testis, magisque innotescat vana nostrorum Doctorum credulitas ac simplicitas; (has enim Traditionum radices sæpe Critici agnoscunt) jam Critica librum peperit, in quo nova lux Eruditis apparuit, postquam nec umbra superfit nominatissimi Mercurii. Ejus libri, quem manuscriptum vidit P. Honor. à S. Maria tom. 2. dissert. 6. §. 2. Author fuit quidam Tolet, Christianis. Reg. Chirurgus, Scriptorque notissimi Tractatus de (Lithotomia), Gallico idiom. pluries editi. In eo Opusculo, sive Dialogo inter Herm. & Austral. instituto, Scriptor iste opinatur, nunquam in Mundo fuisse illum hominem, qui significari vulgo solet nomine Mercurii; sed per hoc nomen Veteres exprimere chymico more voluisse spiritum universalem corporeum & vitalem, Trismegistum appellatum, quoniam verè ter maximus est: maximus est 1. extensione, quia omnia corporea replet: 2. maximus vi ac fecunditate, qua in quolibet se-

mine excitat spiritus específicos vitales: 3. maximus duratione, quia nulla sine ipso corpora durant vigentque. Et propter hæc tria, quæ spiritui universali natura sua conveniunt, Trismegistus naturali quodam sensu est appellatus. In sensu autem allegorico, prosequitur Author, eidem spiritui rectè attributa triplex Dignitas, quæ de Mercurio falso prædicari solet: ipse namque spiritus fuit Philosophus, nam ab ipso omnia didicerunt, quæ ad nutritionem, conservationem, & propagationem singularum specierum, apta convenientiaque sunt: fuit Sacerdos, nam ipse mixtorum semina univit ad liberam sui cum omnibus communicationem; Sacerdotalis enim officii munus est pacem unitatemque; foedere invito, stabilire: fuit demum Rex Ægypti, sive Naturæ humidæ, nam humiditas spiritus universalis Regnum est. Hæc erat figura novæ opinionis, cum privato adhuc cultu sub paterna cura domi lateret; nec dubitandum, quin Criticorum opera, pulchrior aliquando sit apparitura Curiosorum oculis. De Sibyllis etiam aliquid simile olim fuisse excogitatum, tradidit, ni fallimur, P. Cornelius; quidam enim suspicati sunt, Sibyllam corruptè dictam pro (Caballam), mutatumque nomen doctrinæ in nomen foemine. De Sibyllis, & Mercurio, plura in nostra Bibliographia: ubi, circa Sibyllina Oracula, alia Criticorum invenies systemata, omnia tamen Arte proprii judicii elaborata.

ARTICULUS DECIMUS.

De aliis conjecturis, quibus Critici Veterum testimonia, ad libitum, aut eludunt, aut suscipiunt, prout fert motivum scribentium.

IN quo Vertumno natam Modernorum Criticem haud immerito quisquam suspicabitur, cum viderit suorum cogitationes regere non posse, sed divagari per devia sine Arte ac Regula sinete. Sive autem id natalium vitio tribueris, sive adversæ potius fortunæ imputaveris, qua sæpe male cedit, quod vel optimè fuit institutum; constat sanè Criticorum cogitationes multiformes esse & inconstantes, nullaque certa Regula circumscribi, ligari, ac teneri; sed ad sensum gustumque uniuscujusque mutari. Quod licet ex superioribus abundè jam constare videatur, tot nobis exempla hujus veritatis in Criticorum libris occurrunt, ut penè cogamur, non ita brevi incepta orationi finem imponere.

Igitur conjectura, quæ natura sua lubrica res est, incertior fallaciorque malo usu redditur, ac tunc conjiciendo per quam facile labimur. Possibilitas rei conjecturale argumentum minimè suppeditat; & tamen Critici non raro, rem hoc vel illo modo evenisse conjectant ex eo, quod tali modo potuit evenire. Hac via non rationis, sed voluntatis, P. Simon-

us & Valois ex undecim millibus Virginibus, quas proprio cruore laureatas communis quædam fidelium traditio veneratur, unicam Virginem Martyremque effecerunt, quæ cum Undecimilla (proprio nomine vocaretur, occasionem dederit imaginandi, & credendi prodigiosum numerum Martyrum Sociarum S. Ursulæ. At Breviarium Rom. quod cautè indefinitum numerum apposuit, (S. Ursulæ, & sociarum) dixit, non (S. Ursulæ & sociæ). Subtilius planè vir quidam ex nostra Hispania rem componere meditatus est inquit enim socias S. Ursulæ XI. dumtaxat fuisse: quod cum compendiaris notis à priscis Auctoribus exprimeretur sic: *Sancta Ursula & XI. V. M.* posteriores male scriptum legentes, pro *Martyrum Virginum, Millium Virginum* transcripserunt. Ceterum omnes Tabulæ Ecclesiasticæ, & quotquot res Colonienses attingunt XI. milia comites S. Ursulæ assignant, Alii haud dissimili conjectandi, vel divinandi facilitate, nomen (Veronica), derivatum dicunt à (vera, Icon), per erroremque vulgò attributum cuidam piæ foeminae, cum re vera tale vocabulum incorruptum significet veram Imaginem. Nec diversa ab istis sunt familiarissimæ aliæ Criticis conjecturæ, quas sæpissimè producunt terminis generalibus, dicentes: (Eusebius nondum rem exactè consideraverat): (Patres non istud expenderunt): (Veteres sine maturo examine aliorum

opinionem assensum præbuere). Certe quisquis his formulis conjectando respondet, ex sola facti possibilitate, existentiam facti deducit, & latissimam viam sternit, per quam facile unusquisque vicem rependere possit.

Præterea, Conjecturas negativas ex silentio Authorum, Historiarum, aut quorumlibet Monumentorum depromptas, nullius esse roboris ac efficaciam ad infringendas vires positivi alicujus testimonii, apud omnes in confesso est, nec Critici verbo reclamant, tamen si factis sapientissime contradicant. P. Alexander pro omnibus iterato insonat: (Argumenta, quæ negantia dicuntur, futilia sunt): (Argumenta ab autoritate negativa nullius sunt roboris). Et quidem singuli Critici similia argumenta contemnunt in aliorum ore; singuli verò illis utuntur ad proprias negationes firmandas; iterumque despiciunt, quoties affirmantes opiniones tueri intendunt. In Divina ipsa Scriptura unus facer scriptor res plures omisit, quas alter expressit; nec nisi hæreticorum est fidem afferenti adimere; propter silentium alterius Scriptoris. Hinc Faustus Manichæus ap. S. Aug. cont. Faust. lib. 17. cap. 1. noluit recipere testimonium Matth. cap. 5. [Non veni solvere legem aut Prophetas, sed adimplere]: quia simile testimonium minime scripsit Joannes, qui aderat comes Christi, cum id Dominus locutus est. Sed nec omnimodum omnium Sa-

crorum Scriptorum silentium aliquam vim habet contra testimonium aliunde habitum; nam sicut optimè monuit S. Hieronymus, in Ep. ad Gal. cap. 2. plurima S. Lucas in Act. Apost. (Historiographi licentia) prætermisit, quæ aliis documentis idoneè comprobantur. Sic nihil in Luca habetur de Episcopatu D. Petri in Urbe Antiochiæ, nec de translatione Sedis Apostolicæ ad Urbem: hæc verò firmis Documentis communitam soli hæretici negant, nec quidquam opponunt nisi conjecturas negativas, aut aliqua scriptorum discrimina circa facti circumstantias. Du pinus etiam circa Antiochenum Episcopatum S. Petri nonnulla dubitatione pulsatur, orta similiter ex argumento negativo; inquit enim, Nota 5. de S. Pet. pag. 545. quod cum plurima Mss. ap. se haberet, in nullo invenire potuit opinionem Eusebii, qui dictum Episcop. signat sub an. 37. Christi, ultimo Tiberii.

Profectò cum Critici procliviores se exhibeant ad negandum, quam ad asserendum, non facile fuit missa facere negativa argumenta, quamvis ab ipsismet improbata; abdicarent quippe se præcipuo ferèque unico præsidio suarum negationum. Unde Dupinse volens in dubium revocare conventum Apostolorum ad condendum fidei symbolum, primo loco argumentatur, dicens: (S. Lucas hoc non scripsit). Addere potuit: nec symbolum ipsum re-

tulit. Idem Author, ut probet supposititiam esse Liturgiam S. Jacobo Apostolo communiter attributam, in medium profert silentium Apostolorum in suis Epistolis, quo nihil ineptius fieri potuit. P. Alexander, ut Josephi Hebraei famosi Scriptoris Authoritatem deprimat, nullies utitur silentio Scripturarum, velut sufficiente refutatione eorum, quæ ex aliis Documentis Josephus scribit, & passim recipiunt gravissimi Scriptores. Rursus idem P. Alex. cum Dupino, ut illegitimos ostendat Canones, qui dicuntur Apostolorum, quia ab Apostolis editi creduntur in Concilio Antiochiæ congregato; [Hoc Concilium], inquit, [ignotum fuit S. Lucæ]. Melius sanè dixisset: [Hujus Concilii S. Lucas non meminit]: nec enim sequitur quod scripsisset, si cognovisset.

Claudius Joly, qui *Dissert. de verbis Usuardi* pag. 68. temerè ac impiè negat Corporalem Sanctissimæ Deiparæ Resurrectionem, & Assumptionem, negativo argumento adnixus est, dicens: (Quis autem crediderit, quòd Lucas tam insigne miraculum Assumptionis ejus corporeæ silentio prætermisset, si sibi cognitum fuisset? Quis autem ipsi notum fuisse negaverit, si cæteris Apostolis innotuisset)? Discant Critici, vel hoc uno exemplo quale quantumque sit argumentum negativum, quam inane, quam futile, quamque in pluribus casibus periculosum & impium! Heretici Traditiones ex-

plodunt, quia in Canonicis libris scriptas non inveniunt; admittunt tamen spiritus ac instinctus privatos, tamquam certum Fidei saporem & gustum, quibus Fidem ipsam palato accommodant, & sibi passim contrariam pro gustus differentiis confingunt. Et quando in Scripturis Sacris inveniunt tam monstruosam, tamque ad gustum & discretionem singulorum mutabilem, atque in tot formas vertibilem Religionis, ac Fidei Regulam? Sed hæreticos & Criticam ipsorum detelinquamus inimici enim sunt, à quibus nemo nisi extraneam & adversaria nostræ fidei sperare jure possit. Quæramus verò in nostro, & à nostris, & de nostro, ut aiebat Tertullianus Cap. 12. lib. *De Præsc.* sed vel à nostris, non sine magna cautela, hac potissimum tempestate, nostrum & de nostro quæramus; nam etiam nostrum solum licet salubriam germinum feracissimum, postquam Criticis manibus leviori conjecturarum vomete excolitur, sinistra sorte nescio qua, luxuriantes opinionum segetes producit, quas heterodoxi avidissimè metunt, ac in deliciis habent; sed quæ fidelium pietati minime sunt salubres.

Tillemontius argumentorum negantium & ipse aspernator, quoties affirmantes sententias confirmare statuit; tamen ad impugnantiam Chryostomi opinionem, generalem S. Pauli per universum Mundum prædicationem, continentem; Scripturæ Sanctæ hac in re, silentium objicere tanto Doctori

non neūtiqum dubitavit. Paulum, inquit, Art. 51. de S. Paulo, pag. 327. extra Romanum Imperium prædicasse, neque ex eius Epistolis, neque ex S. Luca ullo modo constat. Quid igitur? Latitne Chrysoftomum Scripturarum silentium? Neūtiqum. Dixit tamen, & incunctanter dixit, affirmavit, asseruit; atque ideo dixit, quoniam novit plurima, extra Canonicas Scripturas, quærere & invenire; inventa credere, & a se credita, aliis credenda tradere. Ipse Tillemontius in *Epist. directa P. Lamy art. 70. pag. 56.* hunc Theologum de Criticorum numero reprehendit, quod S. Irenæi opinionem satis singularem circa an. ætat. Christi, veluti certo falsam impugnaverit; [Ego sane], inquit, [nesciam ex Evangelio probare, Christum non plusquam 40. an. in mortali carne vixisse.] Ubi vides novam ab isto Critico Regulam insinuari, qua semel stabilita compellatur deserre plures ex suis negationibus. Paulum extra Romanorum Provincias Evangelicæ Doctrinæ lumen portasse, neque ex Epistolis ejusdem Apostoli, neque ex Historia canonica, quam de ejus rebus S. Lucas conscripsit, habemus: habemus tamen ex S. Clementis Papæ *Epist. 2. ad Corinth.* quod [Paulus in Oriente, & Occidente Verbi præco factus, illustrem fidelis suæ famam sortitus est; & in justitia Mundum universum influens, & ad Occidentis terminos veniens]: habemus ex Eusebio

lib. 3. de *Demonst. Evang. cap. 5.* quod Apostoli non solum Romanos, (sed etiam alia Regna tum Parthorum, tum Armenorum, Scytharum, Indorum, Ætiopum, ipsismet prædicationibus instituerunt): habemus Chrysoftomum, qui de rebus Pauli testis est locupletissimus, quoniam ab ipsomet Apostolo plura didicisse, nos, qui Critici non sumus, gravissimis testimoniis credimus; Critici fortè non ita facile, nam & hujus Sancti Doctoris in *Epist. Pauli Homilias*, temeraria Erasmi Critica durissimè exagitata, vix non jam credunt suspectas: habemus etiam, præter alia plurima, quod tempus vitæ Pauli post conversionem satis fuit longævum, vixit enim 30. ac fortassis 36. an. quibus Evangelizantium pedes, qui ut nubes volarunt, universum Mundum commodè (ut morem Criticis omnia penè humanis ratiociniis metientibus geramus), peragrarè potuerunt. Contrà hæc autem nihil habemus aut ex *Epistolis Pauli*, aut ex lib. *Act. Apost. S. Lucæ*: Unde cum ex his libris sacris contrarium opinioni Chrysoftomi probare non possimus, de illa minimè dubitare, minus verò eandem confutare possumus.

Insuper, si singularis D. Irenæi opinatio impugnanda ut falsa non est, quod Evangelicæ veritati aperte non repugnet, licet difficillimè adaptari eidem possit, atque ingentes contra se habeat difficultates, nec ab aliis Patribus approbata, sed potius inveniatu-

com-



communiter rejecta ; qua consequentia , qua via, qua ratione, qua Critices methodo , quo pietatis instinctu , quo affectu erga res Christianæ Religionis , qua denique fidelium populorum utilitate, Tillemontius ipse cum Critico Bailletto, immemor suæ Regulæ, imò totius novæ Criticæ, se cum ipso pugnans, nunc velut parum tuta, nunc velut fabulosa deserit, impugnat, deridet plurima & piissima, & satis decora, nec non pacendæ devotioni pietatique supra modum utilia, quæ de Vita nostri Salvatoris scripsit S. Clemens Alexandrinus ; quæque scripserunt de Genealogia, Nativitate, Infantia, ac Resurrectione ejus Sanctissimæ Matris, S. Gregorius Nyss. S. Epiphanius, S. Gregorius Turon. & S. Joannes Damascenus ? Hæc si quidem tametsi in Evangelis non reperiantur, contraria esse Evangelis in nullo inveniuntur : imò plura ex his adumbrata in Scripturis sanctis viderunt, qui puro mentis oculo easdem sedulo scrutati sunt. Numquid ista, pia credulitate, a fidelibus hausta, possunt eorum fidem moresvè inficere ; & non potius devotionem, ac pietatem augere, atque fidem ipsam circumfirmare ? At Critici quoque similia testimonia admittunt ; sed cum libet : ea verò quæ magis solide affirmant, vix non ferè omnia corruerent, si argumenta negativa probationem efficerent.

Bailletus, Author satis celebris Operis *De Vitis Sanctorum*, Severus nimis ac animosus Criticus,

imaginarium factum appellat, quod de Heraclio Imperatore Romana Ecclesia narrat in Brev. die XIV. Septembr. in Festo Exalt. S. Crucis : tantæ autem negationis unica ratio est, quod Theophanes, qui translationem vitalis ligni refert, nihil de facto miraculoso dicit. Et quid amplius Bailletus fecisset, si Theophanes negasset ? Ast Critico isti Theophanes nihil dicendo probat, tacendo suadet ; Ecclesia asserendo non probat. Rursus idem Author S. Romanum Martyrio coronatum sine Socio scribit ; quoniam de Socio ejus nihil penitus habet Eusebius Cæsar. nihil Joannes Chrysof. citatque *Homiliam* falso eidem adscriptam ; & licet Prudentius, & Author *Homiliarum* quas sub nomine Eusebii Emisiani habemus, alique plures talem Socium expressè commemorent, isti affirmando fidem non faciunt, illi plenam silendo efficiunt. Ceterum ita res se habet, quoties negare libet : quod si Bailletto aliquid asserere placuerit, illico res formam mutat, vel ut aptius loquamur, protinus silentium non aliorum, sed eorundem Authorum, silentium tantum est, & nihil dicit, nihil adversus affirmantes loquitur, nihil Bailletto persuadet, sed relinquitur in suo non esse. Hinc est, quod iste Scriptor, cum ex Philostorgii testimonio affirmet, ad diem 7. Januar. pag. 178. S. Lucianum ante mortem jusse species consecrandas super stomachum suum quasi super Altare imponi, moxque sacrificium obruisse,

lisse,

iste, nihil prorsus facit silentium Eusebii, & D. Joannis Chryostomi, qui etsi plura de S. Luciano scripserunt, nihil penitus de tam insolito facto insinuarunt. Ecce hic loquitur Philostorgius exigui nominis Author, & libenter à Bailletto auditur & creditur, etiamsi taceat Eusebius, taceat Chryostomus: alibi Eusebius Emissenus, & Prudentius, alique Authores veteres loquuntur, imò Ecclesia Romana etiam loquitur, & nulli fides à Bailletto præstatur, vel quia unus siluit, fortassè obliviosus Theophanes; vel quia Eusebius siluit, aut imaginatus à Bailletto Chryostomus. Sed de silentio Chryostomi veri quid nos hic Criticus ad suam, non ad nostram correptionem, docet? [Silentium], inquit, [S. Joann. Chryostomi hoc solum concludit, quod iste S. Pargyrista non cogitavit omnia dicere]. Optimè profectò. Nam neque nos contendimus, Chryostomum sive panegyricos elucubrando, sive rerum gestarum narrationem texendo omnia dicere cogitasse. Scimus hominem fuisse Chryostomum, cujus magnæ menti quantumvis perspicacissimæ ac defœccatissimæ potuerunt aliqua non occurrere, quæ pro loco & tempore satis essent opportuna. Quis hoc contentiosius neget, nisi immemor sit humanæ imbecillitatis? Sed si hoc potuit Chryostomo accidere, cur non eidem contingentiæ obnoxios credat Bailletus Scriptores alios, quos quod siluerunt, Testes adducit ad pro-

bandam facti alicujus insubstantiam? Quomodò solum vigilans ipse non cogitat, potuisse illos non omnia cogitare, & aliqua ommittere, quæ potuissent veraciter scribere, si cogitassent? Quare vult magnam & præclarissimam Critices Artem iis inniti ac fulciri capitosis Regulis, quas unusquisque pro nutu & arbitrio suo modò huc, modò illuc trahat, atque sic voluntatem ipse suam Regularum Critices constituat Regulam?

ARTICULUS UNDECIMUS.

De Conjecturis in incertis, aut falsis suppositionibus fundatis, quarum usu Critica non tam exacta redditur, quam captiosa ac fallax.

Argumenta ex suppositione voluntaria, voluntaria & ipsa sunt; namque inde qualitatem accipiunt, unde originem trahunt. Hujus generis suppositionibus Critices novæ conjecturæ passim innituntur, & consequenter voluntariæ meritò & ipsæ appellantur. Et quidem, nisi Criticorum conjecturæ tales essent, nulla ratione possent esse flexibiles, & tam ad affirmandum, quam ad negandum æquè ad nutum adaptabiles. Etenim Critici, qui probè norunt, ac frequentissimè fatentur, argumenta negativa nullius esse roboris, nisi sub certis conditionibus mox designandis, minimè possent talia argumenta modò producere, modò autem contemnere; si

si non cum ea producant, conditiones illas habere supponerent, quibus carent, cum ab ipsis Criticis contemnuntur.

Igitur ut alicujus Authoris silentium ad negandum vocem habeat, possitque testimonium dicere, opus est, primo, quod qui allegat silentium alicujus Scriptoris, omnia ejus scripta habuerit, noverit, legerit, intellexerit: idque non perfunctorie, non levi ut dicunt brachio, sed diligentissime, ac plenissime. 2. quod supersint omnia scripta illius Authoris, nec aliqua perierint, aut alterata corruptave fuerint. 3. quod factum, super quo controversia est, nullo modo potuerit esse ignotum illi Authori. 4. quod idem Author opportunitatem, & obligationem habuerit tale factum narrandi, nec tunc illud memoria exciderit. 5. quod non potius ad prætermittendum ultrò tale factum, gravia ipse motiva habuerit, qualia Scriptores nostri moderni, maxime Historici frequentissime habent ad multa vera facta prudenter omit- tenda. Quoties in Authore, cujus silentium ad aliquid negandum adducimus, haud omnia ista supponimus, non tam differimus, quam ludimus: non enim serio possumus silentium adscribere facti insubsistentiæ, cum tot naturalissimas silendi causas agnoscamus. P. Mabillon. in lib. *De Stud. Monast.* restrictius easdem conditiones insinuavit. Launoyus *Epist. nuncup. ad Dissert. de Argum. negat.* satis confusis, nimiumque generalibus

verbis scripsit: (In his, quæ ex conditione facti, ex usu & traditione pendent, si abnutiva ratiocinatio quadret in omnem penitus subjectivam materiam, firmissima judicari debet; si non quadret, quia potest magis aut minus quadrare, aliquando probabilitatis habet aliquid, aliquando nihil, idque sæpius). Nos verò tunc dicimus, abnutivam ratiocinationem in omnem penitus subjectivam quadrare materiam, cum minime excluduntur à materia ritè considerata conditiones supra expressæ, quarum defectu silentium nihil operatur, nihil loquitur contra factum, traditionem, usum. Bagnagius in *Præf. Histor. Eccles.* pag. 11. docet, tunc silentium pondus habere efficacis argumentationis, cum universale est, neque pro parte affirmante grave motivum adducitur.

Enimverò Critici, qui optime sciunt, quam sit difficile, quantaque requirantur, ut mutum silentium loqui, ut ajunt, interpretative valeat, ipsum passim efficiunt disertissimum, ac si verè habeat omnes illas conditiones, cum quibus, nihil dicendo, aliquid dicit. Neque solum silentium, quod omnium est, & universale dicitur; neque quod est plenissime exploratum; neque quod prudenter aliis causis non attribuitur; verum etiam quod paucorum est, vel unius haud præclaræ notæ Scriptoris; & quod non satis exploratum est; quodque multis modis citrà facti falsitatem congruenter

Exponi interpretari potest, eandem vim apud Criticos sapissimè habet.

Hinc quoties Scriptores, qui primùm de aliquo facto mentionem fecerunt, non contemporanei facto illi, sed illo posteriores fuere, statim horum fides apud istos, vel illos Criticos periclitatur, nutat, ac tandem dubiorum undis submergitur, suffocatur. Cum enim modo aut non extent, aut nos lateant Scriptores, qui anteriori tempore illius facti meminerint, protinùs Critici supponunt, numquam magis veteres, aut coævus facto Authores, ipsius meminisse: indeque ex ista suppositione, veluti ex quodam firmo principio, incipiunt dubitare, mox etiam credere, literisque exarare, Authores, qui longè post eventum primò scriptitarunt, vix ullam fidem à nobis exigere posse, cum rem asserant, cujus neque testes esse potuerunt, neque accipere tutam ab antiquioribus cognitionem. Horret ferè Animus dicere, quanta hoc uno, non ratiocinii, sed fallaciæ impetu Critici nostri labefactarunt. Traditiones vix non omnes ab istis evertuntur, nisi testes asserant, qui earum incunabula videre potuerunt. Authores, qui Traditiones ipsas invenerunt jam adultas, solum tunc Critici recipere solent, cum & vetustiores allos habent, qui vel nascentes, vel adhuc infantes conspiciere potuerint. Paucis verbis res dicenda est, Critica, hac una via, in speciosa quæque grassatur, nec penè

invenietur unum aut alterum venerandæ Antiquitatis monumentum, quod illa non conquassaverit, aut conquassare præsumserit.

Et quamvis hujusmodi vitio vix non omnes recentiores Critici laborare deprehendantur, nullus (inter eos, qui Catholici audiunt) ita pessimè se habet ac Launoyus, Gallus Scriptor septuaginta fermè voluminum, quorum plusquam dimidia pars tacta est Vaticano fulmine, prohibitis Romæ sex supra triginta ipsius scriptionibus. Hic Author, cum in destruendo potius, quam in ædificando ingenium viresque suas insumpserit, & incredulos homines efficere quasi in votis habuerit, mirum est, quanto conamine Argumentorum, ut vocant, inficialium vim pondusque ostendere, inculcare & suadere præsumpserit. Hinc tota Launoyani ædificii moles quanta quanta est, neganti argumento, tamquam cardine volvitur ac revolvitur: dignum sanè ædificium, quod protinùs corruerit, velut innixum fundamentis planè infirmis. Enim verò, quoniam exploratissimum fermè habeo, vix non esse magis vel minus familiaria negativa, uti dicunt, argumenta vel iis, qui disertis verbis inveniuntur eadem contempisse; operæ pretium iudico accuratius examinare, an aliqua, & quæ argumenta negativa vim probationis apud prudentes rerum æstimatores habere debeant aut valeant. Videtur enim fieri non posse, ut fermè omnes fallantur,

tur, quotquot vel frequentius vel rarius hujus generis probationibus utuntur. Hoc, ut pro modulo nostro præstemus, sequentes Regulas statuimus.

I. Reg. *Cum* Scriptores, & vel ipsi severiores Critici communiter affirmant, argumenta negativa flocci esse facienda, nullumque pondus habere idoneæ ac prudentis probationis, intelligendi sunt de argumentis purè negativis, hoc est, de pura testimoniorum omissione, seu de pura carentia documentorum facti alicujus existentiam contestantium. Etenim, ex pura testimoniorum & monumentorum non apparentia, rectè quidem colligitur, deficere motiva ad credendum hoc vel illud factum, quatenus silentio involutum, nulloque proinde testimonio dignum fide redditum. Qui enim tale factum niteretur credere, convinceretur velle absque ulla ratione credere, hoc est, credere quod non est credibile. Ceterum ex ipsa pura non apparentia minimè resultat probabile falsitatis argumentum, quo scilicet facti insubstantia suasibilis efficiatur.

II. Reg. *Plura sunt argumenta in speciem quidem negativa, sed quæ positivam probationem involvunt, & in argumentationem positivam resolviqueunt.* Hujusmodi porro argumentis vim inesse idoneæ probationis, nullus opinor inficiatur: quinimò non infrequens est eorum usus in Conciliis, Patribus ac Theologis, ut facile videre est apud Launoyum, & apud P. Danielelem Papebrochium, seu P. Rayerum,

qui illorum loca plurimà colligunt, quibus argumenti negantis vires pondusque ostendant. Nisi enim fallimur, in ea argumentorum collectione nullum est ita purè negativum, quod ex parte positivum implicite non sit: vel si aliquod purè negativum est, non illud pondus habet, quo inniti prudenter queat nostra fides.

Hoc genere negantis argumenti Illustrissimus Ecclesiæ Annalista Cardinalis Baronius plura fabularum monstra debellavit, quæ nunquam sanè devicisset negantibus solum argumentis. Licet enim Veterum silentium haud ineptè alleget, ut *Cyriacum* quemdam confictum Papam è Solio Romanæ majestatis deturber, & propudiosam de *Joanna Papissa* fabulam ab Ecclesiæ gravitate exterminet: non hos, hisque similes reportavit triumphos solo Veterum silentio; sed positivo Antiquorum omnium, qui Pontificum Romanorum Catalogos ediderunt, testimonio, expressè asserentium, alios fuisse veros ac legitimos Pontifices Summos, qui eo tempore Romanam Sedem tenuerunt, quo *Cyriacus* ille confictus Papa, ac fabulosa illa *Fœmina* Ecclesiæ præfuisse, sublesta, maleque consuta narratione, dicuntur. Quare nimium mihi falli videntur, qui exempla hæc, atque ejusdem generis alia imprudentes urgent, ut negantis argumenti vim pondusque confirmant. Quorum incogitantiam miror non deprehendisse & emendasse Clariss. Recentiore *Didacum del Corro,*

Quomodo, qui in sua *Dissert. Theologico-Critica De argumenti ex Brevario Romano in rebus Historicis, petiti valore*, cap. 15. supradicta adducit exempla, tamquam si iis ineductabiliter demonstraretur efficacia negantium argumentorum. At quomodo Criticus, qui P. Honoratum de S. Maria præ oculis habuit, aut non videre potuit, aut voluit, fide sanè non integra, dissimulare, in allatis & similibus exemplis nulla esse argumenta undeque negantia, hoc est, pure negativa; sed ea, quæ cum ex parte negativa sint, sunt etiam ex parte positiva & affirmantia, indeque robur & pondus probationis habentia? [In promptu est (inquit Tom. I. *De usu Critices, Dissert. 3. art. 2.*) argumentum partim affirmans, partim negans. Nullus Author ante Martinum Polonum de *Joanna papissa* verbum facit, omnesque Authores contemporanei, & ceteri ad Martinum usque, post Leonem IV. Benedictum III. non autem *Joannam* collocant: hæc igitur *papissa* Martini commentum est. Pars negans hujus argumenti ostendit, neminem *papissæ* istius Martino vetustioremem meminisse; pars verò affirmans monet, apud omnes Authores in Pontificum serie Benedictum III. illius sceminae loco, Leoni IV. succedere.] Clarissima hæc sunt, non Criticis tantum, sed & omnibus mentis oculos habentibus. Nam ex terminis liquido apparet, quod qui contendere sceminam in Sede Petri sedif-

se, & immediate post Leonem IV. sedisse, non solum premeretur Veterum silentio, (quod facile eludi posset, officiosumque reputari) factum adeò irregulare ac inverisimile nullibi commemorantium; sed obrueretur maxime numero & autoritate priscorum Scriptorum unanimiter testantium, mortuo Leone IV. an. 855. XVI. Kalend. Sextil. statim habita fuisse comitia, electumque Benedictum III. Tituli S. Callisti Præsbyterum. Hunc autem Scriptorum in designando Leonis Successore consensum, quis non videt, positivum esse, contra insulsam de *papissa* fabellam, testimonium?

Similiter, qui fictum illum *Cyriacum*, ex subdititiis D. Ursulae *Actis*, an. 237. Pontiano Successorem designare vellet, non solum convinceretur dicere, quod Veteres non dixere; verum etiam contra fidem priscorum omnium negare, S. Anterum in demortui Pontificis Pontiani locum proximè subrogatum, quod illi uno velut ore prodiderunt.

Præterea, cum S. Hieronymus argumento negante usus esset, ut exploderet, & ad apocryphas Scripturas amandaret *Periodos Pauli & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam*, dicens (lib. *De Script. Eccles.*) *Quale enim est, ut individuus comes Apostoli (S. Lucas) inter ceteras ejus res hoc solum ignoraverit?* Et videret, non satis tuto colligi, quod Evangelista id nesciverit, quod Scriptis suis non

consignavit; cum certò certius sit, plura illum præterisse, quæ ignorare nullatenus potuit: rectè quasi de assumpto medio diffidens, illudque infirmissimum reputans, positivam adjecit probationem, luculentum scilicet Tertulliani testimonium, ex quo constat, Præsbyterum quemdam in Asia amatorem Apostoli Pauli, convictum à Joanne, quod Author esset Libri, confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id loco excidisse.

Rursus, laudatus recens Criticus non minus decipi nobis videtur, cum ex aliorum Criticorum sententia, quam confirmat, supponit S. Thomam, & cum eo passim Theologos ejus discipulos, argumento purè negativo, probare, infidelium filios non esse, invitis parentibus, baptizandos. Hoc enim, inquit, S. Doctor inde deducit, *quòd Ecclesie usus numquam id habuerit; quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus & Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, Ambrosius Theodosio, qui nullo modo pretermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi.* Ceterum, si res benè inspiciatur, non in pura usus negatione stat vis & efficacia argumenti, sed in eo potissimum, quòd ejusmodi usus rationi rectè adversetur, eoque justitia naturalis lædatur: unde idem Angelicus Præceptor 3. p. q. 68. art. 10. in corp. non ex puro

defectu Ecclesiasticæ consuetudinis, sed positiva & efficaci ratione ostendit, quòd esset contra justitiam naturalem; si pueri invitis parentibus, sub quorùm cura & potestate sunt, baptizarentur; sicut si habens usum rationis baptizaretur invitus. Et quidem, nisi hæc positiva validaque ratio obstaret, posset quis optimè defendere, licitum esse Baptismum ejusmodi, licet fuerit toti Antiquitati ejus usus incognitus. Neque enim quæcumque in usu apud Antiquos non fuerunt, eo ipso illicita esse probantur. Nam Ecclesiæ usus per plura sæcula non habuit, ut Baptismus infusione aquæ ministraretur; sed tam ap. Græcos, quam ap. Latinos tria baptizandi in aquam immersione ministrabatur, uti constat ex Conciliis, Patribus, Historia Ecclesiastica, Rituali Ambrosiano, & Euchologio Græcorum: malè autem quis inde inferret, aut invalidum esse aut illicitum Baptismum infusione ministratum. Præterea, nullo Veterum testimonio constat, aquæ asperione validè Baptismum conferri; & tamen de valore ejusmodi Baptismi locus ambigendi non est; imò, juxta gravium Theologorum sententiam, asperione Apostoli baptizarunt, qui una die 3000. & 5000. hominum regenerationis aqua Christo genuerunt. [Quod ad asperionem pertinet (Joannes Pontas in *Diction. Casuum Conscr.* scribit) eam fuisse ab Apostolis usurpatam validè conjicitur, qui

Una die 3000. & 5000. hominum baptizabant.]

ARTICULUS DUODECIMUS.

De ulterioribus Regulis observandis circa usum negantis argumenti.

Regula III. *Unius vel alterius silentium contra aliorum testimonium rem expresse affirmantium, nullam supeditat probabilem conjecturam; tametsi qui siluit Scriptor gravis atque integra sit fidei; opportunitatemque habuerit rem commemorandi. Ratio in promptu est. Nam affirmantium autoritas, nisi aliunde suspecta aut infirma probetur, silentio nihil ea de re dicentis minimè elevatur aut minuitur: nullo enim modo contraria sunt, unius silentium, & alterius testimonium; nec unius testis autoritas nisi per majorem alterius autoritatem enervatur; aut nisi per æqualem dubia redditur. Quæ utique nisi vera essent, nec plures testes contèstes factum aliquod probarent, quoties alii silerent, vel nescire se dicerent factum ipsum, super quo examen subierunt. Quod autem qui siluit Author videatur oportunitatem habuisse de facto ipso scribendi; nec videatur verisimile potuisse illud non noscere; lubrica est ratiocinatio, multisque obnoxia exceptionibus; cum multiplices sint assignabiles causæ humanæ nescientiæ, oblivionis & incogitantia; variaque motiva, ob-*

quæ homo sciens etiam & volens, hæc vel illa omittere velit. Unde Scriptorum silentia interpretari, non minùs vanum est, quam umbras persequi. Corruerent insuper, vel saltim labascerent, nisi hæc Critices Regula teneret, celebriores & insigniores Historiæ tum Seculares, tum Ecclesiasticæ; Traditiones etiam vel apud prudentes receptissimæ; denique monumenta qualibet præteritarum rerum, gestorum memorabilium, portentorum, miraculorum, &c. Pauca enim fermeque nulla hujus generis sunt, quibus vel unius, vel plurium, qui de illis loqui, mentionemque facere aut potuerint, aut etiam (inspectis circumstantiis) debuerint, silentium obijci non possit: vixque unum vel alterum in tota serie similium factorum vel à diligentissimo & eruditissimo Critico invenietur, de quo testimonium perhibuerint omnes, qui ejusdem meminisse, si quicquam conjecturæ valent, potuerunt ac debuerunt.

Regula IV. *Silentium Scriptoris, qui videtur rem, de qua controversia est, ignorare non potuisse, tum ineptius allegatur adversus idonea aliorum Scriptorum testimonia, cum suppetit probabilis, nec solum possibilis, causa silentii.* Perspicuam Regulæ hujus veritatem, quam verbo nullus, plures facto negant, exemplo sic declaro simul & probabo. Eusebius Cæsariensis, non contemnendus in Historia Ecclesiastica priorum Sæculorum Scriptor, lib. 1. c. 13. agit de Epistola

Abgari ad Christum, & Christi ad Abgarum; eaque occasione satis opportunè loqui potuit; imò (ut videtur) debuit, de Salvatoris Imagine pallio seu linteò miraculosè impressa, & ab ipso Domino ad Regem missa: cujus notitiam Eusebium non habuisse, si re vera fama hæc tùm vigeret, videretur prorsus inverisimile: & tamen de ea Imagine altissimum apud Eusebium silentium. Quo silentio Eusebiano, tamquam ariete fortissimo, usi sunt Casaubonus & Serrius, ut Edessenorum traditionem, plurium graviumque Scriptorum autoritate fideque munitam, funditus, si superis placeat, evertant. Sed quam inepto medio rem arduam aggressi fuerint, ex præjecta Regula, & ex mox dicendis facile erit intelligere. Eusebius Arianus erat, unusque de illorum secta Arianorum, qui *Theopaschitarum* more, falso dictitabant cum Eutyche, carnem Christi, conversam esse in Divinitatem, ac proinde nulla Imagine exprimi posse. Si quæras, quis hoc de Eusebio narret? Adest ap. Labbeum Tomo VII, *Concilior.* pag. 498. luculentissimus Epiphaniæ Diaconi locus, Scriptoris perantiqui, & de Eusebii opinionibus, si quis alius, instructissimi, qui disertis planisque verbis id de Eusebio prodit; neque id clam & in abscondito testatur; sed publicè & in præsentia Patrum Concilii Nicæni II. Act. 6.

Quod si renuas Epiphaniæ, locupletissimi planè testis, fidem

recipere; credas saltem necesse est ipsius Eusebii confessionem, qui in *Epistola ad Constantiam* Licinii Imp. Uxorem palam profiteretur, se absurdissimis illis ornamentis præfractè adhæsisse, quæ Epiphanius eidem imputavit. *Constantia* siquidem petenti, ut ad se mitteret Christi Salvatoris Imaginem, abnuit, remque fieri posse negat, inquiens: [Quia cum duplici natura constet Christus Dominus, divina scilicet & humana, neutrius Imago exprimi potest: non divina, quam nemo intelligentia consequitur, nedum exprimitur penicillo: non humana, cujus mortalitas à gloria Divinitatis absorpta est.] En aperitam Eusebiani silentii de Imagine Christi causam. Quomodo enim aut credidisset, aut commemorasset, Christum admoto divinæ ac vivificæ faciei suæ pallio, uti agebat Damascenus lib. 4. *De fide Orthod.* c. 16. Imaginem suam in eo depinxisse, homo Arianus errore *Theopaschitarum* imbutus? Nulla ergo ratione, sed potius contra rectam rationem Casaubonus & Serrius, quibus jure annumerari possunt Tillemontius, Bailletus & Du Pinus, qui odorem nescio quem fabulæ ex hac traditione percipere se credunt, affectatum & erroneum unius Eusebii silentium præponere audent Traditioni in toto Oriente vulgatissimæ, nec Occidenti ignotæ, miraculorum fama confirmatæ, munitæque perspicuis testimoniis S. Damasceni, Procopii, Evagrii,

Simocattæ, Gregorii II. Adriani I. Synodi Nicænæ II. Act. 5. Haymonis Episcopi Halberstadiensis, Georgii Cedreni, Michaelis Glycæ, Nicephori Callisti, Photii, Zonaræ, Curopalata, Constantini Porphyrogeniti, & aliorum quos plena manu citatos invenies ap. Jacob. Gretser. in *Syntagm. de Imagin. non manufact.* ap. August. Calcagnin. in *Observ. Histor. de Imag. Edeffen. observ. 2.* ap. Honor. de Sanct. Mar. Dissert. 2. libri IV. art. II. §§. 2. & 3. & ap. Anton. Sandin. in *Hist. Sacr. Famil. c. 19.* Quicumque tot testium auctoritatem contemnit, ne unum Eusebio probabiliter malo dolo silenti videatur contradicere, is veram germanamque deserit Criticam, ac fallacem artem mundo invehit, qua homines incredulitatem doceantur, & vel necessaria ad vitam civilem fide expolientur.

Regula V. *Neque alicujus gravis Scriptoris testimonium deserere, contempnive debet, propter illorum silentium, qui ob diversas haud inverisimiles causas, vel factum ignoraverunt, vel, cum scirent, omittere potuerunt aut voluerunt.* Exempli gratia. Pro Martyrio S. Stephani PP. adest gravis auctoritas Romani Martyrologii, quam fideles passim recipimus. Si quis tamen contendat, Martyrologii Romani testimonium esse deserendum, quia nec *Bucherianum* de Stephani martyrio verbum facit; nec Pontius in *Vita S. Cypriani*; nec S. Augustinus, qui in Stephani memoria frequens est; nec Lirinensis,

qui eundem eximie commendat: is Regulæ nostræ, ad rationis dictamina exactæ adversabitur, convinceturque malle absque testibus credere, quam gravi & idoneo testi fidem suam committere.

Regula VI. *Qui scriptum aliquod eò solum rejiceret, & ad supposititia amandaret, quòd contineret phrasas, voces, aut notitias, quæ in coætaneorum vel vetustiorum scriptis non leguntur; is nec legitime, nec rationabiliter segereret, silentioque Authorum abuteretur, perperam supponens, ea, quæ modò recepta & usitata sunt, aut non fuisse ab aliquo Veterum inventas, aut non potuisse ab uno aliquo noviter inveniri, quin vel contemporanei, vel antiquiores eadem similiter usurpassent, & scripto posteris transmississent.* Utraque hæc suppositio voluntaria est, atque apertam continet falsitatem: cum quæ hodie in usu sunt, antiqua esse potuerint; nec debuerint simul & eodem tempore à pluribus usurpari. Contra hujus Regulæ præscriptum procederet, qui *Vitam S. Mauri*, cujus Author fertur Galindonus, sive Prudentius cognomento *Junior*, Hispanus, qui in Galliis domicilium habuit, & Ecclesiæ Tricassinæ præfuit, atque Concilio Parisiensi interfuit anno 846. non alia ratione ipsi abjudicaret, nisi quia in præfata *Vita Vox, Extrema Unctio*, legitur, quæ in nullo Scriptorum antè sæculum XII. inveniri supponitur. Imprimis de veritate suppositionis non facile constare posset, nisi

cui probè nota essent omnia Veterum scripta, vel manu exarata, vel typis excusa, quorum Authores in XI. primis Ecclesiæ sæculis florere. Ecquis rogo ille est, qui hæc plenè noverit, ac ritè exploraverit? Solent quidem nostri Critici satis jactuosè, ne dicam inve-recundè, hoc sibi arrogare, ut sciant tutò nos docere, quo tempore hi vel illi usus, mores, ritus, consuetudines mundo primò illuxerint: qua ætate Sacrosancta Trinitas sub hoc ipso nomine à fidelibus invocari cœperit: quando *Papa*, aut *Episcopi Episcoporum* Titulus Romano Pontifici attributus: quando expressè tradita veritas catholica de *Transsubstantiatione* Eucharistica: quando explicitè agnita & literis expressa Verbi Divini *Consubstantialitas*: quando panis Azymi pro Sacrificio usus in Ecclesia Latina primò inceperit: & sexcenta hujusmodi, quorum initia, Epochas & Institutores notissima se habere jactitant, non minori (ut ego quidem arbitror) vanitate, quam Plinius & Polidorus ubi de primis rerum inventoribus loquuntur. Scilicèt, eruditissimi isti Recentiores tantum sibi tribuunt, ut scibile non esse fermè pronuntient, quidquid ipsi non plenè noverint. Si tamen illis objicias Scriptorum veterum loca, ipsorum opinionibus adversantia; facili sese negotio expediunt, negando, germana esse ac legitima scripta & monumenta, quæ potuerunt ipsi aut non perfecta habere, aut contraria sibi &

incommoda experiri. Hac una via satis compendiosa, difficultates, quibus urgeri, premique possent, tutò evadunt; fierique nequit, ut falsi redarguantur, licèt indociles & increduli apertè demonstrentur.

Regula VII. *Rationi consonum, veræque prudentiæ indoli consentaneum non est, ut ejus Scriptoris silentium ad probandum usurpemus, cujus positivum de re aliqua minime repugnante suffragium rejicimus.* Ex. gr. Eusebius, cujus in re historica Ecclesiæ silentium Critici magnifaciunt, narrat lib. 7. c. 18. in Panæadis seu Cæsareæ Philippi Urbe Statuam Christo positam ab Hamorrhœissa, quam etiam à se visam disertè testatur. Eusebii narrationem confirmant S. Asterius Damascenus circa ann. Christi 400. apud Photium in *Biblioth. Cod.* 271. Rufinus lib. 7. cap. 14. Philostorgius lib. 7. cap. 3. Sozomenus lib. 5. cap. 21. Nicephorus Callistus lib. 6. cap. 15. Antipater Bostrensis in Arabia Episcopus circa ann. Christi 450. in *Refutat. Apologia Eusebii Cæsar. pro Origene*, ap. Labbæum Tom. VII. *Conciliar.* S. Gregorius II. in *Epist. ad German. Episc. CP.* ipse S. Germanus in *Epist. ad Thom. Episc. Claudiopol.* Author *Vitæ S. Procopii Mart.* Author item *Vitæ S. Artemii*, & Epiphanius Diaconus in *Conc. Nicæno II. Act. 6.* apud laud. Labb. loco citato, pag. 451. Si quis ergo adeò luculentum Eusebii testimonium, tot gravium & antiquorum Scriptorum fide excep-

ceptum; tamquam infirmum abjiceret; & tamen vellet ex ejusdem Eusebii silentio argumentum desumere, quo in facto alio historico affirmantem aliorum auctoritatem oppugnaret, contemneret; is in Prudentiæ regulas peccaret gravissimè; ac novo planèque absurdo præsumptionum ac probationum genere, silenti Eusebio fidem præberet, quam loquenti abstulisset; ac si ille tacendo quàm asserendo veracior esset.

Regula VIII. *Argumentum ex silentio Authorum petatum circa res, quas eloqui aut scribere periculosum fuit, inefficax vel etiam nullum est.* Hanc Regulam ut prudentiæ consonam expressè admittit P. Eusebius Amortius *De Arte Critica*, P. II. §. 4. n. 3. & jure quidem optimo; nam sicut in odiosis, recta ratione duce, jure naturæ constitutum est, ne silentium pro consensu habeatur; ita cum periculosum esset aliqua pervulgare, nihil penitus probat silentium Scriptorum illa omittentium. Si ergo Authores coævi nullam fecerint mentionem criminis personæ illustris, aut facti alicujus multitudini odiosi, qualia essent egregia facinora à Tyranno populo ingratisimo perpetrata: nulla desumi poterit eorum silentio bona argumentatio: ne alioquin qui prudenter & velut necessario siluerunt, dicantur silendo negare, & injuriam veritati fecisse. Vi hujus Regulæ nullum est argumentum, quod nonnulli neoterici Scriptores Galli desumunt ex silentio Historicorum

coævorum, ut dubiam, aut fallam esse probent gravem ac veterem Traditionem de Regia profapia Sanctissimi P. N. Felicis de Valois, Si Clariss. del Corro, recens Criticus, consulisset, ut debuit, mei Sacri Ordinis Historiographos, qui rem exactè discussissent, invenisset utique cautè Scriptores contemporaneos genus tacuisse Inlyti Patriarchæ, quod periculosum fuisset eo tempore recensere. Videtis nostræ *Bibliographiæ* Tom. II. art. *Elias Binetus*.

Regula IX. *Licet ordinariè validum desumatur argumentum ex silentio Authorum, qui de re scribere non solum potuerunt, verum etiam debuerunt: cum tamen facile non sit determinare, quando & in quibus circumstantiis Authores loqui debuerint, & an cogitaverint, aut crediderint, se ad eam rem posteritati consignandam obligatos esse; sæpius continget, ut & ejusmodi argumentum sit penitus infirmum.* Veritatem ac necessitatem hujus Regulæ à plerisque omnibus, qui de Critica disseruerunt, prætermittæ, sunt plura quæ demonstrent exempla. In *Dialogis* S. Hieronymi contra *Pelagian*. lib. I. *Atticus*, qui cum *Critobolo* disputat, sic ait: [Quomodo hæc omnium opinio est, quod Dei auferas gratiam, & quid quid homines agimus, propriæ tantum afferas voluntati?] Cui *Critobolus*: [Miror *Attice*, cur erroris alieni à me causam, rationemque flagites; & id quæras, quod scriptum non est, cum perspicuum sit quod scripserim: dixi, ho-

hominem sine peccato esse posse, si velit: numquid addidi, absque gratia?] Tum *Atticus*: [Ex eo quod non addidisti, videris negare.] Ad quæ *Critobolus*: [Imò ex eo, quod non negavi, dixisse existimandus sum; neque enim quidquid non dicimus, negare arbitrari sumus.] Supponebat *Atticus*, debuisse *Critobolum* gratiæ necessitatem exprimere, cum arbitrii potestatem extolleret. Sed *Critobolus* contendebat, ad id se obligatum non existimasse, cum necessitas gratiæ res alioquin perspicua esset, quæ facile supponitur, etiamsi non exprimitur.

Rursus, oportuisset sanè, ut videretur, quod S. Lucas in Actibus suis retulisset, quomodo Apostolorum Princeps, qui primum Antiochiæ sedit, postmodum Romam suam Sedem transtulit. Res ista maximi profecto est momenti, quam, si locum hic habere deberent rationes humanæ, dicendum esset Lucam commemorare debuisse. Omisit eam tamen; & quoniam nutu Dei scribens omisit, rectè credimus, quod referre non debuit. Nihilominus firmissimè accepimus Anthiochia Romam Petrum cum Episcopatus sui juribus translatum, ut totidem penè verbis scribit S. Hieronymus in cap. I. *Epist. ad Galatas*; quamvis ibi merè Historiographi licentiæ adscribat, quod Lucas multa omiserit, quæ referre potuit. [Non mirum est, inquit, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, His-

toriographi licentiæ prætermiserit: & non statim est contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera derelinquit. Primum, Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum accepimus, & Romam inde translatum, quod Lucas penitus omisit.]

Præterea, quis non crederet, si ratiociniis nostris omnia dimetienda sint ac dijudicanda, debuisse priscos Ecclesiæ Patres, qui Fidei Christianæ Dogmata & Mysteria ab Apostolis aut Viris Apostolicis acceperunt, & nobis tradiderunt, ea integrè & perspicuè docere, & cuncta Doctrinæ saltim præcipua Capita distinctè & enucleatè Fidelium posteritati exponere, ne voluisse viderentur invidiosè sibi retinere, quod nostra interest non ignorare? Nihilominus plura ipsi omiserunt, vel saltim non perspicuè scripserunt, non solum scitu dignissima, sed & necessaria; nam neque de necessitate confessionis auricularis, qua qui post Baptismum naufragium fecimus, ad Salutis portum iterum evadimus, clarè loquuti sunt; neque de numero & natura Sacramentorum, signanterque de Mysterio Eucharistiæ enucleatè in libris suis disseruerunt; sed generalibus terminis eo modo hæc explicarunt, quo sufficienter instruerentur Fideles, quibus nota erat Ecclesiæ Traditio. Hæretici, qui hanc recipere nolunt, cum videant nec in Scriptura sacra, nec in veterum scriptis Patrum, similia evidentissimè contineri, eorum negant veritatem, ducto

ducto ex silentio argumento, quod efficacissimum jactant & peremptorium. Sed nos Catholici, qui sensui & Traditioni Ecclesiæ religiose, fideliter ac piè inhæremus, scimus cui tutò credamus; & Traditionis ope rectè intelligimus, quid in illa Scripturæ & priscorum Patrum minùs clara & aperta doctrina nobis tradatur. Noverant profectò antiqui Ecclesiæ Doctores, qua methodo exponenda essent Mysteria Religionis Christianæ, ut & Fidelibus intelligibilia redderentur, & occultarentur profanis. Hæc duo Patres simul intendisse, ex duobus constat Testibus satis idoneis. Tertullianus lib. 1. *contra Gentes*, c. 7. volens probare Christianorum sacra prorsùs esse pura, & à criminibus, quæ in eis Ethnici suspicabantur, penitus aliena, ita Gentiles redarguit: [A quibus potuisset talis fama in totum Orbem dari? Ab ipsis enim Christianis non opinor, cum vel ex forma ac lege omnium Mysteriorum silentii Fides debeatur: quanto magis talium, quæ prodita non evitarent supplicium? Si ergo non ipsi proditores sui; sequitur ut extranei. Oro vos, extraneis undè notitia? Cum etiam justa & licita Mysteria omnem extraneum caveant?] Origenes lib. *contra Celsum* scribit: [Quod in Doctrina Christiana quædam insunt, quæ non denuntiantur quibusvis, id non solum Doctrinæ Christianæ proprium est, verum etiam Philosophicæ: nam & illi exteriorem, & occultio-rem doctrinam habebant.

alii Pythagoram audiebant contenti ipsius autoritate: alii secretè discebant rationes non evulgandas in profanos, nondumque purgatos.]

Hæc est Arcani disciplina à prioribus Ecclesiæ Patribus unanimiter recepta, ut Clarif. Emmanuel Schelstratius in lib. de hac re luculenter conscripto, Typisque edito, disertis testimoniis ostendit. Cum enim duo sint, à quibus pendent Religionis nostræ veritates, nempe verbum Dei scriptum, & ipsum viva voce traditum; utroque medio prudentissimè usi sunt primitivi Ecclesiæ Patres, ut Fideles cum Paganis permixtos erudirent. Cum prædicabant aut scribebant, quæ etiam Ethnici audire vel legere poterant, ne Fidei Mysteria à Sapientibus sæculi, qui non nisi carnaliter sapiunt, irridèrentur, & vilescerent apud impios; ea enucleatius explicare non audebant, sed ipsum sacrarum Scripturarum morem servantes, obscurius & emphaticè loquebantur, illas phrasas ac loquendi modos usurpantes, quibus, salva rerum veritate ac majestate, sermo eorum profanis esset impervius, & purgatis non planè obscurus. Quando autem clam & in abscondito Fideles docebant, Scripturarum clavem, quæ Traditio est, iisdem consignabant, aperiebantque quæcumque Ecclesia ab Apostolis accepta firmiter teneret, ac fideliter custodiret circa verum sensum, sanamque intelligentiam Mysteriorum, quæ in sanctis Scrip-

turis, quasi velata & involuta ambiguis vocibus, & vario modo significantibus inveniuntur. Hæc qui nesciunt, vel credere nolunt, putant debuisse veteres Patres clarè loqui, quæ potius videntur penitus omisisse. Sed, ut Regula nostra admonet, difficile admodum est, ut nos tuto dijudicare possimus, quale Scriptorum silentium fuerit vitiosum, quale verò innocens, utile, aut necessarium. Illos autem quos nos rectè fortassè crederemus obligatos ad descriptionem rei alicujus, facile excusare potuit vel inadvertentia, vel contrarium nostro iudicium, ex circumstantiis nobis non benè notis conceptum.

ARTICULUS XIII.

De Regulis, quæ solidiores videntur, ad ferendum tutius de Scriptorum Authoritate iudicium.

NON loquimur de suprema Authoritate, quæ semel agnita, cum nec falli possit nec fallere, securissimos nos reddit de ea, quæ ipsi innititur, veritate. Sermo nobis hic est de Authoritate humana, quæ & si fallaciis obnoxia sit, necessaria tamen in mundo est; ubi universa fermè essent dubiis & anxietatibus turbata & confusa; nosque ipsi velut stipites hæreremus passim, nisi moveremur auctoritate hominum, iisque fidem in pluribus adhiberemus. Neocritici, ut in su-

perioribus vidimus, cum eas Regulas ad perficiendam Criticam excogitarint & præscripserint, quas versare in omnem partem possint, ac per hoc suam in iudicando libertatem, quam avidissimè expetunt, integram conservare valeant; etiam humanam Authoritatem, quam funditus tollere & evertere nequeunt, versatilem volunt, ideoque eisdemet Regulis subjiciunt, ut videatur, non levitatis vitium, sed Artis præceptum esse, hominum quorumlibet ad nutum uti auctoritate, eorumque Testimonia aut repellere aut recipere, prout Criticus opportunum sibi aut expediens iudicavit.

Facemur & nos cum communi hominum sensu, non quilibet cuilibet credendum esse: tum nec citò, ac sine prævio & congruo examine, pro rei conditione, cuilibet esse credendum: insuper neque æqualem esse hominum quorumcumque Authoritatem. Bardus esset, qui hæc nesciret; insanus, qui negaret. Prudentia hic quoque opus est, quæ fides nostra ad Scopum recta dirigatur. Id autem nobilis hæc intellectus virtus commodè præstat media intimatione quorundam præceptorum, quæ ipsius indolem sapiunt, quæque nos ipsos dirigunt, ut debito modo utamur Testimoniis hominum, quorum veritas contingens est, ac proinde non absque delectu credenda. Ut enim S. Ambrosius rectè agebat lib. 3. *Epist. 19. Nervi sunt, qui*

quidam *artus sapientia*, non temere credere; vel sine Originis agnitione, ut Tertullianus dixit lib. 5. *adv. Marc.* c. 1. dicenti fidem præstare: & ea, quæ nescis, absque excussione, ignoto Testi asserenti & non probanti concedere. Fuerunt quidem semper, ac nunc sunt, semperque erunt homines, qui inhærentes persuasioni vulgari libenter errant, & stultitiæ suæ favent; à quibus si persuasionis suæ rationem requiras, nullam possunt reddere; sed ad Majorum judicia confugiunt, quod illi sapientes fuerint, illi probaverint, illi scierint quid esset optimum; seque ipsos sensibus spoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. Hoc Lactantius lib. 5. *Instit.* c. 20. in hæreticis justè reprehendit, quod, posthabito Ecclesiæ sensu, Majores sequi volunt, in quo eos errare facile possent deprehendere, nisi nova & privata suorum judicia & opinamenta, antiquis & publicis Religionis, cui nomen dederant, Documentis præposterà electione prætulissent. Neque enim rectè, & juxta Prudentiæ Canones, ut dicendi sunt aliorum autoritate & fide, qui authentica privatis postponunt, atque integræ sectæ, plurimorum gravium Virorum judicio & consensu commendatæ, antiqua dictamina deserunt, ut paucorum, qui ab ea recesserunt, novitates sequantur. Nullo quippe negotio qui ejusmodi sunt convincuntur temerè credidisse, prælata minori autoritate, ma-

jori; nova & suspecta, veteri & famæ integræ.

Ceterum, quamvis in Fidei causa nulla sit quorumcumque hominum Autoritas, cui Fides ipsa resistat; in reliquis Majorum Testimonia locum sibi vendicant, magnique fieri debent vel ad ipsius Fidei commendationem & confirmationem. Alioquin, frustra Deus ipse Judæos ad Majores suos remisisset, ut quæ dicebat, vel illorum Testimonio comprobaret. Est ergo quasi insitum hominibus suæ Gentis aut Religionis Majores in pretio habere, atque ad ipsos, quæ antiqua fide tenent, velut accepta referre, ac ipsorum Autoritate confirmare. Et simpliciores quidem, quorum magnus est in qualibet hominum magna collectione numerus, instar cæcorum Majorum Autoritatem in plerisque sequuntur: vix enim sciunt, quinam ii fuerint, quibus credunt; nihil tamen de illorum veracitate ambigunt, sed fide esse dignissimos supponunt.

Nulla in Orbe est falsa ac superstitiosa Religio, quæ non fulciatur ac sustentetur hac cæca populorum erga Majores suos reverentia & fide. Si sectariis persuadeas, impostores fuisse, qui Religionem illis tradiderunt, Magistros; illorum errores facile superabis, depelles, rejicies. Corruet Mahometismus cum voluptatibus suis epicureis, si spurcissimæ sectæ innumerabilibus alumnis ostendas, insanum fuisse cum suis Musulmannis prophetam ip-

forum. Idola citò dissipabis, & uni Deo totius mundi Altaria, cultumque restitues, si suadeas Idololatriis, mendacissimos fuisse, & homines planè degeneres, qui Polytheismum mortalibus invexerunt, & appellaverunt Deos *Opera manuum hominum, aurum, & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.* Hi, qui verè infelices sunt, & quorum spes inter mortuos est, miseri non diutius essent, si tandem agnoscerent, cœcos fuisse duces, quos ipsi quoque cœci imitantur Majores. Denique vel ipsos nostrorum temporum hæreticos, quos nemo facile convincet, cum Critici sint; posses etiam sperare, ad Christi Ovile reducere, si ipsis demonstrares, qui Evangelici appellantur reformatores, veros fuisse corruptores Evangelii: vel si iidem ipsi ea, qua polent Mentis & instinctus sagacitate ac penetratione, dignarentur ita accuratè discutere suorum Majorum doctrinam & mores; sicut severè examinant priscorum Ecclesiæ Patrum Autoritatem. Et hi profectò, quos jam probavit per tot sæcula sapientum consensus, immunes penitus esse deberent à censoria, adeoque severa, Modernorum, qui novi, recentisque venerunt, petulantioris Critices Virga: iique acerrimè ac vehementissime probandi erant, qui vias planas, tritasque antiquæ Doctrinæ semitas deserentes, revocare homines conati

sunt ad iter pravum & asperum, quod qui omni tempore calcaverunt, non angustum salutis ostium, sed latam & apertam perditionis portam invenerunt. Hos, inquam, qui avitæ Religionis vestustissima ac receptissima abjecerunt Dogmata; & Doctrinæ, quam Majores nostri ignorarunt, nova, peregrina & exotica capita statuerunt, tamquàm valdè suspectos, vel etiam ipsa novitate falsitatis evidenter convictos, vehementissimo igne debuissent Critici examinare; & quales illi fuerint, populis suis, qui Criticos non habent oculos, hæud abscondere. At cum cœcam plebem cœci ipsi ducant, communi errore laborant, & in tenebris voluntariæ ignorantie obstinati perseverant.

Verùm ne longiùs divagari videamur, potiusque Polemicos agere, quàm Criticos; perquiramus jam, quinam sint ii Canones, quos sequendo prudenter nos gerere possimus, ne aliquid humana delusi Authoritate temerè admittamus. Imprimis hoc ipsum tamquàm priorem Regulam statuimus, nempe: *Nihil temerè, ac sine proportionato examine admittendum.* Huic canoni refragatur nemo, qui rationis sit compos. Et vel ipsi, qui in credendo vel suspicando temerarii esse deprehenduntur, fatebuntur numquàm temerè se, & absque ratione, aut fidem alteri præstitisse, aut quicquam suspicatos esse. Nullus alterius recipit testimonium, nisi quem

quem credit fide sua dignum. Ne vero qui temeritatis vitium incurere non vult, vel nollens temerarius reapse sit, tenetur pro modulo suo scire cui credat.

Regula II. *Cujuscumque hominis Autoritas ineptissime constitueretur per ipsius testimonium.* Ratio in promptu est: nam cum nullius testimonium prudenter suscipiatur, nisi cujus idonea jam est ad fidem faciendam Autoritas; si hæc solo ipsius testimonio constitueretur, idem per idem, & ignotum per æquè ignotum probaretur. Huc Tertullianus respexit, ubi scripsit Marcionem redarguens, lib. 5. c. 1. [Edas nobis velim Pontice, quo symbolo susceperis Apostolum Paulum, quem in Albo Apostolorum apud Evangelistas non deprehendo? Quis illum Tituli caractere percussit, quis transmissit tibi? Ipse se, inquit, Apostolum est professus. Planè profiteri semetipsum quivis potest. Verùm professio ejus alterius Autoritate conficitur: alius scribit, alius subscribit: alius obsignat, alius actis refert. Nemo sibi Professor & Testis est. Proba quæ credis.] Vel ipse Christus, cum ad Judæos præfens loqueretur, & de se ipso ineptè testimonium dicere videretur, tamquam vellet eo solo probare, se vera docere; & hoc ipsi exprobrarent increduli; non ille respondit; imò quia Ego de me testimonium perhibeo, debetis meum recipere testimonium: sed Autoritatem suam, qua credi-

bilia redderentur apud ipsum Deum non credentes, sua testimonia, mediis aliis probavit, scilicet Miraculorum patrione, cordium penetratione, & scientia planè mirabili. Quòd autem non illos declaraverit reos incredulitatis, quia sua testimonia nisi aliundè authorata minime recepissent, evidenter ipse Dominus ostendit, cum dixit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Scilicet, qui volebat, ut ab hominibus Deus crederetur, opera Dei propria exhibere tenebatur. Nam imprudentissime ii agerent, qui tamquam Deum, aut Dei Prophetam aliquem reciperent, eo solum, quòd se talem esse testarentur. Vel undè debuisset Pharaò Moysem credere Nuntium à vero Deo ad se missum, propter nudum ejusdem Moyse testimonium, nisi assertam ab ipso Autoritatem vidisset iis signis probatam, quæ patrare non poterunt, qui ipsi adversabantur? Nilominus ætatis nostræ hæretici, qui severissimum Critices genus sectantur, nec Veterum testimoniis acquiescunt, nisi cum ea tradunt, quæ sua ipsi fide digna credunt, summa ac detestanda imprudentia & stultitia, tamquam à Deo missos receperunt Lutherum, Calvinum, Zuinglium, Melanthonem, Socinum, aliosque hujus furfuris Seductores, quos misisse Deum, non aliundè scire possunt, nisi quia id ipsi asserunt. Neque enim quæ ab ipsis gesta sunt,

sunt, ejus generis sunt opera, quæ vel apud barbaros Ægyptios Authoritatem ipsis conciliarent, aut fidem invenirent. Tamen, qui ne fallantur, incredulos esse potius eligunt, incredibili animorum levitate, ab illis decipi passi sunt, qui nisi volentes, aut sensibus se spoliantes, numquam decipere potuissent.

Regula III. *Semel constituta legitime idonea alicujus Authoritate, recipi debent testimonia ipsius, nisi aliunde fide indigna probentur.* Ratio est, quia idonei Testis dictum, ex defectu sufficientis in ipso Authoritatis, prudenter contemni nullo modo potest; cum eo ipso, quod idoneus supponatur, etiam sufficientem habere Authoritatem supponitur. Ex alio ergo capite ipsius testimonium rejiciendum est, quatenus rejiciendum sit: nempe, vel quia rationis lumini, aut communi hominum sensui repugnat; vel quia certæ Fidei, aut evidenti seu longè probabiliori argumento advertatur; vel quia majoris Authoritatis pondere obruitur.

Regula IV. *Cum prudentia dicet, nihil in re dubia asserendum esse, ejus Authoritas merito diceretur infirma, qui in rebus dubiis sapius judicium ferret, & sententiam suam præcipitaret.* Ratio manifesta est: nam qui in dubiis, tamquam in manifestis hæret; & eorum errore capitur, qui opinantur se scire, quod nesciunt; ii frequenter falli posse deprehenduntur, cum in judicando vel laborent præcipiti te-

meritate, vel ingenii hebetudine. Qui enim mentis perspicacia & acumine pollet, solidèque ac profundè res scrutatur, de incertis solum ambigendo & inquirendo disputat; non verò id affirmando, quod nesciat. Imprudentis sanè est, ea vel audaciter refellere, vel temerè affirmare, quæ adhuc dubia sunt: quippè hæc sine crimine nesciuntur, at non absque discrimine definiuntur aut negantur. Consule si vis S. Hieronym. in cap. 2. Osee, & in 12. Danielis, atque in Epist. 132. ad Vitalem: item S. Augustin. in Enchir. cap. 56. in Genes. ad Liter. lib. 7. cap. 1. & cap. 28. & lib. 12. cap. 1.

Regula V. *Illius Scriptoris maxime commendanda est Authoritas, qui dubia semper tamquam dubia proponit, incerta ut incerta, & conjecturabilia dumtaxat ut talia.* Qui enim hoc pacto in scribendo procedit, non solum Lectori exhibet clarum optimi judicii specimen, verum etiam apertum probitatis & fidelitatis indicium. Falli quippè non solet, nec fallere vult, qui novit rectè de rebus cogitare, & eo modo, quo cognovit, scribere. Licet quidem ratiocinatione & conjectura ad veritatem contendere: sed velle topicas & conjecturales quæstiones, non tam dubitatione & discussione tractare, quam dogmatica demonstratione resolvere vitium est vel ineptè res cogitantis, vel de scientia sua temere præsumentis. Quo in genere mira prorsus est quorundam Astronomorum & Philosophorum aut ig-

aut fiducia, qui de numero, magnitudine, natura, qualitate, & elevatione coelestium corporum multa fidentissimè fabulantur, quæ aut nullo prorsus modo, aut non nisi nimium incerta conjectura à mortalibus cognoscuntur. Plura quoque neocritici ope suarum Regularum demonstrare nobis promittunt, quæ postquam proluxa indagine discussèrunt, eadem vel remanent prorsus incerta, vel ad summum hinc inde opinabilia. Sed fortia ingenia altiora se quærere, & fortiora se scrutari, contra Sapientis monitum, non timent: nihilque se ipsis dignum præstare existimant, nisi abditioribus mentes suas immergant, ut videantur sibi esse obvia & clara, quæ cæteris sunt abscondita & obscura. Præsentem Regulam constanter, vixque non scrupulosè observat S. Epiphanius in libro *De Heresibus*, qui idcirco à candore animi jure commendatur.

Regula VI. *Cum ratio omni humana Authoritati præferenda sit, & exemplis quoque anteponenda; qui vim ac momenta rationum assequi possunt, debent non solum dicentis Authoritatem justa statera librare, ac diligenter expendere; sed etiam accurate investigare, atque attentè & subtiliter inspicere, an, quæ à dicente pro se afferuntur rationes, ejusmodi sint, quæ mentem impleant, & ad probabilem assensum potenter trahant.* Etenim, quamvis dicentis Authoritas alias supponatur optimè constituta, hæc in casu particulari recipienda non est, cum

videlicet Author dicti sui rationem reddit, quam ex aliquo capite (plura enim sunt capita, ex quibus rationum inefficacia proveniat) inefficacem esse perspicuè constet. Et in hac hypothesi nulla fit injuria dicentis Authoritatis; nam ipse Author utpotè veritatis amans, & probus, quod dixit, minimè dixisset, vel asseveranter nequaquam dixisset, si rationis suæ errorem, vel ineptitudinem ac debilitatem detexisset. Cautissimè verò, omnique cum circumspectione eorum rationes sunt expendendæ ac dijudicandæ, qui magni à Sapienribus æstimantur Authores; si namque isti, cum tales fuerint, potuerunt ratiocinando deficere, & in errorem labi, vel falsa suppositione laborando, vel ineptum pro apto probationis medium assumendo: cur non prudentissimè timeant, qui magnorum Virorum rationes & argumenta examinare aggrediuntur, ne ipsi potius in ipso examine hallucinentur, & inefficacem aut falsam rationem autument, quæ talis non sit, nisi respectu non benè illam percipientis? Scio quidem mihi, & cuilibet alii veritatis amatori, licere per Augustinum & Thomam, horum Authoritatem urgentiori rationi postponere: sed absit à me, ut licentia à præclarissimis Doctoribus in obsequium veritatis concessa, nisi parcissimè utar, ac facile persuadear, proclivius fuisse, ut illi disserendo errarint, quam ut ego deficiam & errem, illoꝝ examinando rationes.

Regula VII. *Quibus non licet alienas investigare rationes, & eorum, que afferuntur, causas subtilius indagare, si fide vivere debent; sed cui aut quibus credant, tenentur scire.* Nihil certè aliud, ut cum Eusebio loquar lib. 1. *Prepar. Evang.* cap. 5. manibus oculisque teneamus, quàm vitam hominum universam ex duabus hisce rebus, spe nimirum fideque suspensam teneri. Hinc, à quibus vera doceri speramus, iis fidem adhibemus. Spe ergo ac fide vivimus, in his scilicet rebus, quas nec sensibus nostris assequi possumus, nec nostris cogitationibus intelligere valeamus. *Authoritati credere*, dicebat Augustinus lib. *De Quant. Anima*, cap. 7. *magnum compendium est, & nullus labor.* Neque alia via proficere possunt vel tardiores, vel implicatiores, quorum profectò maxima multitudo est, homines. Tales enim, si ratione ac proprio examine vellent verum deprehendere, similitudinibus rationum facillimè deciperentur, & in varias, noxiasque opiniones ita laborentur, ut emergere indè ac liberari aut numquam, aut rarò & ægerimè quirent. *His ergo, sapientissimè Augustinus subjungit, utilissimum est* (sæpè etiam omninò necessarium) *excellentissimæ Authoritati credere, & secundum hoc agere vitam.* Ne videlicet putarent, quos oportet fide vitam ducere, tutò posse cuilibet sese committere Authoritati; *excellentissimæ* dixit, nempe Authoritati eorum, quam sibi suspectam nulla ratione ha-

beant. Nisi enim de idonea illorum Authoritate, quibus credunt, securi sint rudiores, casu dumtaxat ac sorte veritatem invenient, etiam cum contingat ad eam pervenire: nullaque ratione dici possent aut studiosi veritatis, aut prudentes. Nam ex una parte incapaces supponuntur ad verum ratione & investigatione quærendum: ex alia nihil sunt solliciti de qualitate Authoritatis, cui suam præstiterunt fidem. Magnum hic ac creberrimè absconditum errandi periculum! Quicumque enim aliorum se Authoritati manciparunt, eos apprimè idoneos, vixque non excellentissimos Præceptores credunt: indèque orta est tanta diversitas Sectarum, quibus in multiplices Scholas, imò in Religiones varias homines dividuntur. Et Platonicis quidem Plato excellentissimus est: Aristoteles Peripateticis: utrique autem Zenonem suum præferunt Stoici: cæteris alii Democritum & Epicurum. Ut nihil dicamus de tot novorum Systematum Conditoribus, quos sui prædicant mortalium scientissimos ac felicissimos. Porro in Theologia, ubi periculosius erratur, his Thomas à Scopo numquam aberrat: aliis rectius non rarò sapit Scotus: sunt etiam qui existiment, ab utroque in aliquibus esse prorsus recedendum. Disciplina quoque Morum scissuras suas patitur, quas nemo reducere ad unitatem speret, nisi ad Ecclesiæ confugiat verè excellentissimam Authoritatem, cui merito cedant

dant diversa privatorum magnæ Authoritatis Doctorum studia & placita. Neque abnuimus, plerisque eorum, qui errantes Magistros sequuntur, fortè apud Deum excusari, & reos non haberi: sed quinam hi sint, & in quibus circumstantiis ignoratio, & bona, ut ajunt, fides, verè iisdem suffragetur, occultissimum nos pronuntiamus. Solus Deus, qui corda & studia hominum scrutatur, & intuetur, novit quisnam fecit quod debuit, eamque omnem, quam potuit, diligentiam in quærendo quod quærere tenebatur, re ipsa adhibuit. Interim mortales singuli in sua fide conquiescunt, ac nihil mali suspicantur, cum sequuntur duces, quos sibi vel inquisitio qualiscumque elegit, vel coeca fors obtulit. Adeo est misera filiorum Adæ conditio! A qua miseria ii certò liberantur, qui pro momento & qualitate rei, summa, qua possunt, diligentia quærunt, & in arduis fiduciam omnem in Deo ponunt, quem puro corde & toto spiritu diligunt. Hi proculdubio *super senes, & super omnes docentes* se intelligunt.

Regula VIII. *Cum Authoritas tempore prior ratione sit, licet pluri hac in appetendo asstinetur, con-naturale incipientibus est prius sequi, quam examinare Authoritatem.* Multa homini credenda occurrunt, antequàm plenè ratione utatur: quo sanè tempore, Authoritatem illum docentium sequi quidem potest, examinare non potest. Tum autem miseranda est hominum fors,

quibus eorum Authoritas sequenda proponitur, qui cum jam decepti sint, ipsos quoque decipiunt. Plerumque enim, quos in eo statu homines imbibunt, errores profundas agunt in cordibus radices, quas difficilimè evellunt, vel qui proveciore ætate ad multam ingenii perspicaciam assurgunt. Indè fit, ut deceptio quæ principio inculcata fuit, succedente tempore, & ratione invalescente, criminosa reddatur, & habenti imputetur. Nec soli hebetiores huic malo subjacent: cum enim nullus homo nisi ex imperito peritus fiat; & nullus imperitus noverit, qualem se debeat præbere docentibus, & quali via esse docilis possit: necesse est, ut etiam qui eruditissimi futuri sunt, quamdiù non fuerunt, per Authoritatis januam ad credendum ingrediantur, & ea, quæ audiunt, sine examine suscipiant; quo usque quid de Authoritate docentium, & de veritate dictorum sentiendum sit, propria investigatione examinare valeant. Hinc est, quòd bonorum Authoritas imperitæ multitudini, ex sententia Augustini lib. 2. *De Ordine*, cap. 9. sit omninò saluberrima: malorum verò vix non semper incipientibus noxia, & ad exitum usque mortifera. Paucorum quippe est, quæ ferè cum lacte a domesticis & gentilitiis didicere, ea seire in ætate proveciori falsa detegere, & velle palàm retractare. Equidem proclive est, ut quisque hominum ea tantum rejicienda & culpanda arbitretur, quæ suæ re-

gionis & temporis homines vituperare atque damnare consueverunt; & ea tantum probanda atque laudanda, quæ consuetudo eorum, cum quibus vivit, admittit; eoque contingit, (Augustini sunt verba ex lib. 3. *De Civitate Dei*, cap. 10.) ut si quid vel Scriptura præceperit, quod abhorret à consuetudine audientium, vel quod non abhorret, culpaverit, si animum eorum jam verbi vinxit Authoritas, figuratam locutionem putent: si animum præoccupaverit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum arbitrentur.

Regula IX. *Quamquam apud homines communiter tanta sit Authoritas vetustatis, ut inquirere in eam scelus esse à plerisque vix non iudicetur, eique passim tamquam cognita veritati credatur; tamen omnino inquirendum est, quinam Majores illi fuerint, à quorum Authoritate discedere nefas dicitur.* Liquet veritas hujus Regulæ ex probatione proximè antecedentis. Plerumque homines hunc Majoribus suis honorem deferunt, ut putent Rationis esse illis credere, etiam nullam dicti Rationem reddentibus. Sed nisi prudenter præsumamus, tales fuisse Majores, quibus credimus, quos vel deceptos, vel decipientes timere nisi imprudenter non possimus, non illos absque vitio sequimur. Alioquin enim sufficeret quorumlibet Majorum Authoritas ad excusandas tot errorum, qui mundum ferè replent,

vel circa Religionem, sequelas. Certè, qui stultissimè elementa creatori Deo præferunt, vel elementorum figuras colunt, etiam Majorum suorum Authoritate sese tutantur, à quorum institutis discedere nefas credunt. Imprudentissimi autem sunt, quoniam eorum Authoritatem complectuntur, quos fuisse stultos facileprehendissent, si quinam fuerint seriò investigassent. Quamvis igitur excusentur frequentissimè homines, nec obligari credantur ad examen & inquisitionem singulorum articulorum, qui ex Majorum fide ad eos fluxerunt, ne compellantur semper quarere, & numquam invenire: hoc certè omnibus indispensabile, qui fide reguntur, nempe, ut probe sciant, quibus credant. Nihil enim est incredibile, quod idonea innititur Authoritate: sed Authoritatem esse idoneam nemo sciet, nisi sciat, quinam & quales illi fuerint, quibus credit. Hanc credendi formam, omnibus prorsus necessariam, paucis verbis Apostolus tradidit, ubi scripsit: *Scio, cui credidi.* Quisquis enim scit, cui credit, etiam consequenter scit, quanta firmitate illi credere oportet. Si namque compertum habes ex præambulis Fidei divinæ, Deo revelanti te credere, nihil ultra inquirere debes, sed qualecumque illud sit, quod Deus loquitur, sive id omnem humanum sensum exuperet, sive absonum vel absurdum, aut Rationi naturali repugnans videatur, firmissimè

discedere

me arte credendum est; atque ipsum nulla repugnantia, sed tota assensus firmitudine devorandum.

Regula X. Hoc Deum inter homines interest, quod, ut credas hominibus, inspiciendum tibi sit quæ dicant, & qualia; an possibilia, an verosimilia, an absurda, an sibi coherentia; uno verbo an fide tua digna: nihil verò tale examinandum, ut tutissimè ac prudentissimè credas Deo, qui cum summe sapiens ac verax sit, non nisi vera loquitur. Regulae hujus veritatem expressè confirmat S. Thomas in 3. dist. 24. quest. 2. art. 3. Et quidem utraque ejusdem pars satis ex se perspicua est. Neque enim ulla est humana autoritas, quæ erroris & fallaciae capax non sit, cum sit *omnis homo mendax*: ac proinde non nisi per examen rerum, quas homo loquitur, prudenter ei fides adhibetur. Nam quod de Pythagora Veteres produnt, tantæ illum fuisse apud suos existimationis, ut quod ipse dixisset, nulla probatione admitteretur, error utique fuit vel parvulorum discretionem non habentium, vel ineptientium provectorum. Nemo porro est adeo impius & insanus, ut probationes à Deo postulet earum rerum, quas non diffitetur Deum esse locutum. Potuit quidem Pharaon, cujus induratum erat cor, & excæcata mens, *nescio Dominum* Moyse respondere: non tamen, etsi stultissimus, dicere potuit: scio Dominum, sed illi non credo. Vel absurdissimarum Religionum Cultores Deo se credere arbitrantur,

cum earum superstitiones profitentur. Nemo enim ex seductoribus hætenus mortales decepit, nisi falso assumpto Dei nomine. Omnium formula hæc una: *Hæc dicit Dominus*. Vel ipse Dæmon, non suo, sed Dei nomine, quod mentitur, homines fallit, & à vero ipsius Dei cultu avertit. Quare dogmatum omnium primum est & maximum scire, an verè Deus sit qui loquitur; nam & prophetæ mendaces hominibus dicunt: *Hæc dicit Dominus, cum Dominus non sit locutus*. Quæ verò sint vera Dei verba, & per Prophetas olim, & novissimè per Filium suum nobis revelata, quisquis Fidelis esse vult, quærat ab Ecclesia; & ad rectè quærendum, summa, qua potest, humilitate, docilitate & sollicitudine sese disponat; caveat, ne suæ prudentiæ innitatur, neque ingenio suo nimium indulgeat, aut sibi plusquam satis credat; teneat constantissimè, nec ullo modo audeat parvi pendere antiquam, verèque doctam Christianæ religionis simplicitatem; Veterum magisteria reverenter suspiciat; eorundem sensus religiosè custodiat; sciat, donum Dei esse, quæ utilis & necessaria est ad salutem, veritatis inventionem; neque speret ad eam se perventurum, nisi preces ad Deum fundendo; præbeat se docibilem Deo, purgetque cor suum ab illis passionibus, quibus superbia nutritur, præsumptio augetur, mentis lumen obnubilatur, ac præposteris sensibus tra-

ducitur. Qui hæc diligenter servaverit aut omnino non decipietur, aut certe in eos errores nequaquam incurret, quibus æterna ejus salus periclitari possit. Sanè per contraria his virtutibus vitia corruerunt, quotquot à Fide orthodoxa, quam amplexi fuerant, deplorando lapsu deviarunt. Quantus homo Origenes? At is tantus ac talis Doctor, Magistrorum ac Martyrum Præceptor, & Ecclesiarum quondam Oraculum, dum gratia & donis Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio & doctrinæ suæ nimium tribuit, sibi quæ satis credit, cum parvipendit nativam Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas Traditiones & Veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo modo interpretatur, meruit, ut de se quoque Ecclesia Dei diceret: *Si surrexerit in medio tui Propheta, &c. non audies verba Propheta illius.*

His fermè verbis Origenis lapsus Lirinensis describit. Nec diversæ causæ præcipitem dederunt Tertullianum, acerrimo ingenio, stupendaque eruditione Virum. Et, ne funesta exempla è longinquo petamus, præsto sunt nobis propinquiora, eaque benè plurima. Neque enim putandum est, novos prophetas reformatæ, ut ajunt, religionis, ab avita Fide, & patriis Legibus, quibus innutriti fuerant, aliter cecidisse; aut potuisse velut impetu quodam tam enormiter mutari, & è Ca-

tholicis apostatas quasi repente fieri. Facilis quidem est descensus averni, ut Profanorum quidam Poëta haud ineptè dixit: sunt tamen certi ad præcipitium gradus, per quos descendere exhorret quisquis Fidei lumen aliquando habuit. Quare sapienter agebat Excellentissimus; mea quidem sententia, Theologus, P. Michael de Elizalde (*De ver. Relig. q. 32. pag. 389.*) Non sic statim & immediatè Lutherus prolapsus est, quòd mox ex voluntatis imperio falsam apud se stateret & judicaret Religionem Catholicam; sed passione & amulatione in Indulgentiis primum invehit; post arsit utrimque contentio, & sua tuendi cupido; ac in majora paulatim prolapsus sibi ab Ecclesia caput metuere; pravè hinc erga eam affici; illius inde Authoritatem carpere, minuere, mox tollere: quæsit, legit, congestis quæcumque è re sua scripta fuissent: & quia quærebat vehementibus agitur affectibus, causæ suæ momenta invenire existimabat, etiam ubi non erant, vel ubi erant extremè contraria. Hæc siquidem est humanarum indoles passionum, præsertim cum vehementia fervent, & fumos exhalant, quibus sensus ipsi hebetantur, & obscuratur intellectus. Summa tum rerum penes voluntatis imperium est, quæ ita despoticè dominatur, ut ad nutum subjectas habeat cæteras hominis facultates & potentias: idque videat, audiat, intelli-

telligat, quod lubet. Hæc tam prava animi inordinatio, & insignis perversio Lutheri tandem mentem penitus occupavit, & ex Monacho hæresiat cham fecit: nec dissimiles causæ tot errorum pestes genuerunt, quibus bona Ecclesiæ pars Coelo periit, cum felicius ac diuturnius sibi ac mundo vivere cogitavit. Quæ verò talis tantaque non est mentium corruptio, si non adeo noxia producit iudicia, saltem nos incautos trahit ad opinamenta vel à verò multum remota, vel parum pietati & æquitati consentanea.

ARTICULUS XIV.

De Traditione, tertio & ultimo Critices principio & fundamento.

Traditio ab Authoritate separari, aut vix, aut nullatenus potest. Quidquid enim Traditione receptum est, ad illius, vel illorum referri debet Authoritatem, qui rem verbo aut scripto ad nos transmissam primitus tradidere. Quoniam verò humanarum præsertim Traditionum ignota est plerumque origo, & incertus Author, non incongruè Traditiones huiusmodi expositis, ut vulgò loquimur, infantibus comparabis, quorum natales obscuri sunt, & occulti parentes, quamvis non raro iidem sint sanguinis nobilitate illustres. Hinc velut necessario sequitur, incertos nos esse de similibus Traditionum originaria authoritate: quæ,

& si excellentissima fortasse fuerit, cum non appareat, incertos nos vel dubios relinquit de qualitate primitivi Testis, cujus authoritate innixa primum fuerit probabilitas Traditionis.

Neocritici, quibus familiare est, quæ certissima ipsis non videntur, tamquam supposititia ac falsa respuere, inde occasionem sumunt explodendi quam plurimas cujusvis generis Traditiones: deberentque omnes indiscriminatum rejicere, siquidem sibimetipsis constarent, nec suas qualescumque credendi regulas, cum ita lubet, desererent. Sed ut clariùs procedamus, multiplices Traditionum differentias breviter designemus. Imprimis Divinas vocamus Traditiones, quas Deo auctore ad nos pervenisse, qui orthodoxi sumus, firmissimè credimus, estò in Scripturis Sanctis expressas non legamus. Traditione divina firmiter tenemus veram Dei Scripturam apud Ecclesiam esse, & ab ea illibatam, quoad eam saltem partem, quæ ad Dogmata & Mores, atque ad alicujus in Religione momenti res pertinent, fideliter conservari: eandem Scripturam verba Dei Divinitus inspirata continere: numerum etiam librorum cum veteris, tum novi Testamenti, quos illa complectitur: septem extare Sacramenta, per quæ nobis rectè dispositis vel datur, vel augetur Divina per Christum justificationis gratia: horum tria characterem seu signaculum quoddam in

suscipientis anima imprimere; eademque proinde reiterari non posse: Infantes posse Baptismo initiari, & jus ad Regnum Cœlorum, tamquam veros Divinæ adoptionis filios acquirere: nec, si absque Baptismo decedant, participes esse posse illius æternæ felicitatis, quæ diligentibus Deum promissa & parata est: Matrem Jesu Christi verè vocari & esse Matrem Dei, quæ post partum Virgo permanferit, & numquam à Virginitate exciderit: in Sacramento Eucharistiæ veram dari Transubstantiationem, quæ sit conversio totius substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi: Sacramentorum Sanctitatem non dependere à sanctitate Ministrorum: nec minus istos conferre, si sint peccatores, quam si sint justi & sancti: Confessionem sacramentalem, quæ auricularis dici solet, verè institutam fuisse & præceptam à Christo Domino, esseque ad salutem necessariam omnibus fidelibus, qui Baptismo initiati in gravia peccata prolapsi fuere. Hæc & alia ex Divina Traditione recepta, Dogmata sunt Catholica, non minus certa & infallibilia, quam ipsa Dei verba, Scriptura Canonica ad nos transmissa.

Reverenter itidem suscipimus Traditiones, quas Apostolicas vocamus, quia videlicet ab Apostolis tamquam Ecclesiarum fundatoribus & Magistris illas accepimus. Has autem Divinas etiam haud immerito appellare possu-

mus, quatenus constet, ea Doctrinæ capita in ipsis contineri, quæ Spiritus S. magisterio & instinctu Apostoli ipsi didicerunt, & ab initio Ecclesiæ communicarunt. Ad ejusmodi Traditiones jure optimo revocamus, quæ perpetuo, ubique, & ab omnibus Christi fidelibus recepta & custodita sunt circa cultum & observantiam Festorum, circa erectionem & consecrationem Ecclesiarum, circa celebrationem Jejuniorum, circa adorationem seu venerationem Crucis & Sacrarum Reliquiarum & Imaginum, circa invocationem & intercessionem Sanctorum; & alia benè plura ab Apostolis accepit Ecclesia, quæ immutabili fide omni ævo ac loco retinuit, & ab omnibus tenenda esse constantissimè declaravit, docuit, præcepit.

Facile quidem non est, imò neque necessarium, ita Divinas ab Apostolicis Traditiones secernere, ut speciatim determinemus, quæ & qualia ex Divina, quæ verò & qualia ex Apostolica Traditione Ecclesia receperit. Cum enim Spiritus S. docuerit Apostolos, uti salvator noster promiserat, *omnem veritatem*; quæ ab illis tradita est doctrina, rectè creditur Divinitus fuisse accepta: perindeque est, si hæc Apostoli Christo docente, aut Spiritu S. inspirante noverint, & primitivis credentibus tradiderint.

De hujus generis Traditionibus, sine quibus orthodoxa Fides stare omnino non potest, nihil

nos impræsentiarum agere decrevimus. Nam etsi eadem religiosè suscipiendæ sint, vindicandæque à pseudocriticorum cavillis, hoc ultimum ex instituto præstare, Polemicorum munus est: eoque strenuè ac foeliciter perfuncti sunt Scriptores planè illustres, qui Divinarum traditionum veritatem ac necessitatem contra Juniores hæreticos egregiis lucubrationibus demonstrarunt. Liqueet sanè neocriticos esse, qui adversus illas bellum suscitarunt: sed arma, quibus instructi ad pugnam processerunt, ea ipsa sunt infirma, ac planè futilia argumenta, quæ in quavis alia Critices materia, ipsis sunt familiaria. Etenim, quæ à scrupulosioribus quorundam ingenii Regulæ modo usurpantur, quarum applicatione de Ecclesiasticis & humanis Traditionibus prudens certumvè feratur iudicium, inventæ primùm & excogitatæ ab hæreticis fuerunt, ut Divinas traditiones rējicerent, iisque rejectis, in suis novitatibus immoti perstarent. Cùm enim pravum eorum consilium eo respiceret, ut Scripturas Sanctas in novos sensus, absurdaque interpretamenta traherent ac detorquerent; nec alia Dogmata reciperent, nisi quæ verbo Dei scripta in illis pro modulo suo offenderent: explodendæ ab ipsis, contemnendæque prorsus fuere Divinæ traditiones, quarum opè, & Scripturarum Sanctarum legitima ac genuina retinetur intelligentia, & quæ scripta in illis non sunt,

certa atque necessaria custodiuntur Dogmata. Hinc Jo: Clericus, qui Critices Artem per Regulas conderè ac tradere statuit, eos sibi Canones præscripsit, quos qui ad amussim sequerentur, absoluti hæretici evaderent. Neque enim fieri potest, ut, retentis Critici hujus Regulis, inconcussæ manent Traditiones de numero Librorum Canonorum, de articulis fide excipiendis, & de vero & orthodoxo scripturarum sensu: quippè is, si Clerico critizanti credamus, non ab Ecclesia, quæ Traditiones intemeratè custodit, quærendus & petendus est; sed labore, studio, multaque industria exquirendus & investigandus usu Canonum de interpretatione verborum, quorum vel scrupulosissima observatione nihil omnino quisquam assequetur, præter impiam quamdam incredulitatem, aut noxiam rerum credendarum incertitudinem.

Ponamus esse hominem, qui à Clerico monitus, ejus Regulas de interpretatione (*hermeneutica* hæc pars Critices Græcè dicitur) exactissimè sectetur. Is dùm Scriptoris sensum aliquem exquirat, in mente habet. 1. Linguas sibi invicem non satis respondere. 2. Voces variarum linguarum, quæ planè idem significare videntur, sibi invicem non respondere. 3. Multa videri in versionibus emphatica, quæ in ipsis fontibus nullam emphasin habent. 4. Plurima esse in omnibus linguis ambigua vocabula. 5. Significationes vocum ea-

earundem nunc esse ampliores, nunc arctiores. 6. Propriam vocum significationem cum translata non esse confundendam. 7. Multis vocibus subjectas esse notiones obscuras. 8. Dari etiam voces, quibus notio nulla sit subjecta. 9. In quavis lingua plurimas esse locutiones anomalas, parumque adcuratas, easque nimium non esse urgendas. 10. Impropriam locutionem à tropica & figurata cautè esse distinguendam. 11. Multa esse propter constructionem ambigua. 12. Oportere, ut Interpres notas habeat consuetudines & opiniones, quæ familiares fuerint & populares Scriptoris patriæ & genti. 13. Rem, de qua Scriptor exponendus agit, debere bene notam esse Critico illum interpretanti. 14. Penes diversas sectas easdem sæpè voces usurpari ad diversa Dogmata significanda. 15. Stylum rhetoricum non modicam offundere intelligentiæ difficultatem. 16. Univerſim ambiguae esse significationis nomina notionum simplicium & compositarum; nomina substantiarum, modorum, relationum, rerum concretarum & abstractarum; nomina notionum singularium, particularium & universalium; clararum, obscurarum, adæquatarum & inadæquatarum.

Hæc summam Clerici Regulae, si hoc nomine dignæ sint obviæ cuique observationes, nihil altum, sublime aut reconditum nihil continent, quibus non tam docetur tutior interpretandi

modus, quam exaggeratur ingens, ferèque insuperabilis difficultas rectæ interpretationis. Quare, qui diligenter attendat ad hujus Critices magistri animadversiones, ambigua & obscura esse ferè omnia observabit; proinque nulla spe erigetur & assurgat ad tentandam, sibi que promittendam propriam & genuinam interpretationem; quinimò ad eam pertingere, si prudens sit; omnino desperabit; cum dubietatibus & ambiguitatibus circumquaque premi sese conspiciet. Quisquis ergo Regularum harum; aut similibus directioni sese committit, is per tenebras lucem quærit, & ex incertis & ambiguis certam haurire vult veritatem: quam, cum criterio & ratiocinio invenire malè quærendo non potest, rationis ductum deserit, & privatae affectioni, instinctuique suo, tamquam supremæ Critices lubricæ, vixque non prorsus impiæ, Regulæ totum sese tradit. Indè abjectæ Divinæ, & Apostolicæ Traditiones; indè explosi integri à Canone Libri; indè in mundum invecata tot sensuum circa res Fidei monstra, quæ sanus nemo dicet ad normam germanæ Critices fuisse formata, sed ex nimia opinandi pro vario instinctu libidine fuisse conficta.

Porro, præter Traditiones Apostolicas, quas verè dicimus Divinas, quia vel ea continent, quæ Christus Apostolos docuit, vel quæ Spiritus S. iisdem postmodum suggestit; debent & a liæ Traditiones

nes admitti ab Apostolis quidem derivatæ, quæ proinde Apostolicæ nomen habent & sint, non tamen Divinæ, cum nihil complectantur à Deo propriè constitutum, sed ea dumtaxat, quæ ipsi Apostoli propria auctoritate, ut Ecclesiarum Fundatores & Doctores, salubriter instituerunt, & ab initio Fidelibus commendarunt. Ex Apostolica hujus generis traditione plurima dubio procul accepit Ecclesia, quæ religiosè ubique ac semper retinuit, licet non omnino immutabilia judicavit. Unde ciborum delectus ad corporis macerationem institutus; consanguinitatis & affinitatis graduum, qui Fidelium Matrimonia impedirent, designatio; continentia sacrorum Ministrorum, & alia hujusmodi, quæ ab Apostolicis temporibus observata in Ecclesia noscuntur, & tamen invariata nec semper nec ubique permanserunt, ab Apostolis ad nos profluxisse, minimè est dubitandum.

Quæ ejusmodi sunt Apostolicæ Traditiones, eandem cum Ecclesiasticis vim habent; verèque & ipsæ Ecclesiasticæ sunt, quamvis ceteris antiquiores, & quodammodo venerabiliores. Ad hanc Traditionum Ecclesiasticarum classem pertinent receptæ in Ecclesia opiniones de perpetua Virginitate S. Joseph: de nominibus Parentum Deiparæ Joachim & Annæ; de præservatione & immunitate ejusdem Dei genitricis ab omni peccato actuali (ut nil modo dicamus de ipsius originali puritate,

quam Ecclesia ipsa propensiori affectu, & probabiliore iudicio probare videtur): de corporali ejusdemmet Virginis in Cœlum assumptione, &c. Et hæ quidem Ecclesiasticæ Traditiones jure appellari possunt universales, quippe communiter sunt receptæ, quamvis non omnes æquales fuerint vel in originis antiquitate, vel in Scriptorum consensione.

Minoris profectò auctoritatis sunt particulares Traditiones quorundam Regnorum, Gentium, Nationum, Provinciarum, Urbium, Oppidorum, Ecclesiarum, Regularium Ordinum, &c. eas tamen contemnere, vel absque concludentibus rationibus rejicere, æquitatis & prudentiæ jura non permittunt. Sunt etiam in Historia Ecclesiastica innumera propemodum illustrium Virorum gesta, eventus mirabiles, miracula, prodigia & portenta, ab uno, vel pluribus bonæ notæ scriptoribus ex traditione testata, quæ ad particulares, piæque Traditiones meritò reduci debent, nec sine idoneis argumentis explodi. Facile quidem est talia non credere, & plura adversus illa dubia, suspensiones, præsumptiones & objectiones multiplices excitare: sed nisi falsa evidenter ferre probentur, credentium assensui prudentius permittuntur ac tolerantur.

ARTICULUS XV.

De Regulis sobriæ Critices pro Traditionibus Ecclesiasticis, universalibus vel particularibus, admittendis vel rejiciendis.

IN præsentis Articulo & vulgares recentis Critices Regulas confutabimus, & prudentiores, atque omnium sæculorum usû probatas pro viribus statuemus. I. Regula. *Nulla cujusvis generis Traditio admittenda, quæ Ecclesiæ Catholicæ sensui repugnet.* Putavit olim S. Irenæus, (nisi locus sit interpolatus, de quo vide Bibliogr. nostr. Vol. III. pag. 136. col. 2.) se ex Traditione vera, quam etiam Evangelii Testimonio confirmabat, accepisse, Christum post quadagesimum vitæ suæ annum docere ac prædicare cœpisse: (lib. 2. cap. 39.) Cyprianus quoque Martyr gloriosus, & qui ejus sententiæ de iterando hæreticorum Baptismo adhæserunt, veterem pro errore suo Traditionem allegabant, quam vel Divinam vel Apostolicam credebant. Ex Præsbyterorum pariter seu Apostolorum Traditione didicisse se existimabant prisci Millenarii Scriptores, quod de Regno Christi in terris post resurrectionem, posteros erroneè docuerunt: (Iren. lib. 5. cap. 36.) Deniquè S. Augustinus, adultiore jam Ecclesiæ ætate, ad Traditionem retulit falsam, quam concepit opinionem de Sacra Eucharistia ex Christi præcepto par-

vulis ministranda: ideòque lib. 7. *De Peccator. merit.* cap. 24. scripsit: [Undè, nisi ex antiqua, ut existimo, & Apostolica Traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter Baptismum & participationem Dominicæ mensæ ad vitam æternam neminem posse pervenire? Si ergo nec salus nec vita æterna sine Baptismo & Corpore & Sanguine Domini cuiquam speranda est, frustrà sine his promittitur parvulis.] Quoniam verò nullam harum Traditionum vel retinuit vel probavit unquam Ecclesiæ Catholica, eas verè ab Apostolis non promanasse, firmissimè tenendum est: indèque tutò colligendum, non nisi penes Ecclesiam esse certum & irrefragabile de veritate Traditionum judicium: atque nullatenus admittendas, quas illa aut non agnovit, aut etiam rejecit. Toleratum quidem aliquamdiù, imò vetere alicubi disciplina institutum, ut infantibus cœlestis hæc alimonia dispensaretur: & si Josepho Antelmio fidem habere velimus, in Foro-Julienſi Galliæ Ecclesiæ consuetudine fuit receptum à V. circiter sæculo ad VIII. usque, ut Eucharistia sub utraque specie parvulis recens salutari aqua ablutis impertiretur. Sed aliud est, id citrà piaculum fieri aliquandò potuisse; aliud verò ex Christi præcepto debuisse fieri. Tale præceptum Ecclesiæ semper fuit ignotum: neque est credibile, Christum hoc jussisse, ut nempe corpore suo, quod est cibus solidus, & panis fortium, atque panis vitæ

vita & intellectus, lactentes refectentur, qui intellectuali & spiritali vita nondum vivere possunt.

II. Regula. *Neque ulla Traditio admittenda est, quæ vel cum naturali ratione, aut communi hominum sensu evidenter pugnare videatur; vel aliquid continere certò absurdum, & à veritate aliundè certa prorsus alienum.* Scilicet, tanta non est auctoritas quantalibet humana, quæ exigere à nobis jure possit, ut in ejus obsequium, captivare intellectum debeamus. Quæ autem nobis aut certò falsa esse apparent, aut videntur communi sensui seu rationi naturali repugnantia, ejusmodi sunt, quæ vera esse credere non possimus, nisi suprema, quæ nostrum intellectum superat, auctoritate in assensum oppositum flectamur: quod est proprium solum Fidei Divinæ, infallibili Dei testimonio innitentis.

III. *Nulla ab antiquo recepta Traditio ex eo solum rejicienda est, quòd non suppetant æquè antiqua argumenta aut testimonia, quibus probari queat.* Hujus Regulæ veritas adeò est perspicua, ut eam negare non possit, quisquis veram Traditionis ideam habet, & quid sit Traditio mente percipit. Convincentur enim apertissimè rem traditam cum scripta confundere, quicumque id solum Traditione constare velit, quod scriptis Authorum coætaneorum testatam demonstrare valet. Scriptionis locum tenet Traditio, illiusque defectum supplet, ac vices gerit; eademque

supponit Veterum testimonia, verbo, non scripto posteritati transmissa, & in subsequentium fide conservata. Si existimes non prius exortam Traditionem, quam idonei de ea Scriptores testimonium dixerint, ignoras profectò quidnam rei sit Traditio: cujus naturam cum minimè intelligas, idipsum inscius destruis, quod dissertationi supponis. Hæretici, dum ab Orthodoxis exigunt, ut Ecclesiæ Traditiones confirmant, scriptis Veterum testimoniis, eisdem Traditionibus coævis, Traditiones reipsa negant, quas vocabulo sonant: & id petunt à nobis præstari, quod naturæ rei, super qua contentio est, aperte repugnet. Hoc vel nimium insipienter, vel vaferrimè potius ab ipsis factum, ut videantur jure Traditiones non admittere, quæ tales esse non possunt, quales esse debere ipsi confingunt.

IV. Regula. *Factum in Traditione positum, cujus vel ejusdem, vel proxime subsequentis sæculi Scriptores non meminere, non ideò aut falsum aut suspectum haberi debet.* A Neocriticis Regula ista vehementissimè improbatur: imò vix unus inter eos invenitur, qui vel falsas, vel suspectas non habeat Traditiones illas, quibus non liquidò suffragantur Scriptores, qui saltem intra duo priora ab origine Traditionis sæcula floruerunt. Una ferè vox istorum est, nullum factum vel ex Historia vel ex Traditione recipiendum, cujus sponsores non fuerint eidem coætanei, vel

vel ferè. Hoc Launoyus solita prolixitate inculcat : hoc intonat Fleury : Hoc Du-Pinus clamitat : hoc Vallemontius, Bailletus, Ruinartius & Thiersius vociferantur. Sed quàm infeliciter Regulam præscriperunt, quam nec ipsi potuerunt, absque enormis inconsequentia nota, observare, nisi & quæ ipsi scripsere, delevissent, & quæ scripta ab aliis fuerunt, demedio sustulissent! Placet quidem maximè hæc nostrorum Criticorum Regula junioribus A catholicis, utpotè iisdem necessaria planè atque opportuna ad rejiciendas Traditiones, cum quibus stare nullatenus possent ipsorum novitates. Cum enim quæ ex Traditione divina per Apostolos suscepit & custodit Ecclesia, scripta ab initio fuisse, ostendere ipsa non valeat, quippè ea vel numquam literis consignata fuerunt, vel certè non in primis Christianæ Religionis temporibus : exindè hæretici callidè Catholicos provocant ad scriptam Traditionum contestationem ipsis æqualem, quam benè norunt sapius deficere, ut non tam ipsi videantur vitio suo Traditiones, illustriæque primitivæ Ecclesiæ facta & prodigia negare, quàm nos ea aptè probare non posse. Hinc, quæ allegari à nobis solent pro Traditionum veritate scripta tertio aut quarto sæculo Testimonia Hieronymi, Ambrosii, Nazianzeni, Chrysostomi, Augustini, &c. nisi antiquiorum autoritate fulciantur, tamquàm fide indigna

ab illis exploduntur. Pauca verò quæ his consona supersunt ex vetustioribus, Justino scilicèt & Irénæo, Cypriano & Tertulliano, Clemente Romano & Alexandrino, Ignatio & Polycarpo, vel suspectæ fidei sunt ap. hæreticos, vel ita depravata aut interpolata, ut, cum ipsis non favent, facile recusentur & repellantur.

Sed non nisi pessimo consilio, qui Orthodoxi volunt esse & haberi Critici, à Traditionum hostibus peterent Regulas, quibus discernere Traditiones. Ut enim cum Augustino loquar, (*De utilit. cred. c.6.*) imprudens, vel etiam stultus audiret, qui Libros Aristotelicos reconditos & obscuros ab ejus inimico rectè sibi exponendos speraret; aut qui vellet Geometricas Archimedis literas discere, magistro Epicuro, qui contra illas pertinaciter, nihil fortè intelligens, diserebat. Eò tamen usque pervenit Nostrorum inconsiderantia, ut, cum de Traditionibus per Regulas tractare deliberant, Traditionum inimicos consulant, & ab ipsis sperare non dubitent optimas credendarum & rejiciendarum leges. Sciunt utique (hoc sanè, nisi omninò non attendant, perspiciant necesse est) ejusmodi esse præscriptos à Protestantibus pro discretionem Traditionum Canones, quibus Divina & Apostolica corruant fermè universæ: nec ignorant, id illos intendisse, cum præfatos Canones tradidere. Nihilominus, tamquàm

Si & ipsi hæreticorum causam promovere yellent, eorum Criticem propugnare non timent, atque easmet Regulas recipiunt ac tradunt, quas in scriptis hæreticorum probare nequeunt.

Si rei traditæ producendi sint sponsores, qui eadem ferè ætate scripserint, frustra Josephus, frustra Eusebius, frustra Rufinus, frustra veteres Patres laborarunt, ea ex Traditionibus colligendo, literisque consignando, quibus & Hebræorum res plurimæ innotescerent, & illustrarentur plurimum Christianæ Fidei exordia. Frustrâ etiam moderni Critici, queis Regula nostra non placet, similia ex Veteribus hauserunt, & suis de Ecclesia Historiis inferuerunt. Nisi enim negare insipientissimè velimus, quod oculis nostris videmus, ac mentibus evidenter comprehendimus, citrà omne dubium affirmare possumus, neque Fleurium, neque Tillemontium, neque Bailletum, neque ullum omninò Criticum ex iis, qui de Ecclesiæ Christianæ primordiis egregia ediderunt commentaria, absque ope præjectæ Regulæ posse sese defendere, & plurima, quæ scripserunt, tamquàm sufficienter fundata, & prudenter à se recepta propugnare. Neminem certè inter eos invenire est, qui ea tantùm facta adoptarit, quæ Scriptura Divina refert: neminem, qui non alia exscripserit, nisi pro quibus coævus sponsores invenit. Josephus, Eusebius & Rufinus benè multa tradunt, quæ nec ipsi vide-

runt, nec à videntibus audierunt: non pauca valdè antiqua, quorum vel nullos, vel certè non coævus Testes appellarunt. Si hæc rejici debeant, illorum scripta magna ex parte inutilia erunt ac supervacua; reprehendendique meritò Critici, qui semetipsos deserentes, suæque Critices Canones contemnescentes, ea ipsa proprio delectu probarunt, & lucubrationibus suis, quas castigatissimas jactant, immiscuerunt.

V. Regula. *Si factum in Traditione positum prudenter recipitur, quoties una Eusebii autoritate commendatur; æquo vel potiori jure illud recipi debet, quod vel Epiphani, vel Irenæi, &c. testimonio commendatur.* Nullus arbitror præjectæ Regulæ contradicet, nisi qui prudentiæ naturam fortassè non noverit. Ecclesiasticam Eusebii Historiam recipio. Ejus fidem hac in parte non parvipendo. Diligentem & veracem Scriptorem, ut plurimum, agnosco. Nec puto rationabiliter contemni historicam ipsius fidem & autoritatem, quam Gelasius cum Concilio idoneam credidit ad fidem faciendam in rebus Historicis. Annuo, nec invitus, quæcumque ille in hoc genere posteris mandare constituit, non ex popularibus desumpsisse rumoribus; non ex fabulosis & apocryphis, obscuræ, aut nullius autoritatis sparsis per credulum vulgus libris; sed ex probatis, bonæque notæ Scriptoribus, vel Traditionibus verè probabilibus. Et ut liberalius Euse-

seebii dotēs extollam, lubens quoque admitto, etiam ubi ille fontes non indicat, nec Authores laudat, è quibus sua desumpsit, fidem ipsum nostram mereri; jureque nos præsumere, nusquam illum sine idoneo teste locutum, vel ubi absque sponse loqui videtur. Probat hanc præsumptionem in favorem Eusebii Fleurius in *Præfat. Eccles. Hist.* contendens, Eusebianas narrationes in iis, quæ ad tria priora Ecclesiæ sæcula spectant, Originalium loco habendas esse, recipiendasque absque ulla prorsus hæsitatione; nam, etsi sæpius à semetipso loqui videatur, cum nec Authores nominet, nec loca designet, undè, quæ prodit, mutuo acceperit; credendum tamen est, in iis quoque scribendis prudentem illum delectum habuisse, nec nisi authentica, & quæ in libris sibi bene cognitæ, ac nostra jam ætate deperditæ, legerat, Historiæ suæ inseruisse. Multum sanè tribuere videbimur Scriptori non prorsus nostro, sed alieno, sed & in pluribus inimico, atque Arianorum fautori acerrimo, immò hujusce hæreseos antesignano ac vexillifero. At, quoniam sic placet neocriticis, saltem, cum tale esse Eusebium, ipsis proficit; nec vel hoc inficiemur, dummodò conniventia ac indulgentia nostra id assequamur, quod ab ipsis summo jure exigimus; nempe, ut virtutes Historico pernecessarias, quas de Viro non penitus vitis vacuo, quin & præjudicatis opinionibus

prævento, cumulatissimè prædicant; nolint denegare integrioris famæ hominibus, Irenæo, Justino, Epiphanyo, Hieronymo, Ambrosio, Cyrillo, Nazianzeno, Basilio, Chrysofostomo, Augustino, Gregorio, aliisque ejus generis Viris, eximia prudentia ac probitate & veracitate præditis, quos Eusebio exæquare, impar sanè laudatio ipsorum est: postponere verò, vel enormis injuria, vel insignis amentia.

Nihilominus, qui prudentissimi haberi vellent Critices Præceptores, nec ferrent patienter injuriam in Sanctos reputari, audent ipsorum auctoritatem ita deprimere, ut possint prudenter rejici eorumdem testimonia, etiam cum illa Eusebii, Rufini, Sozomeni, &c. respuere per ipsos Criticos non licet. Tacitè enim sentiunt, nec rarò etiam palàm effutiunt, non ejusmodi esse Ecclesiasticos Scriptores, quos Sanctissimos Ecclesia reveretur, & Magistros veneratur, quibus in rebus antiquis fidem nostram tutò accommodare possimus. Nam ii (ajunt) vel necessaria ad veram Criticem lumina, quæ in Eusebio, Rufino, Sozomeno, &c. abundè splendent, non habuerunt; vel facta retulerunt, quæ accuratò criterio minimè examinarunt. Ex adverso nos contendimus, Ecclesiæ Patres prudentes fuisse ac probos & veritatis studiosissimos: proindeque, nec in quærendo negligentes, nec in credendo faciles. Quicumque verò vel negare hoc
ausi.

ausi fuerint vel saltem in dubium vertere; ii, nostra quidem, & omnium qui rectè sapiunt, sententia, aut imprudentes esse convincuntur, aut à pietate procùl abesse videntur.

VI. Regula. *Privatum de verosimilitudine rerum iudicium, adeò fallax, lubricum ac varium est, ut qui eo regitur, nec prudenter se gerere, nec ad germana Critices praxim possit tuto pervenire.* Adversatur Regula ista genio & ingenio nostrorum Criticorum, qui tales esse omninò nequeunt, nisi omnia suo iudicio metiri penitus sinantur. Hæc suprema eorum Regula est; eaque una credendorum norma, vel sublata, vel neglecta, nil amplius habent, quo Criticos sese ostentent. Nam iudicio huiusmodi in iis, qui in hoc nati sunt, subest quidam veritatis sapor, instinctus & gustus, vi cuius facile unusquisque discernat, quæ illum non habentibus sunt prorsus ambigua, incerta & obscura.

Fleurius hocce sapore imbutus optimè novit, quando Epiphanius aut Augustinus, qui sapius (ut ille censet) apocrypha sectati sunt, historicam assecuti fuerint veritatem, vel in rebus à sua ætate multum remotis. Undè nil ambigit de Epiphaniæ narratione, ubi (*Her. 28.*) scribit, Cerinthum pseudo-fratrem & pseudo-Apostolum, caput fuisse ac magistrum Antiocheni schismatis de eo, quod ex Gentilitate ad Fidem recens conversi tenerentur circumcidi, & Mosayca præcepta, totamque Legem ve-

terem servare. Similiter in Augustino probat, quòd docuerit (*De Conf. Evang. lib. 1. c. 2.*) Marcum Evangelium suum Græcè scripsisse, eo scilicèt Idiomate, quod toti Orienti, & ipsi Urbi Romæ esset tunc commune, nec ignotum vel ipsis Romanis foeminis. Eodem critico gustu idem Author deprehendit, alibi Epiphanius & Augustinum non ita accuratos ac diligentes fuisse, sed dubia, & quæ omitti jure possent, facta adoptasse: illum *Her. 29.* cum refert, dilectum Domini Discipulum auream laminam gestare in fronte solitum: hunc *Serm. 32. de Divers.* Ubi narrat, saxa quædam ex illis, quibus lapidatus fuerat Stephanus, fideles studiosè collegisse, & devotionis gratia penès se adservasse. Hæc postrema facta prioribus esse incertiora, nemo utique novisset, nisi qui exquisitum illum veritatis saporem tamquam verus Criticus haberet.

Eusebius hoc sapore probatissimus Historicus Fleurio est; si tamen ille alicubi cespitare contigit, protinùs ab isto in negligentia sua deprehenditur; nec fieri potest, ut oculatissimum Criticum lateat vel Authoris optimæ notæ lapsus levis. Hinc asserenti Eusebio lib. 5. *Hist. Eccl. cap. 10.* Bartholomæum in majore Armenia prædicasse, & Indis Matthæi Evangelium, quod ante cetera scriptum fuerat, invexisse; Criticus incunctanter acquiescit; reluctatur verò non nihil eidem narranti, *Hist. Eccl. lib. 11. cap. 17.* Philonem Hebræum, Ro-

mam ad Senatum ab Alexandrinis missum, coram eo Legationis summam legisse, & insana Caii Imp. flagitia liberè exposuisse: tantoque exinde in honore habitum à Romano Confessu, ut istius jussu reposita in Bibliothecis fuerint illius scripta.

Cum autem non unus & idem sit Criticorum omnium instinctus & gustus, sed multiplex ac varius, ut in superioribus evidenter demonstratum reliquimus; non omnes dici possunt, aut benè ad Criticem dispositi, aut critico sapore, qui verè talis sit, præditi. Hæreamus igitur necessum erit; & ne imprudenter hujus potius quam illius instinctum sequamur, singulorum singulos abjiciemus, aut novam ab ipsis Regulam expectabimus, qua tuto dignoscere possimus, ex tot præclarissimis hominibus, qui de sapore illo critico gloriantur, quinam illum verè possideant, & nec fallantur ipsi, nec nos fallant. Quod si nulla ad id dijudicandum discretio sufficiat, fateantur oportet, nihil hætenus in Critices negotio ipsos præstitisse, vel quia possibilis non est Ars ulla, quæ hominum judicia tuto regat, vel quia eam ipsi Artem sibi confinxerunt, ejus Regularum observatione, aut in Pyrrhonismum facile dilabamur, aut in proprio judicio pertinaciter obfirmemur.

Vitia hæc quidem sunt maximè detestanda, & quæ non facile admittat quisquis sui compos sit. Sed tamen non rarò vitia, præsertim intellectualia, utpotè subtiliora,

minùsque intelligibilia, virtutes se esse mentiuntur, & habentes specioso colore fallunt. Prudentum nomine ac titulo decorari omnes ambiunt; & cum singuli prudentes se esse credant, pauci tamen inveniuntur, qui prudentiæ suæ non innitantur. Ab iis Ars ista novæ Critices inventa est, unaque cum ipsa in Orbem invec̄ta libertas ingeniorum planè nocentissima, qua, qui licentiùs usi sunt, pro Tribunali sedentes, à Domo Dei judicium inchoarunt, vixque firmum aliquid reliquerunt. Nam & Scripturarum novum Canonem procudere ausi sunt, & suo instinctui reservarunt de genuina ipsarum intelligentia ferre judicium. Hi audacia prorsus non ferenda, ac temeritate vix non stulta & insana, privatum suum spiritum Ecclesiæ Christi Sponsæ Spiritui prætulerunt: & cum spiritus ille privatus, divisionum ac dissentionum sit spiritus, tot falsorum dogmatum monstra ex illo profluxerunt, quot capere nequeant innumeræ promemodum sectæ, non solum inter sese diversæ, sed & inimicæ atque ad invicem contrariæ. Qui verò non tantum sibi licere existimarunt, in Religionis causa locum habere noluerunt Artem illam Criticam; & in iis, quæ de substantia Fidei sunt, statuerunt, uni penitus standum infallibili Ecclesiæ judicio: ast, semel in tuto posita hac, quam debitam Ecclesiæ profitentur, reverentia, volunt cuique esse liberum, Artem illam magnam in cæteris sectari,

ad

ad praximque deducere; si tamen is, qui ejus directione usus est, eo sapore ac gustu imbutus sit, eoque critico spiritu ac instinctu polleat, quo ad judicandum recte de omnibus capax aptusque reddatur. Et, quoniam multi planè sunt, qui hanc sanè mirabilem capacitatem & aptitudinem sibi arrogant, nec æqualem in aliis facile agnoscunt; suam singuli tamquam tutiorem sequuntur, & eos dumtaxat genuinæ ac veræ Critices Sectatores credunt, qui illorum directioni sese committunt. Hinc factum est, ut, quemadmodum in Religionis negotio, sapor ille & instinctus hæreticus, non solum veram Fidem profligavit, verum & falsa, sibi que adversantia dogmata invexit; ita & sapor iste & instinctus Criticus omnia, præter Fidei dogmata, confusione impleverit, atque in locum piæ docilitatis ac submissionis, subrogare tentaverit, vel incredulitatem prorsus non convenientem, vel magis certè noxiam in privato judicio ob firmationem.

VII. Regula. *Non qui Traditiones tuentur, sed qui eas impugnant, debent nobis argumenta certa adferre, & intentionem suam plenè probare.* Ratio est, quia cum pro receptis ab antiquo Traditionibus stet possessio, & pro possessione communis de veritate præsumptio; qui tuentur Traditiones, nec juri, nec rationi adversantur; quinimò utriusque dictamina sequuntur, quatenus & possessionem defendunt, & ex possessione legiti-

mam de veritate præsumptionem deducunt. Iis sufficit ostendere, Traditiones, quas receptas invenerunt, sese propugnare; easque ejusmodi esse, quæ de falsitate convictæ numquam fuerint. Per hoc insuper jus servatur eorum, qui easdem Traditiones admiserunt: nè alioquin illorum judicium contemnere videamur, si absque plena probatione pronunciemus, falsas esse & incredibiles, quas receperant ipsi, Traditiones.

Majus certè onus subire compelluntur, qui iisdem Traditionibus refragantur. Ii quidem, si id aggrediuntur, vel tantum incredulitate sua armati, vel debilibus, aut solum probabilibus, & solubilibus conjecturis & ratiociniis instructi, repellendi omnino sunt, nulloque modo ad certamen admittendi, velut qui illegitimè procedant, nec sciant quibus armis pugnandum sit adversus Traditiones veteri possessione protectas, & bona plurimorum fide munitas. Igitur ridendi sunt, vel etiam sibilis dimittendi, qui Traditiones, aut non recipiunt, aut refellunt, vel quia possibile est, eas non legitime fuisse introductas, nec debito examine receptas; vel quia non repugnat, deceptos fuisse, qui eas primum evulgarunt, quique jam evulgatas susceperunt. Iis possibilitas planè conceditur, sed prudentia merito denegatur. Neque enim prudentis est, talibus uti in disputationibus argumentis, quibus non difficile disputans ipse adigatur ad non recipiendos pa-

rentes suos, atque ad alia fermè innumerabilia vel non credenda, vel in dubium quoque revocanda, quæ homines communiter, ne desipere videantur, suscipere tenentur.

Jo: Ernestus Grabe, qui fabulam vocat adventum Divi Jacobi Majoris in Hispanias, & benè fundatam asserit S. Pauli in iis regionibus prædicationem, uno Critices instinctu agi sese ostendit.

Sed neque illi Traditiones legitimè impugnare dicendi sunt, qui nobis objiciunt, facta in ipsis contineri, quæ vel incredibilia, vel etiam absurda sibi videantur. Non enim illis data desuper est recta mensura credibilium, aut indita vera idea absurdarum & contrariarum rerum. Præsumptio hæc familiaris solet esse cujusvis generis infidelibus, qui, cum fabulis ac nugis libenter pascantur, altiora quæque, & certiora fastidiunt; ineptèque nos loqui putant, cum ea narramus, quæ vera esse nolent. Et nos quidem valdè plurima ope piarum Traditionum novimus, quæ pietatem ac devotionem erga Deum & Coelites mirificè fovent, quæque nos docent magnificè sentire de Dei circa nos opportunissima providentia & paternali cura: de Deiparæ præsentissimo ac potentissimo patrocinio: de sollicita Angelorum erga homines clientes suos tutela: de Sanctorum proficua intercessione: deque aliis propè infinitis, quæ citrà omne piaculum, nec absque fructu, non tam anxie scrutamur, quàm piè complectimur. Hæc, si

cum audiunt, infideles contemnunt, miseratione digni sunt: quippe, ut ad rem differebat Lactantius, (*Instit.* lib. 7. cap. 1.) eorum pravæ vitiosæque mentes, quarum acies terrenis cupiditatibus hebetantur, aut nostra omninò non intelligunt; aut si fortè intelligent, dissimulabunt tamen, & esse hæc non vera cupient. At Nostri cur nostra suscipere recusabunt? Quare vera hæc esse timebunt? Cur solis ipsis apparebunt incredibilia, quæ jam pridem excepta fuere plurimorum fidelium fide, devotione, pietate? Erraverint fortè universi: sed undè constat errasse, cum nihil repugnans, nihil non simile aliis factis certis admiserint? Soli ne nostrorum temporum Critici prudentes? An ne imprudens integra Catholica Natio, imprudentes Ecclesiæ insigniores, imprudentes gravissimi Regularium Ordines, & singuli populi imprudentes, penès quos Traditiones vigent, quas à patribus suis receperunt, & tamquam ipsorum hæreditates custodierunt?

Neocritici, qui vel innocenter falli maximè timent, vellent à nobis rationem perspicuam reddi de singularum Traditionum origine & autoritate. Sciunt profectò rem ipsos difficilem vel etiam impossibilem postulare. At si eandem & nos ab ipsis exigamus, ut summo jure possumus, fatebuntur abs dubio, hoc ipsos præstare nequàm posse aut debere, munerisque suo satisfacere, si Traditionum, quas suscipiunt, sponsores

exhibeant graves, quos non confitet vel plerumque fuisse deceptos, vel voluisse decipere alios. Si quæras, quinam isti sint? Respondebunt, graves se appellare Authores, Eusebium in primis, Rufinum, Philostorgium, interdum etiam Hieronymum, Epiphanium, Basilium, Chrysothomum, Augustinum, Ambrosium, Isidorum, Orosium, &c. Et certè aliquem vel aliquos ex istis citare solent pro Traditionibus illis, quas sapore critico veras agnoverunt, & ut fide dignas libris suis inseruerunt. Ceterum, cum & alias plures rejiciant, & ut incredibiles nobis proponant, quæ vel eosdem, vel æquales sponsores habent, coguntur sanè fateri, vel illos se Authores recipere, quos recusare æquè possent; vel nullos esse ita graves, & authoritatis tam certæ & inconcussæ, quibus fidem nostram debeamus. Hinc in neocriticorum libris sæpè videmus, Eusebium ab iis rejici, ubi recipitur ab illis: hos Augustini testimonium deserere circa factum illud, quod alii ejusd. Aug. authoritate sufficienter confirmatum credunt. Nec tanti discriminis aliam quis rationem poterit designare, nisi varium ac multiplicem Critices saporem, cui adscribenda merito sit Criticorum in judicando inconstantia, & vere immanis in ratiocinando inconsequentia.

Non ita ineptè alii eruditiores ac prudentiores Critici Traditiones discutunt. Hi argumenta illa nullius esse momenti fateri solent,

quæ minus experti Critici sapius desumunt vel ex rei possibilitate, vel ex ambigua, & in varias formas vertibili rerum apparentia & similitudine. Solent quoque & honorificentius de Patribus loqui, nec quoad fidem historicam eos postponere aut Herodoto aut Thucydidi, aut cæteris illustribus Historiæ profanæ Scriptoribus. Faten- tur, non in istis, sed in illis multa concurrere dispositi ad veritatem animi indicia, in quibus optimè fundatur rationabilis de vera narratione præsumptio. De profanis Augustini sententia est, & si vera in Historiis suis retulisse credantur, plura illis defuisse, sine quibus difficile fuerit veram conscribere præteritarum rerum narrationem. *Historia sanè, inquit Epist. 131. ad Memorium, cujus Scriptores fidem se præcipue narrationibus suis debere profitentur, fortassis habeat aliquid cognitione dignum liberis (hoc est, fidelibus), cum sive bona sive mala hominum, tamen vera narrantur. Quamvis in eis cognoscendis, qui Spiritu Sancto non adjuti sunt, rumoresque colligere ipsa humane infirmitatis conditione compulsi sunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, non video.*

Hoc porro quod Theologica & illuminata mente non videbat perspicacissimus iste Doctor, vident criticis oculis insignes nostri sæculi Grammatici, quibus diligentiores ac veraciores Augustino, Hieronymo, &c. sunt profani Historici sive Latini sive Græ-

ci. Hos vera ubique tradidisse ut- que adeò non dubitant, ut miris modis se ipsos divexent, ut valeant quomodolibet suadere lectoribus, re ipsa falsum non esse, quod in aliquo istorum falsum esse omninò videtur. Augustinus, nihil est, si fallax in facto historico deprehendatur, si hallucinatus judicetur. Si Hieronymus aut Epiphanius cum Xenophonte aut cum Diodoro siculo non consentiat, erravit ille, & vel oscitantia vel incuria laboravit, emendarique debet autoritate profani Scriptoris; falli & fallere nescientis. Scilicet, Grammatici nostri Theologos non agunt, sed Criticos. Horum autem munus est accuratè investigare, quid in hominibus valeant ingenii & industriæ Vires, non quid conferat ad liberalem mortalium eruditionem Gratia Jesu Christi Domini nostri. De hoc Theologi tractent, si velint: sciant tamen nihil nobis Grammaticis persuasuros, cum experientia ipsa nostra exploratissimum habeamus, ingenii nostri ac industriæ fructus esse, & eminentem, qua ceteros superamus, Eruditionem; & magnam illam Critices Artem, cujus lumine quid falsum, quidvè verum sit detegimus; & in quibus alterutrum inveniatur, tutò dignoscimus.

Saniora verba prudentiores quique Critici loquuntur; & quomodo possent mentibus sanis non vehementissimè displicere stulta hæc & inflata Grammaticorum

eloquia? Credant igitur oportet, qui impia istorum arrogantia merito offenduntur, homines Spiritu Dei plenos optimè fuisse ad quamcumque veritatem dispositos, iisque omnibus præjudiciis vacuos, quibus solent mentes hebetari, sensusque gravari, & imbecilles reddi. Hos Dei filius, qui Veritas est, etiam in liberalibus, quas vocant, Disciplinis, ab erroribus multipliciter liberat, & gratiæ luminibus replet, quibus naturæ, & ingenii lumen mirò modo illustretur, & ad verum tutius dirigatur. Istorum mentes non sicut profanorum plenæ sunt insaniis mendacibus, ventosis nugis, & garrulis argutiis, sed casto veritatis amore, quam vehementer diligunt, ac diligenter in omnibus quærunt. Habent quoque dona spiritus, secundum mensuram donationis Christi, quibus saluberrimè perficiuntur, ut facilius ab erroribus caveant, & foelicius vel occultiores veritates inveniant. A similibus decipi, non dicimus esse impossibile; sed timendum non est, ut id sæpius contingat; atque idcirco prudenter in eorum autoritate quiescimus, quoties certis rationibus, vel securiori autoritate, deceptos illos fuisse non invenimus. Hoc certissimè Prudentia jubet, vel quid sit Prudentia penitus ignoramus.

Et tamen Fleurius inter prudentiores Criticos eminenter prudens, qui nobilissimæ hujus virtutis indolem ac præcepta bene

(uti

(qui nos credimus) percalluit, in ipsa sua luce impegit, cum severum Criticum agere voluit; & cupiens videri in tradenda sua Ecclesiae Historia prudentissimus, nimium (nisi fallimur) imprudens deprehensus est. Cum enim in praclaro alioquin opere centies protestetur, certiora nobis & utiliora se traditurum; & quae talia ipsi non videantur, praetermissurum; tamquam volens fidem suam liberare, & stare promissis, Apollonii Tyanæi vanissima vel superstiosissima gesta, ac praestigiosa miracula adeo fuse narravit, ut paginas bene multas prioris voluminis suae Historiae Ecclesiasticae portentosis mendaciis impleverit. Nec veritus est, qui vel gravissimorum Scriptorum auctoritatem scrupulosissime expendit, talia depromere ex Philostrato, viro Ethnico & mendacissimo, qui Apollonii vitam aut in cerebro suo confinxit, aut è futilibus nebulonum narrationibus hausit. Hoc in *Bibliographia* nostra abunde probavimus, & luculenter demonstravit Clairval, Scriptor Gallicus in libro an. 1705. Parisiis excuso, sub inscriptione: *Historia Apollonii Tyanæi falsitatis & suppositionis convicta.*

Sed demus, haec, licet falsa, licet impia, licet legentibus non parum noxia, potuisse quodammodo utiliter ac prudenter referri ab Historico Ecclesiastico veritatis & utilitatis studiosissimo: quae tamen ipsemet prudentia ab Historia relegavit sua, tamquam fi-

delium memoria non digna, universa ferme, quae de Vita Christi Domini, Deiparae Virginis, & Apostolorum, probati Scriptores, Basilus, Epiphanius, Chrysostramus, Damascenus, Isidorus, &c. pio ac religioso studio ex antiquis Traditionibus collegerunt, & ad Ecclesiae aedificationem literis consignarunt? An ista prudenter omissa dicentur, quia in Scripturis Sanctis non leguntur? Et ubi nam apud Canonicos Scriptores Fleurius legit, quod velut exploratissimum scripsit, nempe, Matrem Jesu, post Filii ascensionem, in Urbe Ephesi cum dilecto Domini Discipulo domicilium habuisse? An verò, quia Fleurius certa tantum scribere promisit, non debuit illa commemorare, quae certa non sunt, quamvis probabilia fortasse sint? At Apollonii vitae qualis quantaque est certitudo? Unde certae tot illae fabulae, quibus Author Historiam Ecclesiae ornavit, & curiosis vanisque hominibus jucundiores effecit? Rursus, dicendane sunt certa, & non potius fortasse probabilia, facta innumera ab Authore isto relata, & non nisi Eusebii, Josephi vel Philonis testimonio innixa? Quod si quae isti posterorum memoriae mandarunt, propter eorum auctoritatem, aut certa haberi debeant, aut saltem probabilia, & digna fide nostra; cur non omnia, quae istiusmodi sunt, non recipiuntur? Cur, aliis rejectis, admittuntur alia, nec certiora, nec probabiliora, sed neque

majori authoritatè suffulta? Cur verò inter rejecta potissimum explora, quæ saluberrimo consilio Patres digna existimarunt, quæ & ipsi crederent, & nobis credenda proponerent? Anne imprudentes illi, quia crediderunt & scripserunt, prudentissimi autem cum Fleurio Critici, quia ea despexerunt, & à fidelium notitia, quantum in ipsis fuit, removerunt? Adeone sunt periculosa & noxa plenæ Traditiones illæ de infantia Salvatoris, de præsentatione, desponsatione, dormitione & corporali assumptione Virginis, de Apostolorum ac Discipulorum gestis, ut cautissimè agere videantur, qui talia silentio involvunt, ne simplices illusionibus repleantur, & idonei inutiliter occupentur? Fuerit ergo prudentissimum istorum consilium, qui, similibus officiosè prætermittis, aut etiam arroganter contemptis, aurea & pulchra fabularum mendacia lectoribus suis propinarunt, & Apollonii mendacissima gesta & miracula longo sermone descripserunt? Ista olim Hierocles, homo profanus, adeo extulit, ut Christi miraculis majora dixerit, idque Christianis in contemptum veræ Religionis objecerit. Modò autem, ex novæ Critices consultissimo imperio, plura, quæ de Salvatore narrantur mira gesta, majestate ejus planè digna, ab Ecclesiæ Historia exulare jubentur, & impudentissimi impostoris vel supposititia, vel magica facta, non indigna putantur, quæ

locum impleant prætermittorum de Christo.

VIII. Regula. *Piæ Traditiones, quæ nihil indecens continent, nihil absurdum, rectæque fidei ac bonis moribus dissentaneum, prudenter tolerantur, nisi falsæ inevitabilibus argumentis, documentisve irrefragabilibus demonstrantur.* Vigore hujus Regulæ arcenda omninò sunt a disputatione de piis Traditionibus argumenta illa topica & conjecturalia, quibus satis imprudenter putant neocritici, receptas antiqua fide ac pietate Traditiones, à fidelium cordibus posse radicibus evellere, & triumphos canere. Imprudens prorsus est spes hujusmodi, & vana eorum fiducia, qui talibus confisi mediis tam arduum consequi finem sperant. Videntur hi nescire, quam tenaciter à singulis gentibus retineantur, quæ Majores ipsis tradiderunt. In rebus potissimum ad Religionem & Pietatem pertinentibus firmissima esse solet, quæ Majoribus commodatur fides: nec, si hæc in hominum societate deficeret, possent non in oblivionem, desuetudinem vel contemptum abire vetera diù probata, & non admitti quotidie nova, vel periculosa, vel suspecta.

Jam duo circiter sæcula elapsa sunt, ex quo Grammatici & Critici, auxiliis magnæ Artis adjuti, bellum piis Traditionibus indixere. Omnia conjecturarum promptuaria ab illis exhausta fuerunt: loci omnes communes è loco moti, & in apertum campum adduc-

tim suspitionum cuncta genera ad-
 vocata: adhibita quoque simula-
 tiones & fraudes, citationes infi-
 deles, & subdola testimoniorum
 minutiones vel corruptiones: sup-
 petias itidem tulerunt exoticæ ac
 peregrinæ linguæ, quibus Critici,
 si non melius, loqui sciunt mul-
 tiplicius; & quos Latinè vincere
 non possunt, Hebraicè aut Græcè
 superare non desperant. His co-
 ptiis, sapore Critico duce, pugna
 commissa est, quæ post devoluta
 tot tempora, usque obfina-
 ta perdurat. Durabit etiam sine
 ullo prospero ex parte Criticorum
 eventu, quoadusque illi, aut
 suam nobis incredulitatem com-
 municent, aut suam illum sapo-
 rem palato nostro ingerant, quo,
 vel in se (si fieri id potest) ob-
 jecta mutantur, vel (quod minus
 difficile est) aliter à nobis figura-
 ta videantur. Quamdiu hæc præ-
 tate Critici non poterunt, com-
 mendatas nobis à Majoribus Tra-
 ditiones retinebimus; nec crede-
 mus unquam temerè illos, &
 absque idonea vel autoritate vel
 ratione tamquam vera & pietati
 consentanea, in illis contenta
 suscepisse, & ut nos suscipiamus
 voluisse. Venientibus ex adverso,
 & conjecturis ac insolubilibus ar-
 gumentis pugnantibus, occurre-
 mus & nos probabilibus solutio-
 nibus: nec patiemur, nisi majori
 & insuperabili vi, à nostra sen-
 tentia dimoveri, & novam in-
 duere penitus extraneam, & nos-
 tris Majoribus ignotam, minime-
 que evidenter certam. Si alterutra
 decipi possumus, ea decipiamur,

à qua minus deceptionis pericu-
 lum timemus. Sequemur enim
 veteres Magistros, ac Patres nos-
 tros, qui ea tradiderunt, quorum
 falsitatem nulli post tam prolixam
 discussionem idoneè demonstra-
 runt. Sequemur illos, qui verita-
 ti & pietati, non contentioni stu-
 duerunt. Undè & excusabiles eri-
 mus, si fortè fallamur: neque enim
 jure reprehendi possumus, si ve-
 tera nostra probabilia præferamus
 novis, extraneis & incertis, quæ
 homines recentes, & ad conten-
 tiones ac jurgia literalia artificio-
 sè eruditi, noviter invenerunt, &
 summis, sed irritis conatibus no-
 bis persuadere voluerunt. Multa
 in iis indispositi ad veritatem ani-
 mi indicia observavimus. Regulas
 ipsi præscribunt, quas, ut minus
 errent, sapius deserunt. Scripto-
 rum silentio plerumque abutun-
 tur, & plura, quia à suis Authori-
 bus non dicta, pronuntiant falsa.
 Nullius fides illis integra, si pro-
 priæ opinioni non faveat. Plurimæ
 illorum inconsequentia, ac nulla
 ferè doctrinæ acolutia. Oportet
 igitur, ut ab iis caveamus etiam
 veriora & certiora promittenti-
 bus.

Potuit contentiosa hæc Ars
 omnia ferme turbare, & nihil fe-
 rè immotum relinquere. Potuit
 dubitationibus ac suspicionibus
 Orbem replere, & debilia quo-
 rundam ingenia ad suas partes
 pertrahere. Potuit robustiora &
 eruditiora cogere ad accuratio-
 nem veritatis investigationem, qua
 aptiora redderentur ad pugnan-
 dum cum adversariis, arte po-
 ten-

tentibus, & peritia ac eloquentia non planè contemptibilibus. Potuit & interminabiles quæstiones mundo invehere: sed numquid potuit vel unam veterem subvertere Traditionem, aut ejus liquido ostendere falsitatem? Quidquid frustra Critici conati fuerint, omnia (si paucas exceperis haud magni momenti res) sicut ab initio perseverant: & qui captiosa Arte seducti non sunt fideles, Traditiones recipiunt, quas Majores eorum receperunt. Hispani constantissimè modo credunt, sicut credebant olim, Jacobum Zebedæi, ante alios Apostolos Gentibus prædicasse, & suis regionibus Evangelii lumen attulisse: tum & Virginem Matrem adhuc mortalem vitam agentem Apostolo apparuisse, & Sacellum sibi ædificari jussisse. Quæ adversus Traditiones istas Critici objecerunt, eas magis magisque illustrarunt, & certiores ac celebriores reddiderunt. Pauli similiter in Hispaniis prædicatio à volentibus potest facile in dubium verti, sed non potest idoneis argumentis negari.

Apud Gallos curiosiora florent ingenia, & novitatum, in re præsertim literaria, avidissima. Ibi major Critices potestas & imperium, atque proinde infinita propè exorta, intestina dissidia. Et tamen qui constantes incumbere voluerunt defensionem suarum veterum Traditionum, id egregiè præstiterunt, & doctis libris palam demonstrarunt, posse optimè

priscam Christianissimæ Nationis fidem jura sua propugnare, & ingeniosis Criticorum conatibus strenuè resistere. Disputatum pugnacissimè est, an Areopagita Dionysius Galliarum fuerit Apostolus? Ast, nondum exploratum, malæ causæ suscepisse patrocinium, qui affirmantem Traditionem tuentur. Quis dignè ponderet, quanto impetu in Areopagitæ scripta, communi plurimum sæculorum consensione venerata, Critici irruerint? Perstant tamen ipsa in honore pristino apud Viros eximios, & cum pietate & sobrietate doctos. Ex iis plures etiam eruditissima edidere Commentaria, quibus, gravissima in primis controversia hinc inde plenissime discussa, factis superque probarunt, rationum momenta à neocriticis usurpata, ut ea opera Dionysio abjudicent, & contentam in eis doctrinam erroris arguant, ea ipsa esse, quæ & hæretici antiquitus allegarunt, & quibus veteres Apologistæ aptissimè responderunt.

Magdalena & sociorum in Provinciam, & Mauri in Gallias adventum adhuc retinent perdocti Scriptores adversus Criticorum argumenta sæpius instaurata, & sub multiplicibus formis proposita. Ecclesiæ singulæ, sive Galliarum, sive Hispaniarum, sive aliorum populorum, quos ab antiquo agnoverunt & crediderunt Fundatores, illos ipsos nunc ut tales venerantur, & quæ ex adverso à Criticis objiciuntur, vel

omnino contemnunt, vel talia non esse ostendunt, quæ contra vetustam Traditionem audiri mereantur.

Notissima sunt Romanæ Ecclesiæ, cæterarum Matri ac Magistræ, neocriticorum conamina adversus ipsius Traditiones & speciosiora vetustatis monumenta. Hæc in excelso posita, & oculis circumquaque plena, videt se suaque multipliciter oppugnari, non solum ab iis, qui foris sunt, verum & ab illis, quos in suo gremio alit & fovet. Audit voces adversariorum, & quanta isti testimonia dicunt contra Breviarii & Martyrologii fidem, quæ mille fabulis & nugis oppleta murmurant, vociferantur, clamitant. Eduntur quotidie libri, quibus clamor eorum invalescit, altè intonans, apocryphas esse, quæ Primatui Papæ apertius favent, Decretales: Constantini Donationem, Leporam, Baptismum, Baptisterium, & quæ ista comitantur & consequuntur, mera esse Romanorum figmenta vel somnia. Ad hæc Roma immota persistit, & quæ semel Veterum autoritate recepit, silentio suo retinenda esse docet. Ut scilicet tali exemplo etiam & nos discamus, ad clamorosa Criticorum verba, & eruditas argutias non facile turbari, expavescere, & antiqua nostra abjicere: sed clamantes, & per vulgus murmura spargentes patienter audire; insuper & cautè examinare, quid illi novi invenerint, quod Veteres potuerint ignorare; tum verò, nisi in-

eluctabilia attulerint, opportunè illis respondendum erit, ut vel clamare cessent, vel cæteris innotescat, tacere illos debuisse, cum nihil opposuerint, quo assensum extorquere à nobis possint. Oportebit etiam silere nolentes, tamquam pacis publicæ turbatores, & pietatis ac devotionis fidelium populorum eversores obedientiæ fræno compefcere: nam istorum licentia permultis est noxia, & nisi modus ei tempestivè imponatur, insolentior quotidie fit, viamque aperit ad ausus majores. Adeò autem sunt certa, quæ imminent ex Criticorum libertate, pericula, ut vel Fleurius Criticus severissimus ea ipsa agnoscat & fateatur; ideoque, cum statuisset Traditiones omnes explodere, quæ certissimæ non essent, noluit eas positivè impugnare, sed prætermittere tantum, & silentio involvere, ne adversus ipsas scribendo, aut scandalizaret pusillos, aut turbaret aliter sapientium animos. Ingenue quoque fatetur, non ita esse fortia, quæ desumuntur è Critices Regulis argumenta, ut eis cedere cogantur, qui pias Traditiones tuentur: quinimò potius hi in propria confirmantur sententia, postquam vident, nec à Criticæ artis potentia fuisse convictam.

Nos Fleurii solerriam & œconomiam non sine laude suspicimus: sed consequenter vituperare ferè compellimur Bailletum, Launoyum, Tillemontium, Ruynarrum, Thiersium, Mabillonium, Thomassinum, & paucos Criticos His-

panos, Feijò, Ferreras, Corro, illorum imitatores, qui Fleurio animosiores, scriptis suis liberè proferunt, quæ mente conceperunt; & cum sufficeret ea prætermittere, quæ non crederent, voluerunt nulla necessitate compulsi incredulitatem suam patefacere, & totis Viribus sese opponere Traditionibus communiter receptis, & in ipso Breviario Romano fidelium ædificationi expositis. Hoc, inquit, prudentia minimè probat, nec permittit charitas; imò utrique virtuti quodammodo aperte repugnat: eò magis, quòd cum certiora illi non adducant, veritatis causam non possunt promovere; idque solùm assequuntur, ut alii scandalizentur, alii indignentur, & alii in devotione ac pietate tepidiores reddantur. Falluntur vehementer Critici, si existimant, ideo nos pias Traditiones suscipere ac defendere, quia ignoramus, quæ adversus illas militent, dubitationes ac difficultates. Non tam cæca & inerudita fides est nostrà, nec possumus non novisse, quæ in eorum vulgatissimis lucubrationibus passim offendimus. Sed de prudentia & charitate christiana quæstio est: Utrum nempe his virtutibus consentaneum sit, aperto bello Traditionibus adversari, quas veras non esse aperte ostendere non poteris? Tu, qui severissimas Critices leges consecraris, cætera non curas, dummodo conjectationes tuas, fuitiles plerumque ac vanas, critica libertate proferas. Ego vero, quia

expertus sum, pluries te fuisse deceptum in usu Regularum tuarum, & multa mihi promississe argumenta peremptoria, quæ in paralogismos & umbratiles ratiocinationes resoluta sunt: tum & solitam nihil te adferre supra probabile, & commodè solubile; non ita tuis moveor & afficior, ut veritatis jacturam reputem, tua non recipere. Ex alia autem parte vel ex tuis agnosco, non malam esse causam, quam propugno, siquidem à tuis victa non fuit; imò, quia possidet, victrix evasit.

In hoc rerum themate prudentem illum dico, qui Majorum auctoritatem vel assensu retinens, vel silentio suspiciens, nihil innovare vult, præter quod traditum est: qui suæ conscius imbecillitatis, suspecta potius habet sua recentè inventa, quàm communia ab antiquo probata: qui Superiorum diligentiam reveretur, nec vulgo suadere conatur, plura illos oscitanter adoptasse, tradere ac docere, quæ nos potius seducant quàm ædificent: eum denique & prudentiæ & charitati consulere censeo, qui, ubi veritas perspicue videndam se non offert, sinit alios in suo sensu abundare, præsertim cum id sentiunt, quod omnes, vel plerique; quod ab antiquo receptum, quod bonis moribus non dissonum, quodque pietati nutriendæ & fovendæ devotioni aptum est & percommodum. Similia velle extirpare, nisi ob unias manifestæ veritatis amorem, absque spe fructus ulla, nec sine fere certo

to simulatum periculo; opus non est prudentis, & pacem verò corde diligentis. Norunt Eruditi quàm veraciter hæc à nobis dicta sint. Eum verò, qui acquiescere his nolit, rogamus, ut in memoriam revocet antiquiora & recentiora exempla criticarum rixarum, ex quibus, cum nulla certè alicujus Traditionis mutatio secuta sit, plures certissimè ortæ sunt contentiones, æmulationes, commotiones, nec penitus incruentæ, nec unitatis & fraternitatis parùm inimicæ. Non bonæ profectò arboris fructus sunt isti: quæ, nisi succidatur, vel in germanam Olivam inseratur, germina producere non cessabit, quæ terram occupent, & virentia ac salutaria quæque suffocent, vel etiam faucient.

ARTICULUS XVI.

Astronomia, Chronologia, Geographia, Historia & rei Nummarie peritiam, de qua maxime gloriari solent Critici præsertim Grammatici, parùm vel nil ipsis profuisse adversus celebriores Traditiones, breviter & efficaciter ostenditur.

QUÆ est ista (appositè cum Tullio Criticos alloquerer) quæ est ista, inquam, in prædicanda scientia vestra tam insolens ostentatio? Soli ne vos sapientes? Soli ne vos liberalibus & curiosis his artibus idonei? Numquid & nos homines non sumus, & quæ scibilia in illis sunt, vel

non legimus, vel non intelligimus? Quid si vos potius ea verè ignoratis, quæ sapere plenissimè creditis? Quid si nos ostendamus, ea vos præpostera opinione decipi, & inaniter gloriari, qua putatis scire vos quæ nescitis? Hoc periculosius ignorantia genus, qua homines scientiæ vacui credunt se omnium sapientissimos: quippe, qui sic errant, sapientia se indigere non putant; neque, quam non habent, amplius quærunt, quia nil sibi deficere præsumunt.

Criticis studia hæc amoena & delectabilia summè placuerunt, nec sine causa placuerunt, cum sint utili jucunditate plena, & ad multarum rerum cognitionem pernecessaria. Placent quoque nobis ocia hæc erudita; eaque, si minùs anxie & superstitiosè, interdum colimus haud indiligenter. Ceterùm hoc satis magnum Criticos inter & nos discrimen intercedit; quòd scilicet illi tanti illa faciunt, tantumque sibi ex illorum peritia promittunt, ut existiment ope illius se posse, quæcumque Veteres errarunt, tutò emendare; confusa tempora benè distinguere; periodos, epochas & ætates sine errore designare, indicare exactè terrarum loca, quæ vetustate ipsa, vel nominum variatione evaserunt obscura; emaculare Historias; & si hæc pauca sint, deperdita cuncta, atque è suis sedibus mota instaurare, restituere, ac novo numero, pondere & mensura omnia reformare.

Alia prorsus opinio nostra est, quam

quam periculo nostro induimus, & certiore quotidie evadere novis exemplis comprobamus. Criticorum libros sedulo evolvimus, improbos eorum labores mirati sumus; quos tamen inutiles esse & fore deprehendimus, si suis illis conatibus hoc efficere adnixi sunt, ut amplius incerta non sint, quæ per tot sæcula incerta fuerunt. Astronomia Cyclorum revolutiones vario termino præfinitas, & ingeniosè dispositas & Criticis & nobis suppeditavit: Eclipsium Planetarum, & magnarum Conjunctionum mensuras & observationes exhibuit: Tabulas quoque in hoc genere exactissimas & laudatissimas confecit: Sed nemo hætenus adjumentis istis demonstrare certius potuit, quot anni à mundi creatione fluxerint? Qua anni statione mundus ipse inceperit? Quo to mundi vel Æræ vulgaris anno Verbum caro factum, vel in lucem ex utero Virginis editum? Quo infantie tempore adoratum à Magis? Quo anno, baptismo suscepto, aquas consecravit, & initium prædicandi fecerit? Quot item post inceptam prædicationem Judaica paschata celebravit, & in quam diem postremum incidit? An & ipsum Feria V. ritè celebrare potuerit, & re ipsa eo die consueto more cum Discipulis suis manducaverit, & sacramentalem sui Corporis coenam instituerit? Quò tandem vel Orbis vel Urbis anno, quibusvè Consulibus, Vita nostra Cruci affixa, & humani generis Redemptio peracta? Hæc &

alia valde plurima, quæ cum his necessario nexu religantur, & Veteres olim diligentissimè investigarunt, & modo Critici operosissimè perscrutari non desinunt. Isti, ut Veterum Traditiones explodant, & novas ipsi constituent, Coelum Terramque movent, Eclipses numerant, Cyclos & Epactas observant, Numismata effodiunt, Inscriptiones interpretantur, & vel ipsa marmora & lapides testimonium pro se dicere cogunt. Insuper & ab ipsis Veteres, atque cum his præclarissimi Ecclesie Patres deridentur, quòd, uti ajunt, hæc nescientes, ausi sunt intricatissimas hæc quæstiones expedire, quibus aptè enodandis & solvendis idoneus ac sufficiens esse non potest, cui nova hæc & copiosa bonarum artium lumina desunt. Adeò isti linguas suas magnificant! Sed in bene multis turpiter errant.

Et profectò pudendæ ineruditionis argumentum est, negare Veteres Astronomiæ studuisse, Astrorum deliquia observasse, motus Solis ac Lunæ dimensos fuisse, phasès hujus seu apparentias scrutatos esse, suosque habuisse Cyclos & Tabulas Astronomicas. Possunt quidem Critici vitiata hæc & imperfecta fuisse, minus fortè imperitè asserere; & nos ipsis ultrò credemus, quatenus id legitimè probent. Ast latere nequit vel mediocriter in hoc studii genere versatos, quid Ptolemæus, quid Hipparchus, quidque jussu Conciliorum Patres in hac parte Astronomiæ

mita laborando & investigando posteritati præstiterint. Si illi frustra desudarunt, & ad certam rei cognitionem non pervenerunt; velint nolint Critici fateri debent, neque ipsos, purgatissimis & castigatissimis calculationibus suis, usque in diem hanc certitudinem aliquam hausisse, sed scrutando in via defecisse: quin imò apparatu illo suo magnifico & splendido Tabularum, Cyclorum, Fastorum Consularium, Olympiadarum, Ludorum Imperialium, Numismatum, Inscriptionum, &c. tamquam gravissimo pondere oneratos, recto tramite incedere non valuisse, sed in extrema declinasse, nec raro in absurdarum opinionum præcipitia ruisse.

Patres Traditiones secuti, quas vel ab Apostolis, vel à Viris ætate proximis accepere, si non certissima, probabiliora, & quæ nunquam potuerint demonstrari falsa, nos in libris suis docuerunt. Neque hætenus Critici, qui circa Syderum circuitiones & umbras vix non insaniunt, potuerunt aliud præstare, Mathematicorum calculis, & Noviluniorum ac Pleniluniorum minutiis, scrupulosisque ratiociniis, quam sibi ac lectoribus suis negotium facere, quo & ipsi implicantur, & eos pariter implicarent, qui ipsos sequendos crederent. Hieronymus Vecchiectus usque ad insaniam Astronomiæ deditissimus, speravit hujus Artis subsidiis univèrsa hæc evidentissimè explanare: sed dum altiora se quæsit, vertiginoso agitatus spi-

ritu, in immania præceps ruit absurda, quæ Author impune non vulgavit. Lamy, quantumvis cordatior, non plene Vecchiecti pericula effugit; sed defusus calculis suis Astronomicis, loco demonstrationum Mathematicarum, sophismata nobis exhibuit, quæ nihil prorsus demonstrent, nisi insignem Authoris sui hallucinationem. Nemo non plus minusve erravit, qui Patrum Traditiones dereliquit, & rem componere aggressus est Astronomicis calculationibus, verè fallacibus. Harum usui quotquot fiducialius sese dederunt, longius à scopo aberrarunt. Instar prodigii habendum esset, quòd de anno primitivo, & de vero tempore salutiferi Ortus Solis Justitiæ ferè 150. circumferantur diversæ Scriptorum opiniones, nisi obvia esset causa, nimia scilicet hominum curiositas & præsumptio, quibus in fastidio sunt vetera licet probatissima. Hi, dum nova quærunt, quæ veteribus certiora videantur, huc illuc se quærando vertunt, & cum in aperto invenire non possunt, ad latebras confugiunt, ubi in latibulo suo positi, tamquam si Gigæum anulum subripissent, protinus incipiunt lucem conspicere in tenebris, & ea perfusi demonstrationes clarissimas concinnare, in quibus ne mica quidem veritatis iis elucet, qui in tenebris nihil vident.

Abeant igitur cum Tabulis suis Astronomi, nec sperent aliquam in nobis fidem invenire, nisi vel
pe-

penitus abjiciant, vel melius confirmant voluntarias suas hypothes; aut nisi prius in amicitiam & concordiam redigant tot discrepantes Astronomiæ Tabulas; vel clariori argumento Sole ipso meridiano nobis demonstrent, in qua ex illis fidelissimè mensurentur & describantur Solis & Lunæ motus, & Judaicarum Neome-niarum concursus. Hæc illos aliquando tandem præstituros minimè speramus; ac propterea prudentes eos dicimus, Viros harum Facultatum consultissimos, qui desperatione penitus superati, certum aliquid deprehendere, affirmarunt impossibile. Cujus veritatis Testes sunt locupletissimi, Baronius ad ann. Chr. 34. Petavius *De Doctr. Tempor.* lib. 12. Papebrochius in *Propylæo ad Acta SS. Maii*, tom. 4. p. 2. pag. 50. Keplerus in *Eclogis Chronologicis*, pag. 30. Pagius in *Appar. Chronologico*, Samuel Petit in *Eclog. Chron.* lib. 1. c. 11. & Honoratus à S. Maria lib. V. Dissert. 1.

Ex dictis planum est inferre, quid de Chronologia dicendum, quam à Criticis esse perfectam lego apud illos, qui imperfectissimam adhuc esse, & in posterum fore, vel profitentur, vel profiteri obligantur. In Chronologia antiqua Traditio, quam Ecclesia Romana in præcipuis Sacræ Historiæ rebus intemeratè custodit, tempora regebat, & minus erat per consequens errandi periculum. Novam, Traditione exclusam, Astronomicæ Calculationes

dirigunt, & multiplicem ac multiformem reddunt. In consignandis ceteris Epochis sive Sacris sive profanis, æqua utriusque fuit & est vel certitudo vel incertitudo. Ætatum mundi periodi in utraque sunt incertæ. Tempus antediluvianum (si fas est Latine ita loqui) nunc sicut olim, alii contrahunt, alii extendunt. Abrevocationem non certo tempore Critici affigunt. Vagantur quoque adhuc per incerta tempora Israëlitæ, sicut per deserta olim. Certus annorum numerus, quibus Ægyptiis illi servierunt, latent usque modo in Ægypti tenebris, nisi nuda Actorum verba ad certitudinem sufficiant. Judicium Hebraici populi Præfecturas & Anarchias tam incertas Neocritici relinquunt, quam Veteres reliquerunt. Nihil certi hætenus ab illis repertum est, quo Regum Judæ & Israël successiones melius illustrentur. Danielis Hebdomadæ involutæ permanent, & eò minus intelliguntur, quo magis disputantur. Quo tempore regnaverit Assuerus ille Esther maritus, non minus obscurum est hodie, quam antea fuit. Paucis verbis: qui creduntur Chronologiam scilicet ordinasse, Calvisius, Vossius, Usserius, Koëtenus, incertis conjecturis grandia implent volumina, & rebus annos accommodant, non planè certos, sed suæ ideæ adaptatos.

Si de profanis sermo sit, adhuc incertior Chronologia est. Critici Profanorum Scriptorum indefessi

Indagatores, Emendatores, Illustratores, Interpretes, non eosdem sequuntur duces, sed alii Herodotum, alii Xenophontem, alii Diodorum Siculum. Sunt etiam quibus unus Syncellus instar omnium est. Ex iisdem fontibus diversi quoque promanant rivuli, & varia temporum supputationes uno eodemque Herodoto confirmantur. At quis Eruditorum nesciat, fontes istos, cum puriores ipsi essent, Julium Africanum, Clementem Alexandrinum & Eusebium penè exhaustisse? Si isti vera non invenerunt, undè hoc Criticis, ut apud mendaces Scriptores vera ipsis occurrant? Vanæ utique sunt horum promissiones. Conjecturis perpetuò ludunt & illudunt, sed ultra non procedunt. Quippè nulla, re vera, Critices ope certitudo accessit rebus antea inexploratis. Implicatae persistunt res quatuor Monarchiarum, Babylonii nondum benè distinguuntur ab Assyris. Utrorumque Imperia & Reges æquè nunc incerta & ignota. Medorum Regnum & gesta parùm modo dilucida. De Persarum Regum numero, si profanis stemus, multa impedita invenimus. Græcorum res, nisi haberemus Libros Machabæorum, & Josephum, ambiguae essent & impervia. Adhuc Ægyptiaca involvuntur caligine illarum Gentium Dynastiæ, nec certiora, & eis explicandis utiliora Critici invenerunt, extra Josephum & Eusebium. Sibyllæ à Criticis vel non recipiuntur, vel

in diversis & incertis temporibus & locis collocantur. Quid vulgariùs Trojano bello & excidio? At tamen tam est apud Criticos incerta ejus ætas, quàm illa Homeri, qui res Trojanas dulcibus, sed mendacibus narravit carminibus. At cur reliqua persequemur, cum ex superioribus ad oculum appareat, incertas quamplures opiniones Chronologiæ Criticos addidisse, quibus vetus ejus incertitudo prodigosè subcreverit, quæque studiosis spem auferant omnem certi aliquid inveniendi? Si hoc sit, perfectissimam reddi Chronologiam, innumeras nempe esse supputandi rationes, mutent Critici rerum vocabula, & liberè opinari vel divinare pergant.

Jam Geographiæ antiquæ quantum perfectionis per Criticos & Grammaticos accesserit, paucis declarabimus. Eusebius *De Locis sacris* volumen integrum nobis reliquit, quem Hieronymus è Græco in Latinum vertit, & suis observationibus illustravit. Iis loca illa fuerunt proculdubio notiora. Nemo Hieronymo aptior ad describendas Palæstinæ regiones, qui totas ferè lustravit, nec solum oculis vidit, verum & acie mentis attentissimè recognovit. Vetustiora, quæ ab indigenarum traditione pendebant, nemo illo diligentius quæsivit, nemo sagacius dijudicare potuit. Hebrææ, Syriaca & Chaldaica fluviorum, Urbium, Oppidorum, &c. nomina, nulli minus peregrina & extranea. Nemini copiosius ex Scrip-

turis lumen ad detegendos, si qui prævaluissent, falsos populorum rumores. Quod si Hieronymus tot dotibus præditus Topographiam ad posteros transmisit in multis imperfectam, vitiosam & inabsolutam, quinam erunt post tot sæcula homines, qui tantum Doctorem errantem tutò corrigant, & in viam veritatis reducant? Refragantur quidem illi Critici frequenter, Lamy verò & Calmetus, vix non sicut Protestantes, frequentissimè. Sed hi Vulgatæ nostræ authenticæ creberrimè quoque refragantur, & conjecturis suis omnia metiuntur. Si hos credas præ Hieronymo linguarum Orientalium callentissimos, & rerum omnium originum scientissimos, nihil non ipsis permittes: at securum pariter nihil habebis.

De civili Geographia necessum non est fusius differere. Vetus Veteribus debetur, Straboni, Dionysio, Pomponio, &c. In horum scriptis interpretandis, illustrandis, corrigendis, restituendis vel corrupendis Critici diurnas & nocturnas insumpserunt horas. Quo tamen successu? Vide apud ipsos. Invenies eorum Libros divinationum plenos, conjecturis gravidos, hariolationibus onustos. Certitudinis nullum in illis vestigium, umbra nulla. Vix unus cum alio consentit in designandis Urbibus, Fluminibus, Montibus, Insulis, Oppidis, Promontoriis, Lacubus, Fontibus, Mari-
bus, quæ Veterum Geographo-

rum significantur nominibus? Cui libet vel apud Melam, vel apud Strabonem, Dionysiumve aut Ptolemæum multa occurrunt, quibus res patriæ vel gentis suæ antiquæ præclarissimè commendentur. Quæ indecora judicari possunt, ad Hyperboreos, & Scythas amandantur. Est citrà dubium longè amplior Geographia Modernorum: verum amplitudo & perfectio ista non debetur Criticis, sed Hispanorum, Gallorum, Lusitanorum, Anglorum, &c. navigationibus, qui vastissima Orbis spatia lustrarunt, & exactas novarum terrarum relationes ac delineationes confecerunt. Criticorum eximia laus esset veterem Geographiam instaurasse, & nobis fideliter exposuisse, quid ex antiquo mundo residuum sit; clavemque tradidisse, qua aperire possemus clausum Orbem Antiquorum. At hæc præstare nullis Critices Regulis hætenus potuisse, quisquis competentissimum habere velit, lectitet Caroli Stephani Dictionarium, & Ferrarii ac Braudandi Lexica Geographica.

De Historia operosior prolixiorque futura esset Tractatio, si quæ Critici jactant patienter audire in animo haberemus. Sed verba, verba sunt, & velut arboris folia, quæ levi aura exufflantur. Nos fructus quærimus, quos uberrimos hic promittunt Critici: sed qui mentis nostræ oculis omninò absconduntur, solisque Criticum instinctum habentibus re-
velantur: neque enim fructus isti,
fruc-

fructus sunt parvulorum, credulorum & simplicium; sed provectorum, cautorum & sagacium, multaque industria ac perspicacia pollentium. Talibus ergo ipsi pascantur, epulentur, delectentur, jucundentur: ea certe nobis fastidium generant, & nec suavia sunt, nec delectabilia, nec salutaria. Nova hæc sunt obsonia, quæ edentes non nutriunt, sed inflant. Nos priscas dapas, quibus assueti paterna cura sumus, in deliciis habemus; hisque sani & robusti in fide & pietate cum Dei adjutorio vivimus. Palam & absque tropis & figuris loquamur. Historiam Sacram Critici non perfecerunt, sed suspectissimam, ferèque incredibilem, quatenus in ipsis fuit, reddiderunt. An non eam subvertisse potius quam perfecisse dicendi sunt, qui auctoritatem ejus labefactant, qui mendacem in plebisque prædicant, qui falsa miracula, & narrationes nugacissimas, confictaque gesta, & inverisimilia mendacia continere dicunt? Si, quod isti volunt, Monachi universa fermè piis fabulis contaminarunt, & nec Sancti Patres ab erroribus in tradenda Historia immunes fuerunt, periit Ecclesiastica Historica fides; quippè tota quanta est vel infecta vel suspecta erit: & ne illis quidem sublatis, quæ judicio Criticorum illam inficiunt, perfecta esse poterit ac sana, pars illa defæcatisima, quæ jussu Criticorum remanebit tamquam authentica. Nam imprimis Critici contraria jubent,

& cum arbitri sedent, ut Sanctorum Acta, Martyrologia, Liturgias, Breviaria, & alia volumina res Ecclesiæ complectentia expurgent, non eadem omnes decernunt; sed alii ea ipsa expungunt, ut apocrypha, quæ alii recipiunt velut authentica. Iis suppositione sordent Abgari ad Jesum, & Jesu ad Abgarum Epistola; hæc ab illis magna in veneratione habentur. Sibyllarum Carmina alii putant Vaticinia, alii metrica mendacia. Trismegistus istorum opinione nusquam in mundo extitit, illis Vates fuit inter Ethnicos superna luce illustratus. De Dialogis, qui ejus nomine inscripti circumferuntur, non una est Criticorum sententia. Quidam utrumque excludunt; quidam verò saltem alterum probant. Apostoli Barnabæ & Ignatii Martyris Epistolis contraria Critici dederunt suffragia. Pauca sunt, in quibus conveniant. Indèque fit, ut sit prorsus impossibile, unum corpus Historiæ Ecclesiasticæ ad gustum Criticorum colligere. Nam si ab eo excludamus, quæ illi non probant, isti mutilum dicent, quod parte legitima careat; si autem recipiamus, primi conquirentur, quod vitioso membro pulchrum corpus deformavimus. Quod si præcidamus universa, quæ cujuslibet Critici judicio fuerunt improbata, præterquamquod vix ulla remanebit Ecclesiastica Historia, nec sic omnibus placere poterimus, quinimò displicebimus omnibus; nam singuli in re-

fiduo illo desiderabunt, quæcumque probaverunt, & fide digna crediderunt.

Studio Inscriptionum, Diplomatum & Numismatum ab anno circiter 1450. Viri plures curiosi incubuerunt. Cyriacus quidam Anconitanus, ut gratum Nicolao V. S. S. M. exhiberet obsequium, Inscriptiones veteres non paucas recognovit, & ut fertur, aliquas falsavit, vel ineptè legit. Cyriacum secuti sunt Jo: de Marcha nova, Andreas Mantegna, Jo: Jocond Dominicanus Veronensis, Petrus Sabin, Franciscus Philippus & Andreas Alciatus. Nulla præfactorum opera in lucem edita, sed ex eis posteriores plura delibaverunt, quæ cum suis ediderunt. Hos inter, post Andream Fulvium, cujus collectionem suo nomine vulgavit Jacobus Mazochi, Thomassinum, Panvinium, Scardonium, Amantium, Apianum & Smetium, caput extollunt Scaligerus, Vellerus & Gruterus, cujus Inscriptionum collectio, *vastum, æternum & incomparabile opus à Lipsiensibus, censoria, qua funguntur ex arbitrio suo potestate, declaratur.* (1. Apr. 1682.) Habet tamen nævos suos Editio ejus Amstelodami vulgata ann. 1707. parumque respondet Editioni primitivæ, licet hanc superet characterum elegantia ac nitore. Quæ in eo opere exhibentur XXIV. Scaligeri Tabulæ, maximè commendantur ab hujusce rei peritissimis. Gruterianæ Collectioni addidit supplementum Spon Medi-

cinæ Doctor, qui sub Titulo *Miscellan. erudita Antiquitatis* illud publici juris fecit Lugd. in fol. an. 1679. & 1683. *Syntagma Inscriptionum Romæ Veteris*, cujus Author fuit Thomas Reinesius, collectionem exhibet Gruteriana copiosiore, quæ posthuma prodit Lugduni an. 1682. In Glossario DuCange variæ Inscriptiones veteres dilucidantur; suntque etiam in Hispania nostra qui hoc studio delectentur, quamvis ab exteris vix in memoria habeantur. Seldenus & Fabrettus Inscriptiones & ipsi collegerunt, & Notis, quas Grammatici profuse laudant, illustrarunt. Omnes denique, qui Antiquitatibus student, Lapidem quærunt, qui, quod tacerent homines, loquantur. Illi autem veraciores sunt singulis, qui in propriis ruderibus inveniuntur. Alibi effossa & eruta saxa mentiuntur, vel quia conficta præsumuntur, vel quia non benè intellecta judicantur. Obviæ sunt Eruditis mutuæ super his accusationes, contentiones, querelæ, rixæ, libris quoque editis per Orbem disseminatæ. Nota sunt Hetruscarum antiquitatum fata: notiora Granatensium Laminarum diversa & opposita hominum judicia. Exploratissimum est, in his præcipuè, locum habere fraudes, & ambitiosa malè feriatorum hominum ingenia, qui similia data opera confingunt, vel ut propugnent sua, vel ut aliena refellant. Ii etiam qui Antiquarios se vendunt, fucum plerumque

faciunt, & ne unquam suam confiteantur inciciam, Inscriptionum, quas non intelligunt, interpretamenta mentiuntur. Suas quoque partes usurpare in his solet audax quorundam divinatio, quæ ex conjecturis supplentur, quæ temporum injuria deleta & attrita in Inscriptionibus inveniuntur.

In Diplomatica & Nummaria eminent Card. Norisius, Mabillonius, Patin Junior, Vaillantius, Hardouinus, Molinetus & Blanchinus. Hi, quibusdam Regulis à se præscriptis, quas tutas non omnes credidere, vetustissimos quosque literarum apices, characteres, breviaturas, cifras, symbola, imagines, allusiones legitimè interpretari se posse autumant, idque nobis persuadere tentant. Nec de tantorum Virorum sinceritate dubitamus. Eorum quoque vastam & exquisitam in rebus majoris momenti eruditionem reverenter suspicimus. Agnoscimus etiam & libentissimè fatemur, non illos oleum & operam perdidisse in hoc studiorum genere, quibus potest utique Respublica multipliciter juvari. Fuisse quoque ante Critices ætatem, & modò pariter esse in qualibet cultiori natione credimus, qui absque Regulis rei Diplomaticæ, sciverunt, & sciunt melius quàm alii, Scripturas antiquas legere, characterum ætatem distinguere, innovata & adulterata detegere, & inter signa & signa quovis sæculo usitata iudicium non planè contemnendum interponere. Longè nos absumus à

Germonii in re Diplomatica minime tolerando Pyrrhonismo. Nec propius accedimus incredulitati Hickès, Angli & hæretici hominis, qui in suo *Linguarum septentrionalium Thesaurus*, Oxonii edito, dum nullam Regulam admittit, qua discerni possit vera à falsa Scriptura, Diplomaticam ferè contemnit, & falsarios, qui Republicæ pestes sunt, impunes dimittit. Auream mediocritatem tenere in omnibus vehementissimè cupimus. Antiquitatum notitiam utilem non negamus. Antiquarios probos & peritos in pretio habemus. Numismatum & Monetarum antiquarum cognitionem ad nihilum prorsus valere ne quidem cogitavimus. Dicimus tamen, nec temerè, nos tanti non facere hujus generis eruditionem, ut Criticis credamus asserentibus, ope illius Chronologiam esse perfectam, insigniores Epochas suis veteris temporibus restitutas, & utramque Historiam ab enormissimis erroribus purgatam. Qui hæc affirmare non verentur, stirpibus, non hominibus libros habentibus, legentibus & intelligentibus scribere arbitrantur.

Celeberrimum est Norisianum Numisma, quo Blanchinus indubitanter credidit, non amplius indubium verti posse verum Æræ Christianæ initium. Sed tamen post ejus Numismatis inventionem & recognitionem, certi nihil habemus, & vel ipsi exactiores Critici in diversa divisi sunt placita, quæ singuli vel eodem vel alio

Numismate confirmant. Nullo hæc-
renis Numismate tutò designatum
Imperii Tiberii exordium, cujus
incertitudo illustriores Chronolo-
giæ Sacræ Epochas reddit pariter
incertas. Si ex Numismatibus Im-
peratorum aliquid deducitur, quod
veri speciem præferat, id absdu-
bio Patrum Traditioni favet, qui
mortem Christi consignarunt anno
XV. Imperii Tiberii Cæsaris. Por-
rò Traditio hæc, quæ tempore Ju-
lii Africani & Tertulliani recepta
jam erat, & ut talis ab utroque
antiquissimo Scriptore laudata &
admissa, necessariò involvit &
exigit duplicem Epocham ejusdem
Imperii, ita ut quintus decimus
Tiberii annus in Evang. Lucæ c. 3.
non computetur à morte Augusti,
sed ab eo tempore, quo hic illum
in Socium Imperii cum jure admi-
nistrationis, approbante Senatu,
assumpsit. (Vellejus lib. 2. Suetonius
in *Tiberio*, Tacitus *Annal.*
lib. 1.) Numismata apud Medio-
bar. Tiberii Imperium Proconsu-
lare non probant, benè verò osten-
dunt alios hunc honorem affecu-
tos, nempe Neronem, Titum,
Trajanum, &c. Ut propterea non
verè Spartianus scripserit, duos
numquam simul administrasse Im-
perium, ante Marcum Aurelium
& Lucium Verum. Unus inter Cri-
ticos Tillemontius duplicem Ti-
berii Epocham non inficiatur, sed
prioris exordium designat in an-
no XXIV. Imperii Augusti. Hono-
ratus verò, qui antiquam Ecclesiæ
Traditionem de anno mortis Chris-
ti strenuè tuetur, & cætera, quæ

extra Traditionem sunt, Systema-
ti suo de Christo in Crucem exalta-
to ætatis suæ anno XXX. accom-
modare pro virili nititur, biennio
ante Augusti obitum priorem Ti-
berii Epocham exorditur, & ini-
tium prædicationis SS. Præcurso-
ris alligat cum anno XV. prioris,
& cum XII. posterioris Epochæ
Tiberii. Et Tertullianus quidem
lib. 1. *contra Marc.* cap. 15. opi-
nioni huic ferè suffragatur, cum
Dominum baptizatum dicit anno
XII. Regni Tiberii. Ceterum fate-
ri candidè oportet, hæc omnia
planè esse incerta, neque unquam
Criticos uberiores ex Numismati-
bus lucem hausisse, qua vel Tra-
ditionem falsam esse demonstra-
rent, vel placita & opinamenta
sua certius aut saltim probabilius
stabilirent. Romana historia, etiam
post accuratissimum rei Numma-
riæ studium, multa laborat inconf-
tantia, & neque certò inventa ve-
ra fundatæ Urbis Epochæ, neque
plenè ordinatæ Romanorum Con-
sulum series, neque Judææ Præsi-
des certis temporibus distincti,
neque certa nota detectus Hero-
dianæ mortis annus, neque liqui-
dò explorata priorum Imperato-
rum tempora. Nam ætate Clemen-
tis Alexandrini, Augusto alii tri-
buebant Imperii annos 43. alii 46.
Tiberio alii 22. alii 26. Hæc au-
tem discrimina nondum fuerè Nu-
mismatum ope sublata, sed modò
permanent sicut prius, & incerta
relinquunt quæcumque ab illis de-
pendent. Addimus, designatas à
Criticeis pro re Nummaria Regu-
las,

las, ex particularium Numisma-
tum desumi observationibus, pro-
indèque vix propriè Regulas ap-
pellari, quibus ut plurimum secu-
re inniti ac regi possimus.

ARTICULUS XVII.

*Quòd in discernendis genuinis &
supposititiis veterum Scriptorum li-
bris, & eorum interpolationibus,
depravationibus & corruptionibus,
multipliciter Critici erraverint, post-
posita Traditione Regulis sive
Conjecturis suis.*

ERasmi, hæreticorum prodro-
mi, nimia fuit in hac parte
audacia, & intolerabilis omninò
temeritas. Ejus exemplo Prote-
stantes judiciariam potestatem sibi
sumpserunt, non qua, ut Aristar-
chus olim, de Homeri Carminibus
decernerent, sed qua definitivam
& inappellabilem sententiam pro-
nunciarent de Divinis Libris, eos-
que è Canone Ecclesiæ tamquam
spurios & apocryphos expunge-
rent, qui novæ reformationi aper-
tius repugnarent. Ex eo tempore
vix cum veritate dici potest, Scrip-
turas Sanctas Protestantes recipe-
re; nam quas recipere & in hono-
re habere videntur, perversè in-
terpretantur, & ita corrumpunt,
ut suæ potius quam Dei Scripturæ
sint. Prodiit iniquitas hæc ex pri-
vato instinctu, quem truculentio-

rem haud immeritò dixeris gladio
Mahumetis. Sed amarus & lethä-
lis fructus hujusmodi, hæretico-
rum Critices fructus est, impiæ,
liberrimæ, & omni lege exolutæ.
Hic nobis agendum cum Criticis
veram fidem pietatemque profi-
tentibus; quos oporteret tamen
nihil cum illis habere communio-
nis, & eas Regulas penitus repu-
diare, quibus illi in semitas decli-
narunt, quas Patres nostri nescie-
runt.

Ex stylo Authorem quodammo-
do agnosci posse, Criticis non pro-
süs negamus. Hoc verum pleris-
que visum est non de trivio Sa-
pientibus, sed cordatissimis & in-
genio & eruditione præstantissi-
mis. Veteres Grammatici in hoc
genere cognitionis excelluisse visi
sunt, quòd tribuerint cunctis fer-
mè Oratoribus notas quasdam
characteristicas, in quibus styli
diversitas consistit: atque Isocra-
tem, suavem dixerint; Lysiam,
subtilem; Hyperium, acutum;
gravem, Africanum; Lucium, sim-
plicem & antiquum; Diophanem,
volubilem & canorum; ut reliquos
prætermittam, de quibus videri
potest Tullius *De Oratore*, lib. 3.
& in *Bruto*, necnon Quintilianus
lib. 10. cap. 1. Valerius Martialis
tam clare ex stylo cognoscibilia
carmina sua putavit, ut lib. 12.
epigr. 3. dixerit:

*Quid Titulum poscis? Versus duo tresvè legantur,
Clamabunt omnes te, Liber, esse meum.*

Favorinus apud Gellium lib. 3. cap. 3. ex stylo ambiguas Plauti Comoedias rectè dijudicavit, idemque Varro incunctanter præstitit. Non tamen Historicus refert, si dubitantes Varronis & Favorini iudicio acquieverunt. Neque Patres videntur neglexisse argumentum à stylo desumptum. Nazianzenus enim *Epist. 208. ad Nicobulum*: *Quemadmodum, inquit, cum ingenuo partu, ita cum Oratione pater una semper apparet: non minus, quam ii, qui procreantur, corporeis notis ut plurimum innotescunt.* Hieronymus librum *De Fato* vel *contra Mathematicos*, qui Minutii Boeticis nomine inscriptus erat, eidem abjudicavit, quod, quamvis disertum, alium tamen stylum, quam in ejus *Dialogis* observatur, præferre videretur. (*De Scripp. Eccles. cap. 68.*) Idem ex styli similitudine intellexit, Rufinum fuisse Authorem Præfatiunculæ Libris *Periarchon* præmissæ. (*Epist. 66. ad Rufin.*) Idem hæretico neganti, & sub juramento neganti, sua esse duo Capitula Orationis & Laudis, ex stylo contradicit, *cum perspicue*, inquit, *in eis styli tui splendor eluceat*, Augustinus in Cypriani stylo faciem agnovit, ex qua possit suorum Operum Author clarè distingui. (*Epist. 48.*) Cassiodoro adeo fuit notus Hilarii sermo, ut *Commentaria lib. Job*, quæ anonyma sua ætate legébantur, ex qualitate dictionis eidem asseruerit. Hinc vulgò receptum est, ut liber Authoris imago, facies & speculum esse dicatur; neque hoc

absque ratione dicitur, sicut non sine illa affirmatur, ex abundantia cordis os loqui, & Virum ex sermone deprehendi.

Est etiam Ars quædam combinationum, satis me hercle operosa & prolixa, qua probabiliter, & fortassè aliquando certò moraliter possit judicari de genuino vel suppositio alicujus Scriptoris Opere, sola inspecta styli similitudine vel deformitate. Ceterum, qui Arte hujusmodi uti voluerit, debet optimè nota habere virtutes seu vitia illi Authori familiaria, cui adscribendum vel abjudicandum sit opus controversum aut dubium. Hinc enim difficile non fuit Hieronymo Rufini & Pelagii scripta ex sermone agnoscere, cujus proprietates, ex sedula lectione & meditatione, fuerunt notissima. Neque arduum Augustino & Cassiodoro fuit, ex stylo, tamquam ex facie Cypriani & Hilarii dignoscere libros, quos jugi studio lectitabant & contemplabantur. Præterea, in quibusdam magnis Authoribus, quorum stylus est sublimissimus, & præclara Orationis lumina, res expeditior est, quippè qui ejusmodi sunt, semper sibi constant, eodemque tenore assurgunt, & purissimos verborum & sententiarum splendores spargunt. Hæc lumine suo se produnt, neque facile est invenire alios, qui talia imitentur.

Infinite propè sunt virtutes stylum diversificantes, & verè innumera Orationis vitia opus ab opere distinguunt. Ad virtutum classem

seu pertinent suavitas, subtilitas, acumen, vis, gravitas, lenitas, puritas, vehementia, copia, candor, proprietas, jucunditas, sublimitas, & sexcenta alia, quæ modo cum his, modo cum aliis virtutibus copulantur, & multifariam diversificant stylum. Rursus, Orationis virtutes desumi possunt ex materia Authore non indigna; ex inventione seu materiæ consideratione; ex consilio sive recta ordinatione; ex affectuum qualitate & prudenti moderatione; ex vocum & phrasium delectu; ex epithetorum usu; ex particularum usurpatione; ex ornatu figurarum, Troporum, Similitudinum, Exemplorum, Proverbiorum, Adagiorum & similium; ex opportuna adhibitione sententiarum, & acutè dictorum; ex copia selectæ eruditionis; ex natura Formularum, quibus materia connectitur, proponitur, dividitur, suspenditur, resumitur, copulatur; ex Formulis laudationum, suasionum, reprehensionum, vituperationum & comminationum; ex ordine, junctura & concinnitate partium materiæ, vocum, phrasium, &c. ex numerosa mensura dictionum, clausularum, periodorum; ex Harmonia & symmetria tam præcipuarum, quam omnium partium materiæ & Orationis inter se; ex facilitate naturali in singulis his præstandis elucente; ex Authoritativo modo loquendi, serio scilicet, & velut ex imperio & oraculo rationis; ex Dignitate locutionis, qua

verba proferuntur convenientia statui loquentis. Porro virtutes ex his veluti fontibus promanantes varia itidem combinatione incredibiliter multiplicantur, quippe aliter & aliter expressæ in Descriptionibus inveniuntur.

Sicut autem ex indicatis fontibus possunt multiplices Orationis virtutes effluere, possunt etiam contraria vitia scaturire, nam, uti benè, potest similiter malè Scriptor se gerere in Inventione, in ordinatione, in affectibus, in distributione, in phrasibus, &c. proindeque peccare multipliciter, atque in infinita propè Orationis vitia labi. Vitiosa enim Oratio est quæ aspera, dura & inurbana; quæ obscura; quæ inconcinna, inculta & horrida; quæ nimis lenta & frigida; quæ exilis & repens; quæ inflata, spumea & fastosa; quæ arrogans & superba; quæ stomachosa; quæ sicca & vana; quæ squalida, elumbis & iners; quæ nuda, vel nimio luxu ornata: ut cetera omittamus, quæ per excessum aut defectum virtutibus Orationis opponuntur. Hæc fusius exponere, Oratorum est, de quibus nuper artificiosè disseruit Amortius *De Principiis Artis Criticæ explicatis & demonstratis*, P. VIII. cap. IV. Nobis dumtaxat observare sufficiat, cum tot sint styli elementa, quot impossibile est aut mente complecti, aut sermone explicari, mortalium neminem posse plures Descriptionum differentias plenè noscere, multosque Scriptores ex stylo, velut

ex

ex eorum facie, probè notos habere, atque de ipsorum Operibus tutò dijudicare.

Cùm vides ap. Tullium & Quintilianum Oratorum Imagines rhetoricis coloribus depictas, cave ne credas, tales re ipsa fuisse Oratores, quales pinguntur. Confinuntur enim, & Artis Oratoriæ Regulis adaptantur, ut non quales fuerint, sed quales convenienter fuissent, sciremus. Intentio illorum erat Eloquentiæ mirabilem fecunditatem ostendere, utque id aptius præstarent, Pictorum more, varias Orationis formas, omnes quidem pulchras, sed in multis ad invicem diversas, inter Oratores fama celebres distribuerunt, ut videntes miraremur pulcherrimam Artis, Naturæ emulatricis, varietatem, & dextrissimam Artificum ad eam exprimendam aptitudinem. Nisi hæc ita se haberent, non tot dissimiles essent facies Homeri & Hesiodi; Demosthenis & Tullii; Pindari & Stesichori; Thucydidis & Herodoti, apud diversos istorum Laudatores. Cicero M. Callidium ita describit, ut perfectæ Orationis potiùs præcepta tradat, & ideam exprimat Oratoris excellentissimi, quàm hominem, qui talis fuerit, describat. Licet daremus, Ciceronem per totum vitæ cursum cum Callidio versatum, & ejus in dicendo virtutes ritè considerasse & expendisse, adhuc dubitari posset, an in omnes & singulas mentis acie penetrasset.

Amortius proximè laudatus

cap. VI. pro dignoscendis ex stylo Authoribus hanc Regulam statuit: *Consensus ferè universalis virorum doctorum, indifferentium, in Scriptorum controversorum genere exercitatorum, & Authores controversos attentè legentium, est argumentum moraliter certum pro identitate aut diversitate styli, de quo judicant.* Veritatem Regulæ probat Author, quia, & si pauciores non sint animorum sive ingeniorum quàm corporum formæ, quemadmodum corporum differentiæ sensu distinguuntur, ita & ingeniorum discrimina possunt mente distingui. Rursus, quia possibile non est, ut ex ferè infinitis, quæ possibles sunt, styli differentiæ, nulla eluceat in cujuslibet Authoris opere, qua distinguatur à ceterorum scriptis. Plura alia subnectit, quibus sibi & lectoribus negotium facit.

Nos præfatæ Regulæ hanc analysin facimus. 1. Quod idonei judices ferè consentiant, ita ut unus, duo, vel tres solum pluribus refragentur. 2. Quod pro idoneis non recipiantur, qui interesse habere noscuntur in vindicatione vel abdicatione libri controversi. 3. Quod neque ad ferendum iudicium admittantur, qui assueti non fuerunt, diùque exercitati in observandis styli differentiis. 4. Quod neque prædictis dotibus præditi idonei reputentur in casu, & ad effectum, de quo agitur, nisi indubitata Authorum opera, quorum causa discutitur, longo usu & assidua contemplatione versa-

verint, & meditati fuerint. 5. Quod similitudo vel dissimilitudo styli, ex qua ferendum est iudicium, tanta sit, quæ sensibiliber appareat, nec referri debeat, vel ad quorundam hominum gustum, saporem aut instinctum, à moderna Critice illis instillatum; vel ad quemdam ineffabilem Orationis colorem, quem cognoscere possumus, & explicare nescimus. Meminit hujus coloris Cicero, sed quo urbanitas styli coloretur. Nec docet, an & reliquæ Orationis virtutes sint coloratæ, aut colorata quoque vitia, & in singulis Scriptoribus colore diverso colorata. An repugnet necne, ut in omnibus ejusdem Scriptoris Operibus non unus & idem sit color, sed multiplex ac varius? An neque ullus vel casu vel de industria possit alterius colore sua inficere, & ita perfectè alienum stylum imitari, ut nulla prorsus appareat differentia sensibilis?

Quod ad nos attinet, debilia planè sunt ac fallacia, quæ ab analogiis petuntur argumenta. Si vultus in diversa passionum agitatione mutantur, cur styli facies, quæ opus artis est, fingentis voluntate non mutantur? Colores corporum, qui cæci non sunt, vident & discernunt; sed qui dicitur Orationis color, quamvis in se unus & idem sit, videntibus & considerantibus multiplex apparet, & vel perspicacissimos seducit. Ex duabus Canonicis Petri Epistolis, quæ secunda est, quantum à prima stylo differat, nemo

qui intelligit, non clarè videt. Origenes & Hieronymus styli in utraque dissonantiam evidenter agnoverunt: fuerunt etiam qui moti dictionis diversitate secundam Apostolo abjudicarunt? Ast, cur non priorem, propter rationis identitatem, cum non magis distet secunda à prima, quam prima à secunda? Utraque tamen eundem Petrum habet Authorem, qui potuit dissimili dictione scribere. In Epistola ad Hebraeos adhuc insignior est ac manifestior styli dissimilitudo, si hæc cum ceteris Paulinis comparetur. Multis hæc tanta differentia imposuit. Nilominus Paulina certò est; fallaxque proinde argumentum, quod vel ex insigni ac manifesta styli diversitate elicitur, & confidentissimè à Criticis usurpatur. Dionysium Alexandrinum nullus citrà injuriam ineptum fuisse dicit ad judicandum de stylo Scriptorum: immò injuriosus esset, qui inter aptissimos non computaret. Sed tamen tantus hic Censor, Regularum antiquæ Critices apprime doctus, ex Apocalypsi stylo verum illius Authorem noscere non valuit, nec potuit non ambigere, an qui Evangelium conscripsit Joannes, ipse Apocalypseos Librum scripsisset? (Euseb. Hist. Eccl. lib. 7. cap. 25.)

Valesius, qui Dionysium, Criticum fuisse non negavit, hoc præcipuum Criticis, ex Clerici opinione, munus attribuit, ut nempe sciant de Scriptis Veterum judicare, & quod verum ac germanum, quod

quod spurium ac subditium Opus sit distinguere. (in Notis ad Euseb. pag. 154.) Cur autem *proprium Critici* esse dicatur de Veterum, non de Recentiorum Scriptis judicare? Hæc ratio nobis occurrit. Critici, cum libertatem in opinando præcipuè ament, ne Veterum autoritate, quam contemnere periculosum esset, nimis coarctentur, Artem invenerunt, qua, cum expediret, Scripta Veteribus abjudicarent, & ignotis vel recentioris ævi Scriptoribus, quorum testimonia facile contemnerent, adscriberent. Fortè & ego sic conjectando fallor: sed factum adeò notorium neutiquàm mentitur. De hæreticis loquor, quibus ea Veterum Opera sunt subdititia, vel saltem interpolata, quæ placentia verba non loquuntur. Non tantum Nostri audent, sed tamen audent, & sibi arrogant haud satis circumscriptam de his judicandi licentiam. Areopagitæ opera, quæ religioni reformatæ minimè congruunt, Laurentius Valla post multa sæcula primus rejecit: Vallam secuti sunt Erasmus, Lutherus, Centuriatores, Scultetus, Rivetus, & Protestantes passim. Parisiensis Academia Lutheri audaciam hac quoque in parte censura compescuit. Sed novitas Critice armata displicere non potuit Catholicis, Morino, Launoyo, Dupino & aliis recentioris Critices amatoribus, & plus in Conjecturis suis quàm in Traditione confidentibus. Hi, cum Dionysii scriptum nullum recipiant, non habent

undè ex stylo argumentum sumant ad ea Dionysio abjudicanda: sicut neque locum habere potest argumentum hujusmodi, quoties controversia est de Scriptoribus, cujus extat unicum opus, de cujus vero Authore dubitatur. Ubi quæstio est de Scriptoribus multis & indubitatis scriptis insignibus, ut de Justino, de Augustino, de Athanasio, de Chrysostomo, &c. Certarum Opera instar lydii lapidis possunt esse Criticis, ut ex colore dubia dignoscant. At experientia magistra didicimus, non benè illos judicare de coloribus; ceu quia colores isti variè reflectunt, & diversas apparentias recipiunt; ceu quia Criticorum intellectuales oculi diversimodè affecti sunt, variisque præjudiciorum coloribus infecti. Undecumque autem fallacia oriatur, frequentissimè hæc in illis invenitur. Launoyus Cypriani Epistolam *ad Steph.* quam genuinam omnes agnoscunt, spuriam declarat, quòd sibi non gratam doctrinam contineat. Hæc *Epistola*, quæ in Edit. PP. Benedict. S. Mauri est 67. & in Oxoniensi 68. tamquam antiquum & irrefragabile Jurisdictionis Episcopi Romani argumentum à Controversistis passim laudatur, & post Launoyum, ut genuina recipitur à Coustant in *Epistol. Rom. Pontif. P. 1. col. 211.* & aliis videndis, apud Jo: Fellum in sua Oxon. Oper. S. Cypriani Editione. Eandem legitimam agnoscit Tillemontius in *Memor. pro Histor. Eccles. Tom. 4. Not. 1. in S. Dionys. Omnes Cypriani sty-*

li faciem in ipsa clarè vident. Nec Launoyus, qui supposititiam asserit, negat, Cypriani stylo, scripturam videri. Sed, cum adverteretur Epochæ de non recepta in Gallis fide ante tempora Decii Imperatoris, quam obstinatè propugnat, expediebat illam Epistolam ad apocrypha amandare, potiusque admittere, potuisse impostorem aliquem Cypriani styllum tam benè imitari, ut posteris facillè imposuerit. Unus Launoyus à deceptione immunis. Du-Pinus in *Justini Exhortatione ad Gentes* non nisi parum dissimilitudinis à stylo aliorum ejusdem Operum deprehendit: eam esse insignem, judicant alii. Cui manifesta non est styli diversitas, quæ in *Vita S. Antonii* ad sensum elucet? Eam tamen Athanasius dubiò procùl elucubrat, dissimillima à cæteris suis præclarissimis scriptis oratione. Plutarchi nomine circumfertur liber, cujus tam anceps & ambigua est cum cæteris ipsius lucubrationibus styli uniformitas vel deformitas, ut alter ex styli uniformitate Plutarchi esse non dubitet; alter deformitatem tantam in illo detegat, quantum possibile non sit invenire in germano scripto celeberrimi hujus Philosophi. (*Bibliogr. Tom. III. in art. Plutarchus.*)

Nisi Traditiones retineamus de Scriptis Veterum, nutabunt omnia inter varia hominum judicia, qui conjecturis suis subjiciunt universa. Vulgatissima sunt Valesii, Tillemontii, Du-Pini & Alexandri dissidia super *Justini & Cypriani*,

cujus stylus, August. teste (*Epist. 48. ad Vinc.*) *habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci, Operibus.* Erasmus in *Homiliis sup. Act. Apost.* quæ Chrysoctomi nomine prænotantur, nihil penitus invenit tanto Doctore dignum: sed si Abbatem de Billy audiamus, nihil egregiis illis Homiliis aut dignius Chrysoctomo, aut conformius stylo ejus, & aureæ eloquentiæ, quæ in genuinis ingenii ipsius foetibus magnificentissimè splendet. Tertulliani sermo adeò singularis est, ut ab alio imitari, vix possibile sit. Notissima est, si quæ alia, styli ipsius facies: attamen in libro *De Pœnitentia*, Erasmus non invenit Tertulliani faciem, quam in eodem ad vivum repræsentari, Rigaultius in *Oper. Septimii exercitatissimus*, pro viribus contendit.

Amortii sententia est, quam uti Regulam proponit, moraliter certum esse, duo Opuscula, quæ conveniunt in plusquam 128. elementis styllum diversificantibus, & vix differunt in viginti talibus elementis, habere eundem Authorem. Probationes desumit ex Legibus combinationum, quæ vel non difficulter malè institui possunt, vel non rarò fallunt. Nullus, opinor, qui de Libris hætenus judicavit, elementa ista in numerum redegit. Si verò aliquis Amortii Regulis instructus velit periculum facere, & præscriptam Regulam ad praxin deducere, facillè in numerando deficiet, & plura deprehendisse credet elementa utrique Opusculo

communia, quæ aliis videantur, & fortè re ipsa sint unius propria, & alteri nullò modo convenientia. Vel undè Amortius Arte sua demonstrabit, non esse moraliter possibile, ut quis alterius scripti elementa vel omnia vel ferè omnia ita imitetur, ut in minus quàm viginti elementis differat ab illo? De facto hoc non semel contigisse videri potest apud Boil, Tomo I. pag. 276. Edit. Amstel. ann. 1702. Qui supposita sibi Opera, inspecta styli ratione, non potuit à suis dissimilia credere, hoc fuit, vel quia supposita à suis differabant in minus quàm viginti elementis, vel quia hæc differentia, & alia major ipsa, dignosci ab illo non potuit. Est igitur moraliter possibile, ut tota illa duorum Opusculorum convenientia nos fallat, & ut alterutrum ab altera manu procedat.

Alia sunt argumentorum loca, è quibus Critici conjecturas desumunt, quibus Veterum Scriptis infidiantur. Supponunt, non decere, Scriptoribus septem priorum Ecclesiæ sæculorum ea Opera adscribere, quæ vel temporum illorum elegantia & Latini sermonis nitore carent, vel peregrinis & barbaris vocibus sordent. Hoc falsi honoris prætextu plura Acatholici Opuscula Patribus abjudicant, quæ germana semper Traditio agnovit. Sed affectata est istorum ignorantia, & dolo malo conficta. Neque enim verè ignorant, legitima, & numquàm controversa Latinorum Veterum scrip-

ta, Tertulliani, Irenæi, Lactantii, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii M. & Isidori, barbarismos & peregrina vocabula continere, quæ non rarò ipsismet Critici exaggerant, & illis exprobrant. In Tertulliani lib. *contra Valentin.* vocum monstra occurrunt, quæ Grammatici ne tangere quidem audent, ne contaminentur. *Jesuaciana, Inlesibilis, Inapprehensibilis, Insubdivum, &c.* Lactantius, Scriptor alioquin politissimus, non ubique flores spargit, sed interdum tribulos tractat, *Resanescent, Illicibiles, &c.* Irenæi Latina Opera barbarismis adeo sunt refertissima, ut integros manipulos colligere facile esset, nisi cuperemus expeditius ad finem nostri laboris properare. Obvia in illis sunt, *Hæredificantis, Præconabant, Recirculationem, &c.* Disertissimus profectò quamvis fuerit Hilarius, non renuat tamen ipsius lingua eructare verba, quæ aures Grammaticorum acutissimo dolore pungant. *Ininitiabili, Innasibilitis, Indemutabili, Magniloquentia, &c.* Ambrosius Romæ excultus Ciceronianis gratus esse non potest, cum lib. 2. *De Cain & Abel* dixit: *Juvenulescat adolescentia: Celebrabilis ore omnium: incanam Ecclesie Curiam:* & lib. *De Abraham:* *Coquum eligit, aut Focalem: Viantes incognitam carpentes viam:* & lib. *De Isaac & Jacob:* *ablevare arumnam, & ablevare se vitiis hujus sæculi, &c.* In cæteris Ambrosii Opusculis occurrunt, *Veniabilis, decolores mores, Indesponsata,*

ad altiora se subrigunt, orata suscipere, &c. In Hieronymo, qui Tullii majestatem & nitorem Orationis quondam æmulatus est, non sine offensione Syntaxeos Magistri legent, *Impudorata, Dissertitudinem, Frondositas, Gracitatis.* Augustinus, non tam studiosus, quam capax cultioris sermonis fuit. Non solum selecta & probata à Latinis vocabula sæpius neglexit, verum & inusitata & barbara, ut melius intelligeretur, de industria non raro usurpavit. Undè in *Ps. 51. Angariat* dixit: in *Ps. 56. Expalmatum manibus*: in *Ps. 57. Pugillor, pro pugno*: & *Circumsilent*: in *Ps. 68. Frontosus & Stomachatio*: in *Ps. 113. Jordanem infranato lapsu stetitisse*: in *Ps. 117. Confrequentationibus*: in *Ps. 124. Paragorizamur*: in *Ps. 138. Offum*: in *Ps. 146. Prævicordius, Tordicordius*: in *Serm. 116. Cordissimum, &c.*

Romæ Gregorius M. scripsit, cum jam Latinus sermo magna ex parte Augustæam amiserat elegantiam. Quare mirum esse non debet, plura illum vocabula adoptasse, quæ cultissimi Grammatici usurpare erubescerent. *Pensare*, verbum illi familiarissimum: *defrenatur, deplicatur, densescit, vacuefactus, desperabiliter, deebriare, frequens, viridescit, tortitudine, incapabilia, hymnizare, &c.* Isidori denique stylus Gregorii ætatem redolet, suntque non pauca verba utrique Doctori communia: *Imitamenta, solidamenta, implicamenta, gestamine, fundamine, necessanter, caliginatam, persultat, inattin-*

gilem, &c. Nulla ergo est conjectura, quam ex hoc loco Critici petunt: non tamen contemnenda erit, si ex barbarismis desumatur turmatim in aliquod Opusculum irruentibus: pauci enim esse solent hujusmodi descriptionum veterum nævi, rariùsque in pulchro sermone apparent. Quare si scriptum aliquod similibus multitudine ac frequentia maculetur, non levis inde deterioris manus suspicio exoritur. Cavendum tamen est à quorundam Grammaticorum superstitiosa de vocabulis Crisi. Sunt enim hujus Artis professores scrupulosissimi, quibus nulla fermè vox probatur, satisque Latina videtur, nisi quæ Ciceronis usu authorata invenitur. Horrent hi ad sonum vocabuli, quod Tullius dignatus non est proferre sive scribere: ideoque ad barbara, vel saltem suspecta amandant *Dubietas, Ducalis, Dociliter, Indociliter, Elucescere, Evendere, Evulsi, Exardere, Gratiôsè, Gratiôsus, Hereditare, Hortulanus, Humiliare, &* infinita propè hujus generis, de quibus multiplices legi possunt Grammaticorum opiniones in *Lexico antibarbaro* Jo: Friderici Noltenii, Edit. Ven. ann. 1743. Perperam igitur Traditio de vero alicujus scripti Authore desereretur, propter istiusmodi verba hinc inde sparsa, nisi tanta esset eorum copia, quanta nec in illius, nec in alterius ejusdem ætatis operibus reperiatur, uti re ipsa reperitur in Opusculo *De Vita & Morte Sanctorum novi Testamenti*, malè ad-

adscripto Egregio nostro Doctore Isidoro, quod à stylo indubitati ejusdem Libelli *De Obitu & Vita Patrum veteris Testamenti* ita abhorret, ut apertè præferat ruditatem, imperitiam & barbariem Scriptorum noni sæculi, vel cadentis octavi. Per id enim tempus multa conficta, & supposita antiquioribus præclari nominis Authoribus emeruisse Opera, sententia est plurimorum, quam nos haud improbabilem judicamus. Quinimò cum Pagio & Cennio vehementer ambigimus, an non ex ejusdem ætatis impostore prodierit Bracarense illud Concilium, anno 411. uti fertur celebratum, ex quo desumpta est Lusitanorum de Petro Ratistensi historia vel fabula. Neque enim alterutrum decretorio judicio affirmare audeamus: plurimum tamen de Traditionis veritate dubitamus, si in præfato Concilio Origo illius designetur, neque suppetant melioris notæ documenta, quibus fulciatur. Illustrissimus de Marca in *Epist. ad Hadr. Vales. n. 6.* meminit Codicis San-Germanensis ante annos circiter octingentos scripti, in quo præindicatum *De Vita & Morte Sanctorum*, &c. Opusculum continetur, & Isidoro Hispalensi tribuitur. Verùm, cum talis Codex impostore vetustior esse minime dicatur, conceptam suspicionem eximere non videtur. In eo Codice non solum legitur Jacobi in Hispaniis prædicatio, cui antiquissima & gravissima suffragatur Traditio; verùm etiam Evangelii

per Philippum in Galliis & Anglia promulgatio, quæ nullo Veterum confirmatur testimonio, nullavè Traditione innititur. Et nos quidem Hispani, ut Jacobi apud Gentem nostram Apostolatam tueamur, Opusculo illo suppositio, vel Concilio Bracaræ subditio non indigemus; nam absque istis perstat inconcussa tantæ Nationis Traditio, perenni fama, & gloriosis de Cælo signis confirmata & constabilita. Hæc, cum abundè sufficere debeant, ne alioquin, quæ Traditione nituntur, ferè universa corruant; nullo Hispanicæ gloriæ dispendio à nobis abjiciuntur, aut certè non usurpantur, quæcumque apud prudentes, & unius veritatis amatores, suspecta aut dubia merito sunt. Nec possumus hic silentio premere, Cardinalem de Quiñones, amplissimæ doctrinæ Virum, & ipsum Hispanum, malè consuluisse veritati constantissimæ Traditionis, cum, hac neglecta, quæ cujuscumque Scriptoris authoritati jure præfertur, rem totam in Isidorum unum coniecit, dicens in Breviario à se recognito: *S. Jacobum Hispaniam adisse, & ibi Evangelium prædicasse, Author est Isidorus.* At ubi hæc Isidorus loquitur, nisi liber, qui ejus non est, ut ea dixerit, ipsi abscribatur?

Jam verò, si nos spuria quæque, & speciem habentia falsitatis & suppositionis, licet faventia, respicimus: quantò magis execrabitur Alexandri & Tillemontii assum, qui, ut nostram rem suam facerent, & neque vivum neque

mortuum Hispanis Jacobum permitterent, Translationem nescio quam confinxerit, qua Tolosa in Hispanias Reliquiarum Apostoli portio advecta fuerit? Debemus ergo Gallis quidquid pretiosi habemus in sepulchro Jacobi. Deceptæque sunt ex omni Natione fidelium turmæ, & ipsi Galliarum populi, qui in Hispania venerantur, quod Tolosæ, hoc est, in florentissima Regni sui Urbe habent. Delusa quoque est Apostolica Sedes, quæ Compostellanam peregrinationem summis gratiis ac privilegiis commendavit, quibus Tolosana perfrui potiori jure debuisset. Denique Theodorus, Iriensis Episcopus, cui cælesti indicio patefactus dicitur, qui per tot sæcula ignotus fuerat, sacer Thesaurus, miserrimè illusus Alfonso Regem, ac totum pariter Regnum fefellit, dementavit, & in errorem, quem totius Orbis fides pietasque complecterentur, induxit. Rem innumeris testatam miraculis una Criticorum audacia, levissima conjectura evertere cogitasset.

ARTICULUS XVIII.

Examinantur cetera suppositionis indicia, signa & argumenta Criticis familiaria.

Authorum diversitatem ulterius probare solent Critici. 1. Ex diversitate sententiarum. 2. Ex diversa explicatione ejusdem Textus Sacræ Scripturæ. 3. Ex diversa

ejusdem Textus lectione. 4. Ex aperta Scriptorum contradictione. 5. Ex quibusdam propositionibus genio, pietati ac moderationi Authoris minùs convenientibus. 6. Ex propositi aut methodi diversitate. 7. Ex anachronismis sive inaccurata temporum supputatione. 8. Ex lapsibus Scriptore erudito indignis. 9. Ex imperitia in citando aliorum testimonia. 10. Ex usu apocrypharum. 11. Ex mentione dogmatum ætati Authorum non congruentium. 12. Ex citatione Scriptoris, cujus nomen opus præferebat.

Nos signa hæc, indicia sive argumenta fallacia esse, nec rarò decipere contendimus: nam singula & omnia recensita Scriptionum vitia possunt inveniri, & de facto inveniuntur in ejusdem Authoris etiam gravissimi & eruditissimi Operibus: imò eadem ipsa sæpius deprehenduntur in accuratissimis nostrorum Criticorum lucubrationibus. Nisi Critici (quod nunquam præstare poterunt) idoneis ostendant argumentis, Classics ac bonæ notæ Scriptores obnoxios non esse præfatis defectibus; nequeunt ex iis legitimè deducere Authorum diversitatem. Et cur, rogo, Critici timeant Veteribus hæc vitia tribuere, quos in rebus maximi momenti deceptos, ineruditos, inaccuratos, dormitantes, faciles, credulos, & quod summa vitiorum est, Critices ignaros dicere & prædicare non erubescunt? Nonne qui hæc affirmant, & illa simul negant, con-

vincuntur sententiarum inconstantia laborare, & sibi met contrarios esse, atque in vitia omnium turpissima ruere?

Sed quod humanum est, fateri non vereamur, qui homines, non Angeli sumus. Sententiam mutare hominis est in Scientia proficientis, & non omnia simul, sed successivis ratiociniis quærentis & inventientis occultam veritatem. Nazianzenus Vitalii scripta aliquando probaverat, & eadem Apollinaristarum fermento maculata postea agnovit. (*Or. 52.*) Hieronymo alter post Apostolos Ecclesiarum Magister Origenes visus est: talemque re vera fuisse, neminem nisi imperitum negare posse censuit. (*in Prefat. Hebr. nom. N. T.*) Hunc postmodum S. Doctor diris omnibus devovit, & hominum deterrimum & corruptissimum judicavit. D. Augustinus hanc Hieronymo sententiarum diversitatem objecit, sed non inde intulit, diversos fuisse Authores laudationum ac vituperationum Origenis. *Origenem & Didymum* (ait Augustinus Hieronymo) *reperio reprehensos abs te in recentioribus Opusculis tuis, & non mediocriter, nec de mediocribus questionibus, quamvis Origenem mirabiliter antè laudaveris.* Chrysostomus in libro uno Paulum indoctum fuisse scribit: agebat enim ibi de Christiana religione per homines idiotas propagata: ubi verò differit de Sacerdotio, doctum fuisse Paulum ostendit. De Augustino nihil attinet dicere, cum ne-

mo, qui Retractiones ejus legit, ignorare possit, sæpius illum suam mentem mutasse.

Cadit etiam facile in eundem Scriptorem, non proletarium, sed planè circumspectum & eruditum, diversa ejusdem Textus S. Scripturæ explicatio & lectio. Existimo etiam multoties omni prorsus vitio carere hujusmodi diversitatem. Cum enim Scripturæ Sacræ sensus sit multiplex, plures recipit interpretationes & lectiones, quas idem Author opportunè afferre potest vel in uno vel in altero suarum elucubrationum libro. Exemplorum seriem nullo negotio attexeremus, nisi sufficerent, quæ obvia cuicque sunt in Augustino. Hic Doctor ad illa verba: *Et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*: in diversis locis tripliciter Christi sententiam intelligit; nam alibi per *Petram* ipsum Dominum; alibi Fidei confessionem; alibi Petrum significari docet. Idem illius Apostoli Oraculi: *Deus vult omnes homines salvos fieri*: tres admodum diversas interpretationes exhibuit, de quibus vidèsis Tom. I. *Bibliographiæ nostræ*, pag. 407. Basilii quoque lib. *De vera Fide* apertè fatetur, se diversa ratione explicare, quæ aliàs alio modo exposita tradidisset. Variantes lectiones in Hieronymo & Augustino sunt satis frequentes: unde iste locum Ecclesiasticus in *Expos. propof. quar. Epist. ad Rom.* ita legit: *Vanitas vanitatum*: alibi frequentius: *Vanitas vanitantium.*

Contradictio, cum perspicua non est, nec ex ipsis terminis apparens, haud difficulter vel à vigilantissima mente admittitur; sed cum est aperta, nulla vocum ambiguitate obscurata, oscitantis, vel non attendentis, vel etiam terminos non bene intelligentis signum est Scriptoris. In magnis tamen Authoribus una plerumque contradictionis causa est oblivio. Hanc de se Augustinus ingenue confessus est in *Præfat. ad 3. quæst. Dulcinii* ita scribens: [Quæris, quare dixerit Dominus: *Elegi David secundum cor meum*, cum ille talia & tanta commiserit, ubi tractaverim, & quomodo id exposuerim? non potui reperire, & utrum sit in aliquo Libro meo vel Epistola nescio.] Hinc aliter in hoc Libro, aliter in *Exposit. propos. Epist. ad Rom.* quæstionem solvit, nec una solutio cum altera convenire videtur. Ex divino suo Platone Critici facile discere potuerunt, etiam magnos ac summos Viros aliquando Homeri somno dormire, & sibi ipsis contradicere. Nam Plato ille mens, ut ajunt, totus, cum dixisset ap. Euseb. lib. 13. *De Prop. Evang.* quod Dæmonum procreationem vel explicare vel nosse res est nostra facultate major: postea subdidit: [Quare hoc in genere priscis illis testibus (Hesiodo scilicet & Homero) adhibenda fides, qui ut deorum, quod ipsi ajunt, nepotes erant, ita majores suos maxime notos habuerunt. Nec fieri omnino potest, ut fides eorum

filiis detrahatur, etiamsi nullis demonstrationibus necessariis, aut ne probabilibus quidem argumentis ipsorum testimonia comprobentur; sed necesse planè est ut iis, quomodo Lex imperat, tamquam suarum in rerum commemoratione credamus.] Quibus positis, concludit. [Illorum ergo deorum procreationem, uti Poëtæ scribunt, ita nos quoque de ea statuamus & loquamur.] Habent in his verbis Critici ideam, quam de Majorum Traditione Præceptor ipsorum expressit, longè sanè dissimilem illi, quam significare ipsi solent. Agit Plato de rebus, quæ vetustissimæ ap. Ethnicos credebantur, quæque ab eorum saltim Philosophis seu sapientibus æstimabantur fabulosæ prorsusque inverosimiles. Vult tamen vel in iis fidem priscis adhiberi, nec his dumtaxat, verum & eorum filiis, per plura sæcula à rebus, quas Traditione acceperant, remotis. Neque exigit, quod Testes Traditionis nascentem illam viderint, aut proxima Origini illius ætate floruerint: vel quod certis aut probabilibus argumentis rem traditam probent: hoc enim esset Traditionem quæ talem ineptam putare ad faciendam in rebus antiquissimis fidem, quod venire non potuit in magni illius Critices magistri mentem: sed contra ipsius præcepta inventum & excogitatum est à recentioribus discipulis, ut non Poëticas, sed Sacras & Ecclesiasticas Traditiones, nihil indignum, & incre-

dibile nihil continentes, possent, si placuisset, explodere, & minùs priscis Ecclesiæ Patribus, quàm Hesiodo & Homero, credere. Sed, quod ad rem nunc est, Plato ipse in *Republica*, per oblivionem puto, ne vel oscitantia, incogitantia aut inscitia tanto Viro imputetur, falsas apertè dicit fabulas, quas Hesiodus & Homerus, ceterique Poëtæ narrarunt, quasque fide excipiendas priùs dixerat: in quo sanè apertissima est contradictio, & eorum, quæ tam luculenter docuerat, evidentissima negatio.

Videamus jam utrum saltem suppositionis nota sit differentia illa, quæ in Scriptoris operibus non raro observatur, cum scilicet affectus dissimilis in Scriptis apparent, quæ eidem Authori adscribuntur. Videntur enim dissimilia in affectibus opuscula diversos indicare parentes & auctores, quorum libri sint velut imagines. Sed de hoc nonnulla in superioribus diximus, quibus pauca addere cogitamus. Affectuum dissimilitudo, necdum in diversis ejusdem Scriptoris Operibus, verum & in eodem Opere hæud infrequenter reperitur: adeo enim mutationibus subjacet homo! Is numquam in eodem statu permanet, quoniam humorum & spirituum motu, modò unus, modò alter excitatur affectus; & qui nunc præ ceteris dominatur & imperat operanti homini, loquenti aut scribenti clam irrepit, & aliquod sui vestigium imprimit,

quod cum verbis pertransit, sed permanet in scriptis. Frequentius ex diversitate materiæ, quàm tractandam Author sibi præfigit, differentia hæc procedit: nam cum naturam alicujus rei explicamus, aut cum doctrinam aut disciplinam aliquam per regulas & præcepta exponimus, placidè hæc, & absque omni affectuum tumultu præstamus: secus verò, cum vel polemica & contentiosa scribimus, vel petulantes & arrogantes adversarios refutamus: vel cum ab impactis ab adversario calumniis nos ipsos defendimus, & impetum impetu infringere conamur. In hujusce generis scriptionibus vel moderatissimi Authoris affectus tumultuantur: quippè, ut Basilii appositè non minùs quàm eleganter agebat lib. *De vera Fide*: [Alia suppellex instrumentorum iis congruit, qui in pacis quiete res sibi ad victum necessarias parant; alii armorum apparatus iis, qui in bello se adversum hostiles copias instruunt: similiter quoque nequaquam eodem dicendi genere utitur, & qui in sana doctrina cohortatur, & qui in disputatione sibi repugnantes redarguit: siquidem est aliud genus dicendi, quò utimur in refellendo; aliud, quò in cohortando.] Moyses hominum mansuetissimus cui non videatur sui dissimillimus, Cantici verba illa scribens: *Hæcine reddis Domino, popule stulte & insipiens?* Aculeata est ut plurimum Hieronymi Oratio: sed ubi causam agit Ecclesiæ, vel apo-

apologemata pro se scribit, Vix Sanctissimi Viri heroicas virtutes agnosces, & nisi aliunde scias quis eorum sit author, diversum à Hieronymo esse, vix dubitabis. Tantum à se ille differt Epilogos dulciter, & narrationes suavissima eloquentia scribente! Ut propterea nimis sit lubricum & æquivocum, quod ex hoc loco desumere solent Critici argumentum.

In eodem quoque Opere aliter & aliter Scriptorem non raro differere, & dissimiles connectere partes, quisquis dubitet, legat Ambrosium in lib. 3. *De Virgin.* ubi observare poterit, alia & alia methodo eam materiam tractare, & velut sui propositi immemorem, partim epistolari stylo, partim concionatorio, idem versare argumentum.

Authores vel optimos non nimium fuisse accuratos in supputatione temporum, Critici passim conqueruntur, cum eorum defectus exaggerant. Et certe cum alia agunt, facile tempora negligunt, vel saltim annos non numerant exactissime; nam hoc ad Chronographos pertinet, quos consulere, graviora tractantibus non semper opportunum est. Hieronymus in *Epist. ad Theodor.* Irenæum vocat Apostolicorum temporum Virum, & scripsisse dicit ante annos circiter trecentos, quod exactæ temporum calculationi minimè respondet. Chrysostomus *Serm. 26.* scribit, ex quo Paulus vixit, usque ad sua tempora, quingentos jam elapsos fuisse annos,

quod veræ Chronologiæ repugnat, cum antè an. Chr. 410. Chrysostomus vita excessisset. Idem *Serm. 51.* sex mille annos computat à mundi principio, ad illud, quo hæc scribebat, tempus; quæ computatio longè à vero distat, etiam si admittatur annorum summa, quæ resultat ex Versione Græca. Et mirum quid est hoc scripsisse, qui in *I. Epist. ad Cor. c. 3. Homil. 9.* ait: *Quinque annorum millibus stare mundum.* Mitto similes lapsus Chrysostomi, Theodreti, & aliorum Scriptorum doctrina planè illustrium, quibus si Critici scripta abjudicarent, quod anachronismos continent, se ipsos cum Regula sua risui exponerent Sapientum.

Honoris speciem ergà Scriptores Illustres exhibere videntur Critici, cum adscribere illis nolunt opuscula, in quibus deprehendunt lapsus homine erudito indignos. Sed hoc Criticorum ergà Veteres obsequium tum locum habet, cum ipsis prodest. De cetero, tales nobis Veteres Patres ipsi depingunt, quibus liceat absurda quæque & graviora errata imputare. Ut ut sit, errare humanum est, nemoque, quamvis doctissimus immunis est ab erroribus. Labuntur enim memoria interdum vel accuratissimi & vigilantissimi Scriptores. Hallucinantur etiam non raro, & ea scribunt, de quibus meritò erubescerent, si debita cum reflexione recolerent. Quis Hieronymo doctior in doctrina Sanctarum Scripturarum? Is

tamen in cap. 66. *Esaia*, Ammonem filium David, crasso nimis errore, homicidam fratris vocavit, Absalonis crimen falso illi attribuens. Arguat ex hoc loco aliquis, & dicat: incredibile est tantum Doctorem sic errare potuisse: non ergo expositio illa Hieronymi est, sed alterius satis imperiti Scriptoris, qui opus illud vel ex integro composuit, vel ex parte corrupit. Si consecutio hæc non valet, Criticorum Regula proculdubio non regit.

Neque difficilius est Viros doctos in citando deficere, & locum pro loco ponere, Authoremque pro Authore allegare. Vitia hæc, & alia his similia eclipfes sunt, umbræ sunt, quas vel magna luminaria patiuntur, quibusque ex parte obscurantur. Habent quoque ætates suas eruditio & sapientia, & vel acutiores oculi aliquando caligant. Constat, vel Tullio adolescenti inchoata quædam & rudiora excidisse: quod & sublimia Tertulliani & Origenis ingenia experta sunt. Studiosi quotidie proficiunt, nec nisi per gradus plures ad culmen scientiæ perveniunt. In ipso etiam culmine nebulis quandoque offuscantur, & provectissima eruditio nonnumquam labitur in errores incipientium. Sæpè quoque accidit, ut Authoris verba animi sententiæ non respondeant, & ex hoc sensisse credatur, quod reverâ non sensit. Augustino multa à legentibus ejus opera sunt imputata, quæ ipse declaravit ab opinione sua longè aliena. Nonnulla

ipse scripsit, quæ si apertius explicasset, plurimarum quæstionum occasiones fortè amputasset. Obscuritatem voluminum ex tribus rebus fieri, vel rei magnitudine, vel Doctoris imperitia, vel audientis duritia, Victorinus, Rhetor, apud Hieronymum in *Proem.* lib. 13. *Ezech.* cap. 41. admonuit. Et facile quidem conjunguntur priores duæ obscuritatis causæ; nam rebus magnis explicandis insufficientis est cujusvis hominis eloquentia; & obscure dici videntur, quæ non benè intelliguntur. Patres res maximas tractarunt, quibus clarè exponendis impares plerumque fuerunt. Augustinus de Animarum origine multa subtiliter investigavit, quæ difficultate victus indigesta reliquit. Idem testatur *Epist.* 7. *ad Marcell.* se nihil assertivè voluisse de origine Animarum statuere: & tamen videtur non pauca ex animi sententia statuisse. Sed duritia lectoris esset plus fidei verbis adhibere, quam ingenuæ confessioni Augustini. Hoc unum Criticis libenter damus, nempe, adscribendum non esse erudito & prudenti Authori Opus, quod defectibus scatet, & refertum vitiis esse reperitur. Licet enim de bonæ indolis ingenio quandoque fluat oratio malè curata & polita; vel assertio aut sententiæ explicatio, quæ negligentia sordes redoleat; vel claudicans ratiocinatio aut imperita rei expositio; vel aliud quodlibet scriptionis vitium; hujusmodi defectuum copia cadere non potest in Authorem bonum, & ex aliis

illis genuinis scriptis probatum. Undè ex defectibus, in aliqua scriptione exundantibus, efficax desumitur suppositionis vel corruptionis argumentum; nisi aliundè constet de causa tantæ differentiæ: quod ideo addendum operæ pretium judicamus; quia non rarò corruptio se tenet ex parte Scriptoris, qui cum aliàs bonus fuisset ac benè scripsisset, malus postea evasit, & in errores incidit, quibus ulteriores lucubrationes suas infecit. Tertulliani alia sunt, quæ cum Catholicus erat, conscripsit Opuscula; alia longè diversa, quæ jam hæreticus concinnavit. In his contraria docet, & quæ in prioribus benè dixerat, malè destruit. Casimiri Oudini Commentarii, quos post apostasiam adornavit, videntur opera esse alterius Scriptoris, si cum illis conferantur, qui ab eo exarati fuerunt de Scripturis vel Scriptis Ecclesiasticis à Bellarmino omisis, cum adhuc in orthodoxa fide, & religiosa vocatione permaneret. Quoties ergo non constat de notabili Scriptoris mutatione, adjudicari ei non debent scripta notabiliter inter sese diversa, & tali Scriptore indigna.

De apocryphis adeò inconstans est neocriticorum judicium, ut ne in vocabuli notione conveniant. Du-Pinus ex Eusebio, quem non citat, apocrypha vocat scripta, 1. quæ an canonica essent, aliquando controversum fuit. 2. quæ omnium consensione nec sunt canonica, nec ab hæreticis conficta, possunt

que esse scripta ab Authoribus, quorum nominibus inscribuntur. 3. quæ ab hostibus Christianæ Religionis lucubrata, Scriptoribus Catholicis fuerunt supposita. Eusebii mens satis est ambigua, ut constabit loca illius conferenti, ex lib. 3. *Histor. Eccles.* cap. 25. & cap. 31. Natalis Alexander *Histor. Eccles.* sæc. 1. c. 11. non nisi duo apocryphorum genera distinguit, illa nempe, quorum Author incognitus est, & quæ errores continent. Neuter, nostra quidem sententia, de Ecclesiastica hujus vocis acceptione aptè differit, vel sibi cohærentia profert. Eusebius in prælaudato cap. 25. lib. 3. *Hist.* sermonem restringit ad libros, qui sacri vulgò appellabantur, quorum tres distinguit classes, duas propriè, tertiam impropiè. Ad primam refert (ait Thomas Cacciarus in *Notis* ad locum Eusebii, lit. d. pag. 151. Codices, qui, citra omnem controversiam, semper in Ecclesia pro veris & legitimis habiti sunt. Ad secundam, Scripturas illas, de quibus apud Majores hæsitatum esse constat. Ad tertiam deniquè eos libros, qui ab Ecclesia ut adulterini omninò re-jecti sunt. Ad 2. Sacror. Codicum classem Eusebius revocat Revelationem seu Apocalypsim Joannis, Epistolas Jacobi & Judæ, Secundam Petri, itemque Secundam & Tertiam Joannis, de quibus anceps fuit Majorum judicium: præterea, Pauli Actus, Libellum Pastoris, & Revelationem Petri, de quibus maximè dubitatum fuit: in-

super, Barnabæ Epistolam, & Evangelium secundum Hebræos. Ad 3. Evangelia secundum Petrum, Thomam & Matthiam, aut excogitatum à Gnosticis secundum Philippum, aut à Gajanis secundum Judam proditorem. Scripta hæc inanes fabulas, vel etiam errores contra fidem continebant, nullusque illa Ecclesiæ Canonis inferenda censuit. Quibus copulantur Pauli, Thomæ & Stephani Revelationes, Actusque Andreae & Joannis, aliorumque Apostolorum, quæ scripta nemo Veterum commemoravit, & legitima non esse constat, tum ex stylo ab Ecclesiastica consuetudine longè diverso; tum ex materia & sensibus multum ab Apostolica Fide dissonantibus. Idem Eusebius cap. 31. brevius & clarius præfatas tres Librorum classes distinxit, dicens, alios esse qui in autoritate Canonis habentur: alios, qui penitus repudiantur: alios, qui quasi mediis inter istos, non ad indubitam recipiuntur autoritatem, sed ad Ecclesiarum instructionem.

Designata secundo loco à Dupino classis apocryphorum, nisi additione alicujus termini restringatur, omnia legitima Catholicorum Opera complectitur, cum hæc omnium consensione nec sint Canonica, nec ab hæreticis conficta. Quod si de antiquissimis dumtaxat sermo esse dicatur, Epistola Abgari ad Jesum, & Epistola Jesu ad Abgarum à nemine Canonice sunt judicatæ, vel ab hæreticis confictæ, & tamen, etsi à Gelasio Papa

declarentur apocryphæ, tales esse non possent in sensu Du-Pini, qui supposititias eas dicit, sed non confictas aut depravatas ab hæreticis. Cypriani quoque Confessio ab eodem Papa apocrypha definitur, non quod certo Canonica, & hæreticorum figmentum non sit, sed quia supposititia & obscuri originis est. Epistola Barnabæ, ut in sensu Du-Pini sit apocrypha, supposititia esse non debet, sed potest esse genuinum opus hujus Apostoli: è contra, juxta Alexandri sensum, nequit apocrypha esse & nominari, nisi Barnabæ falso fuerit adscripta. Nihilominus idem Author, doctrinæ suæ immemor, tertium apocryphorum genus agnovit, sub eoque collocavit Hermæ Opus, sive Pastoris Librum, quem Gelasius, ut ille ait, non proscripsit tamquam apocryphum, quod falsi esset nominis, aut noxiæ doctrinæ, sed quod extra Canonem esset collocandus. Est ergo, vel fatente Alexandro, liber apocryphus, qui nec falso inscriptus sit, nec pravam doctrinam contineat: & Gelasius, dum in Concilio apocryphum declarat Librum Pastoris, nihil amplius nos docet, quam ipsum ad Canonem Sacrarum Scripturarum non pertinere, hoc est, Divinæ non esse autoritatis. Quare autem non eodem sensu, sed alio penitus opposito, apocryphi denuntientur à Gelasio Barnabæ Epistola, & Epistolæ Pauli ad Senecam, nulla hactenus Regula Critices potuit tutò determinari. Nam vox apocryphum;

phum, sicut & alia voces Criticis familiares, incertae & ambiguae sunt potestatis & significationis; ad eorumque arbitrium, modo hoc, modo illud sonant & significant.

Hinc apocryphum aliquando est, quod Canonicum certo non est, aliquando quod ab aliquibus pro Canonico habitum est. Hic apocryphum dici non potest quod non est subditivum, & erroribus deturpatum; illic apocryphum recte dicitur Opus non suppositum, & sanam doctrinam continens. Simonio *Hist. Crit. N. T. c. 7.* apocryphum est, quod authenticum non est, vel quia ab initio tale non fuit, vel quia tractu temporis coepit tale non esse errorum accessione. Valesius nihil non falsum vult esse apocryphum: imò id dumtaxat apocryphum vocat, cujus aperta & perspicua est falsitas: undè dixit ad Euseb. lib. 6. c. 14. *Apocryphi (Libri) palam falsi sunt.* A Tillemontio apocrypha nuncupantur scripta, quae vel reperiuntur pro Canonicis apud aliquos Veterum citata; vel quae Authorum nomina non mentiuntur, quamvis Canonica non sint; vel quae à Catholicis supposita fuerunt Apostolis aut Viris Apostolicis; vel ea denique, quae haeretici à se conficta erroribus suis conspurcarunt, & primitivis Ecclesiae Patribus adscripserunt. Praeterea, Canonicum ab iis Criticis vocatur, quod Divinum esse per Traditionem Ecclesiae innotuit; ab aliis, quod Ecclesiae decreto Canon insertum fuit.

Hi putant, non posse esse non Canonicum, quod Apostolus aliquis conscripsit Opusculum; illi germanum Apostoli librum existimant posse non esse Canonicum: quiniò potest Epistola Jesu ad Abgarum ejus revera esse, & Canonica non esse, si istos Criticos audimus; non potest, si illis assensum praestamus. Ut appareat in quas tenebras Criticorum Ars nos inducat, qua illustratos se omnia pollicebantur. Prodest quidem vel maxime ipsorum in opinando licentiae ac libertati haec ambigua vocabulorum notio ad nutum huc illuc vertibilis; sed opinionum inconstantia nec obscura clarescunt, nec incerta certiora fiunt. Verbum *legitur*, nisi nova Critica Syntaxin turbasset, & peregrinas legendi Regulas tradidisset, notum erat vel puerulis Grammaticis: ast post inventas Critices leges ad arbitrium lectorum mutabiles, cum Hieronymus loquens de Barnabae Epistola scribit: *quae inter apocryphas legitur*: per hoc verbum à S. Doctore significatur, juxta Dupinum, vere Barnabam illius Epistolae Authorem fuisse; teste verò Natali Alexandro, ipsam esse spuriam, & Barnabae perperam suppositam. Rursus, ubi idem Hieronymus de Seneca ait: *Non ponerem eum in Catalogo Sanctorum, nisi me illa Epistola provocarent, quae leguntur à plurimis*: contrario quoque modo ambo Critici legunt, sed hic versa vice alteruter; quippe Alexander Du-Pini Criticen induens, ex Hieronymi verbis colligit;

git, Senecæ legitimos esse foetus Epistolas, quæ ipsius nomine leguntur; at Du-Pinus quasi in Natalem Criticum conversus, hoc *leguntur* intelligit, sicut Alexander intellexit illud *legitur*, & asserit, Epistolas, quæ Senecæ nomine leguntur, nothas esse, & Ethnico Philosopho falso adjudicatas.

Cùm igitur in sententia Criticorum varia sint ac multiplicia apocryphorum genera, deberent apocrypha ab apocryphis secerere, & cum apocryphorum usum, tamquam grævi & erudito Authore indignum condemnant, simul declarare, de quo ipsi apocryphorum genere loquantur. Nam, si apocrypha dicuntur, quæ apud Veteres tanto in honore fuerunt, ut potuerint etiam Canonica videri aliquibus; non est cur non deceat similia laudare, & ex illis testimonia desumere, quibus fides prudenter adhibeatur. Rursus, si apocrypha pariter nominantur & sunt, quæ nec anonyma nec pseudonyma creduntur, sed sincera & germana scripta Authoris gravis, antiquaque fama illustris, & quæ illibitam, atque ab omni labe expertem doctrinam continent: cur non liceat posterioribus hos puros fontes adire, atque ex illis in Opera sua scientiæ aquas derivare? Sicut ergo damnabilis non est, sed licitus ac decens hujus generis apocryphorum usus, ita repudiari non possunt tamquam notha, & præclaro Authore non digna illa

Opera, in quibus inveniuntur aliqua, è talibus apocryphis excerpta. Hoc solum superest, ut scilicet ea scripta rejicienda sint, in quibus nonnulla continentur, quæ ex apocryphis adulterinis, & hæretica manu infectis, vel indiscreto Catholicorum zelo confictis, deprompta videantur. Sed neque hoc Critici velle possunt, si sua stare cupiunt; neque nos illis donare, quantumvis vellent.

Imprimis nequeunt Critici similia explodere, nisi se ipsos condemnent; nam & ipsi ex hujus generis apocryphis non pauca desumunt, quibus non putant scripta sua foedari, & se ipsis indigna reddi. In censu apocryphorum, quæ adulterina & notha dicuntur, à Criticis præcipuè numerantur, 1. *Constitutiones Apostolicæ* sub nomine Clementis Papæ. 2. *Recognitiones* ejusdem, seu *Itinerarium* vel *Acta S. Petri*. 3. *Abdiæ Babylonici Historia Apostolorum*. 4. *Martyrologium* Eusebii seu Hieronymi. 5. *Liber Pontificalis* sub nomine Damasi. De priori opere Tillemontius inconstantissimè, Criticorum more, loquitur, & modò dicit, modicæ illud esse authoritatis, modò nullius, hic Clementi ab impostore suppositum, illic Opus ipsius Clementis, sed interpolatrice manu corruptum. Nec dissimilis est censura Bailleti, Alexandri, Du-Pini, Valesii, Launoy, Anquetini, &c. Hi tamen omnes ex apocrypho hocce scripto, cum ipsis libet, testimonia proferunt, pluraque ip-

ssmet confirmant, ut legenti eorum opera plenissimè constabit. In *Recognitionibus*, quas fabulis abundare, & nullius pretii & utilitatis esse declarant, etiam non pauca invenerunt, quæ suis Libris insererent, & velut fide non indigna nobis proponerent. Unde *Recognitionum* autoritate probant, Christum Moysis exemplo Discipulos 72. designasse: & Thomam Apostolum Evangelium Parthis intulisse. Nihil Abdiæ opere lectione indignius, si Criticos audiamus, & tamen testimonia non pauca ex eo desumpta in eorum accuratissimis lucubrationibus legimus. Videbis Tillemont. Tom. I. pag. 386. & 424. item Bailletum ad 21. Septembr. pag. 529.

Martyrologium, quod Eusebius Græcè concinnasse, & Hieronymus Latinum fecisse dicitur, Opus est ap. Criticos multiplex suspectum. Falsitatibus refertissimum esse, Tillemontius ait. Sed tam is, quàm Bailletus tam frequenter sua confirmant ejus operis autoritate, ut prolixum sit, eorum loca perlustrare ac recensere. In *Not. 15. de B. Virg.* tanta est Tillemontio autoritas hujus Martyrologii, ut ejus testimonio innixus, non dubitet vel penitus deserere, vel saltim infirmare Ecclesiæ Traditionem de corporali resurrectione Sanctissimæ Dei genitricis. Denique Pontificalis Libri, quem Damasum adhuc Diaconum composuisse, Tillemontius fermè con-

cedit, interdum magna est ap. Criticos autoritas, sæpè exigua, plerumque nulla. Quale sit hujusmodi Opus, & quæ fuerit ejus origo, & continuatio, adhuc Critici disputant, nec res clarior est post inventa Critices lumina. Schelstratius nihil certi de Authore statuere audet, & coagmentatum dicit ex tribus Pontificum Catalogis, quorum priorem ad IV. Chr. sæculum refert: secundum ad VI. tertium ad VIII. Anastasium Bibliothecarium Compilatores & Continuatores asserit. Chastelain Gallus in *Animadv. ad Martyr. Rom.* ejusdem originem designat in an. Chr. 336. sub Julio P. P. M. Bailletus, Liberio Ecclesiam regente, compilatum fuisse opinatur, & magnum autoritatis pondus habere aliquando fatetur. (In *Disc. sup. Vit. Sanctor.* pag. 38.) At monumentum istud, tale quale est, Criticorum arbitrio famulatur, eorumque voluntati subjicitur: nam si favet ipsorum opinionibus, vetustate ipsa commendatur, & dignum fide asseritur: si autem contrarium esse invenitur, incertæ declaratur autoritatis, & obscuræ originis, nullamque ei inesse respondetur vim probationis. Tillemontius ex hujusmodi Kalendario argumentum sumit, ut adversus Polemeum Silvium probet, Principes Apostolorum martyrio fuisse coronatos die 29. Junii; sed simul ejus Chronologiam tamquam sibi adversam contemnit, ubi eorum passiones designat in an. Chr.

Chr. 65. In priori loco Criticus non sine elogio prædictum allegat Kalendarium; in posteriori fabulis plenum dicit usque ad Pontificatum Antheri. Idem Author, cum contenderet, Deiparam Ephesi objisse, idque probaret ex Templo ejus nomine in ea Urbe ædificato, quod unicum per illud tempus esset in toto Orbe; ne quicquam opinioni suæ adversari concederet, idem Kalendarium rejiciendum putavit, ubi de Callixto Papa dicitur, Ecclesiam ipsum dedicasse in honorem S. Mariæ Virginis in Transtiberina Urbis regione. Res, inquit, tanti momenti, in scripto adeo suspecto quasi in arena fundatur.

Non minori inconsequentia Critici nunc laudant, nunc rejiciunt plurima scripta, quæ Sanctorum Patrum nominibus insigniuntur, & ab ipsis pro supposititiis & apocryphis habentur; cujus generis sunt, S. Ambrosii *Sermones* 40. in *Append. Edit. PP. Benedictin.* 53. 55. & 68. & *Acta S. Sebastiani*: Augustini *Sermo* 25. *ad Fratres de Eremo*, & *Sermones* 87. 116. & 117. rejecti in *Append. incertorum* à PP. Benedictinis: Chrysostomi *Homilia*, quæ ut notæ rejiciuntur à Frontone Ducaeo, Savilio, Tillemontio, &c. ac signanter ex iis *Homiliis* 73. quæ extant in VI. Tomo Oper. S. Jo: Chryf. Edit. Paris. an. 1636. *Homilia* 21. 30. 32. necnon Fragmentum *Panegyrici de S. Thecla*, & *Oratio* 72. cujus verus Author creditur Jo: Jerosolymitanus. Rem

paucis absolvimus. Nihil ferme tam apocryphum, tam subditivum, tam fabulis & absurditatibus plenum est, quod cum Criticorum placitis suffragatur, ab ipsis non usurpetur. Credunt nimirum, nec in hoc falluntur, vel in fabulosis Libris quædam vera esse; atque hæc ipsos Critica sagacitate à falsis & confictis probe discernere, & in usus suos convertere jure posse. Tantum & nos ipsis absque invidia tribuamus. Sed cur Veteribus negetur prudens judicium, & discretio veri à falso? Anne credendum vim istam & virtutem humanis mentibus cum moderna Critica advenisse, nec potuisse Veteres sine novis Critices Regulis vera à falsis, credibilia ab incredibilibus distinguere? Ex apocryphis plurima Scriptores Sacros collegisse, monet idoneus planè testis Origenes *Prolog. in Cantica*, palam est, inquiens, multa vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exempla esse prolata, & Novo Testamento inserta, quæ in his Scripturis, quas Canonicas habemus, nunquam legimus; in apocryphis tamen reperiuntur, & evidenter ostenduntur ex eis assumpta. Sciverunt quidem illi Spiritu Sancto repleti, quid assumendum esset ex apocryphis, quidvè refutandum: nec quibus non est tanta Spiritus abundantia, licet tantum præsumere, ut id præstare posse credant infallibili discretionem. Hanc neque Critici solertissimi habent, nec Veteribus quamvis Sanctissimis & doctissimis Patribus tribuimus.

mus: sed iis, cum puriores invenire potuerint fontes, & melius noscere corruptionum originem, multaque ex intemeratis Traditionibus cognita habere, facilius utrique fuit de veris cum fabulosis commixtis tutius dijudicare: eo præcipue, quod multa ætate illorum apocrypha non fuerunt, quæ sequenti tempore ex falforum admixtione talia evaserunt. Hoc Tillemontius expressè testatur de Evangelio Nazaræorum, quod ab illo S. Matthæi indistinctum fuisse autumat ad id usque tempus, quo additionibus fuit interpolatum, exindèque ad apocrypha rejec-tum. Idem & æquali ratione posset fortè affirmari de aliis veterum Scriptis, & de iis præsertim, quæ antiqui Patres in pretio habuerunt, & cum laude citarunt. Neque enim dissimulanda est eorum audacia Criticorum, qui Irenæo, Athanasio, Hieronymo, Prospero, Maximo, Origeni, Eusebio, Clementi Alexandrino, Rufino & Cassiano, quos de *Pastoris* Libro honorificè locutos constat, ea lumina negant, quæ ad veri à falso discretionem sunt necessaria. Ipsorum Opera testimonium perhibent de illis, & in eis clarissimè splendet acere & penetrabile iudicium, ingenii acumen, sagacitas, solertia, & quidquid quomodo possit esse exactum, ad formandum iudicem verè idoneum.

Si enim nova Critica hæc veri discretio fuisset exorta, nec potuissent Veteres ex apocryphis &

fabulosis vera & credibilia delibare; nullus Antiquorum bellum & excidium Trojanum Homero narranti credidisset. Undè enim nosset hoc veraciter scripsisse Poëtam insignium mendaciorum Opificem, præsertim cum multa ei narrationi admixta sint impossibilia, de Achille marinæ Deæ filio & hominis Pelei, de Jovis Sarpedone, Ænea Veneris? Undè invalisset opinio de veritate Historiæ de Jocasta & OEdipide, communibusque liberis Eteocle ac Polinice; & de profectioe in Peloponnesum filiorum Herculis, cui tot sunt inserta figmenta de Sphingē semipuellā, &c? Fatendum igitur omni ævo homines scivisse Criticos agere: & ut agebat *contra Celsum*, lib. 1. Origenes, Candidi ac circumspecti lectoris semper fuit & est, etiam mixta fabulis opéra rectè dijudicare, & veri speciem præferentibus assentiri; in aliis verò figmentum olentibus scrutari sensum tropologicum, vel fidem penitus abrogare. Potuerunt ergo Veteres multò minùs periculose quàm Recentiores ex apocryphis proficere, & ex eis Libris suis inferere, quæ indigna non sint illorum autoritate: proindeque usus apocryphorum non est certum suppositionis aut interpolationis signum.

Periculosius Critici errare solent, ex præconcepta falsa opinione, circa scripta Veterum, in materia Dogmatum. Persuasum illi habent, qui antè exortas hæreses scripsere antiqui Patres, vel nullo

mo-

modò, vel obscure tantùm & implicite differuisse de Fidei veritatibus, quæ oppositæ sunt hæreticorum erroribus; ita ut (ex. gr.) expressa de consubstantiali essentia Filii doctrina frustra quis quærat in Veterum Scriptis, antè hæresis Arianae damnationem editis. Hac falsa positione imbuti Critici tamquam spuria explodunt Opera, in quibus prædamnari videntur hæretica figmenta, non nisi posteriori ætate in Ecclesia audita. Hinc Liturgiam Jacobo abjudicant, quòd in ea legatur *Homosion, Theotocos, Trisagion, Doxologia*: Dionysio *Ecclesiasticam Hierarchiam*, quòd in ejus cap. 7. confutetur hæresis Millenariorum, quæ circa an. Chr. 120. exorta creditur: Chrysostomo librum *De pseudo-prophetis & falsis doctoribus*, à Gerardo Vossio vulgatum, quòd in eo Areopagita *Volucris Cæli* nominetur: *Acta Passionis S. Andreae Apostoli*, quòd Filii Divinitas clarissimè verbis istis asstruatur: *Hoc esse Unigenitum Filium, quòd est & ille, qui genuit.*

Qui adeo præposterè Veteres judicant, multipliciter errare, necesse est. Et primò quidem rudiores in doctrina fidei eos asserunt, qui Apostolis proximiores fuerunt, tamquam propè fontes, sistentes; & juxta lucem, caligantes. Deindè vix non infirmant Apostolicam per manus ductam Traditionem, ex qua Orthodoxa omnis doctrina promanavit, & ad posteros illibata transivit. Rursus, cum Ecclesiæ novi Fidei articuli

non revelentur, non illa posset emergentes errores noscere, & irrefragabiliter damnare, nisi haberet undè certa esse sciret dogmata erroribus illis contraria. Qui ergo volunt dogmata hæc apud genuina Veterum scripta vel nullo modo inveniri, vel expressa & liquidò exposita neutiquam esse, tenentur viam demonstrare, per quam Ecclesia potuerit ad infallibilem eorum dogmatum cognitionem & definitionem pervenire. Neque enim Ecclesia aliam unquam novit, nisi quæ nos ad Divinam vel Apostolicam Traditionem perducit: quæ Traditio vel nulla esset, vel obscura tantum esset, nisi Veteres continuata successione non eandem retinissent, ac posteris communicassent. Præterea, emergentes quavis ætate contra Fidem errores, antequam ab habentibus potestatem ritè & canonicè damnarentur, ut tales à Fidelibus agnoscebantur & impugnabantur; neque enim damnati unquam fuissent, nisi fuissent cogniti; neque cognosci potuissent, nisi à bene callentibus Fidei veritates, quibus adversabantur nascentes novæ hæreses. Denique contra hic neocritici faciunt, quam alibi contendunt; nam ut Traditionem aliquam recipiant, hoc à nobis exigunt, ut scilicet in Scriptis Veterum ostendamus expressa ejusdem Traditionis testimonia: non possemus autem ea invenire, nisi admittamus Veteres talia testimonia perhibuisse, & libris suis inseruisse. Alioquin vel hæreses ab-

absque aperta veritatis catholica Traditione damnarentur; vel admitteretur Traditio, quæ Antiquorum testimoniis non niteretur. Alterutrum neocritici concedant, semetipsos impugnant, faterique coguntur, ejusmodi Systemata fabricare, quæ si ex una parte firma perstare debeant, necesse est, ut ex altera cadant.

Melius certè agerent, si nobiscum assererent orthodoxam doctrinam ab initio fuisse Ecclesiæ traditam, & hanc verum ac sanum suorum dogmatum sensum ab Apostolis hausisse, penèque se semper conservasse; ac proinde in promptu habuisse undè novas hæreses agnosceret, & ut tales tuto proferberet. Undè ante Arii errorem nota erat Filii consubstantialitas, imò & vox ipsa *Homousion*, qua eadem significatur, ignota non fuerat; nam Athanasius in libro *De Decretis Concilii Nicani* Authores profert, qui nomine isto ante coactam Synodum usi sunt. Theodoretus item lib. 1. *Histor. Eccl.* c. 3. eam vocem non esse novam ait, neque à Patribus Nicææ congregatis inventam, sed à Majoribus receptam & usurpatam. Nec ausus est hoc ipsum negare Eusebius, licèt Arianae factionis propugnator, apud laud. Theodor. & apud Socratem lib. 1. c. 5.

Theotocos nomen Græcum, quo dignitas Matris Dei exprimitur, priusquam Nestorius blasphemare inciperet, in usu apud Majores fuisse constat. Nam Evagrius lib. 1. *Hist.* c. 2. Nestorium ipsum repre-

hendit, quòd hanc vocem à multis spectatisque Patribus usurpatam rejecerit: & Theodoretus lib. 4. *Hæret. Fabul.* c. 12. testatur, antiquissimos Fidei Orthodoxæ Prædicatores juxta Traditionem Apostolicam Matrem Domini *Deiparam* nominasse & credidisse. Trisagion & Doxologia glorificationem continent individua Trinitatis, quam Veteres in Isaia Prophetia & Evangelio expressam habuerunt. Nugas agunt, qui hæc nova in Ecclesia esse dicunt. Si Magistros nostros Christianæ Fidei adeò imperitos credimus, ut dicamus, neque præcipua Religionis mysteria clarè scivisse, neque nos ea apertè docuisse, cur ipsos Præceptores nostros profiteamur, & Ecclesiæ Doctores veneramur? Nestorianam hæresim ante Ephesinum Concilium scriptis suis Patres damnarunt. Iidem veritates docuerunt, Eutychanis & Monothelitis erroribus contrarias. Concilia, quæ hujusmodi errores condemnarunt, hoc prius egerunt, ut scilicèt ante omnia investigarentur sententiæ Patrum, & ex iis sana & orthodoxa erueretur doctrina. Si Athanasii Magni testimonium recipere adversarii non recusant, negare non possunt, Romanos & Alexandrinos Pontifices Ario hæresiarcha longè antiquiores, accusasse eos, qui Filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum consubstantialem Patri. Hoc tantus Doctor palàm testatur in *Epist. ad Afric. Episc.* Posteriores quoque errores Nestorii & Eutyichis *Oratione III. n. 29.*

evidentissimè profligavit: Beatamque Virginem Mariam *Theotocon* seu Deiparam quater dixit. Scimus, unum Uvistonum, Anglum hominem impudentissimum, nulla fronte affirmasse, *Athanasium apud honestos Viros nullam fidem mereri: sed res nobis est cum Criticis orthodoxis, quibus magna certò est ejus Authoritas. Nec minùs integra apud illos esse debet Augustini fides, qui disertè tradit, Pelagii errores, à Cypriano, Hilario, Ambrosio & Gregorio Nazianzeno priùs fuisse perspicuè convictos, quàm natos.* (lib. 2. *Oper. Imp. contr. Julian. & lib. De Dono persever. c. 2. §. 4.*)

Si neocritici Veterum scripta attentè legant, vix ullam Fidei veritatem in illis desiderabunt, quam tradere potuissent apertius & enucleatius. In Tertulliani, quem hominem Ecclesiæ non fuisse, Hieronymus Helvidio respondit, Operibus tam expressa sunt Christianæ Religionis dogmata, ut nihil fermè lucis addere ipsis ex posteritate possis. De hoc, quoniam fusè in Bibliographia nostra disseruimus Tomo IV. à pag. 345. col. 2. §. *Quamquàm Tertulliani scripta, &c.* agere hic omittimus. In Clementis Papæ Epistola ad Corinthios prima, quæ Sanctissimi Martyris foetus est omnium consensu legitimus, apertissimè Author docet orthodoxa dogmata directè contraria Valentinianorum & Gnosticorum blasphemias, nondum suo tempore in Ecclesia auditis. Errori de millenario Christi regno plu-

res Patres incautè adhæsisse constat; ne tamen vera Traditio periret, etiam hoc providit, qui Ecclesiam suam non deserit, Deus, ut nempe plurimi sanum revelationis sensum intelligerent, retinerent & literis consignarent, nec unquam deficerent Catholicæ veritatis idonei Testes. Placuit quidem Rabbinicum Commentum Cerintho, Marcionistis, Montanistis & Meletianis, iisque imprudens accessit Papias, mediocris admodum ingenii Scriptor, uti ex ejus Opusculis conjicit Eusebius lib. 3. *Hist. c. ult.* qui multis post se Ecclesiasticis Viris erroris hujus præbuit causam, authoritatem falso de Chiliasmo dogmati tantum ex vetustate tribuens. Cum enim Papias, qui circa ann. Christi 110. floruisse videtur, vel Auditor Joannis Apostoli; vel saltem Sodalis & Discipulus fuisset eorum, qui Apostolos audierunt, Aristionis, Joannis Præsbyteri & Polycarpi, Hieropolitane Ecclesiæ diu cum laude præfuisset, & Pergami sub M. Aurelio Martyrio coronatus obiisset, ut apud Photium *Cod. 232.* Stephanus Gobarus prodit, & Author Chronici Alexandrini confirmat, facile ipse deceptus potuit decipere alios, qui specioso Traditionis mysticæ colore allecti Chiliasmi arcanum improvidè crediderunt; quos inter præcipui numerantur Irenæus, Tertullianus, Apollinarius, Victorinus, Lactantius & Sulpitius. Ceterum falsa horum Traditio statim ac exorta, fuit etiam rejecta: nam Cajus Præs-

byter Romanus apud Euseb. lib. 3. c. 28. illusionis primum Venditorem Cerinthum acriter reprehendit: Dionysius quoque Alexandrinus circa ann. Christi 250. adversus Irenæum Lugdunensem Episcopum elegantem composuit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Jerusalem. Porro in Apollinarium juniorem, qui Dionysium refutare, & Chiliastarum errorem constabilire conatus est, stylum acuerunt, Epiphanius, Basilus, Didymus, Ephrem, Nazianzenus, &c. de quibus vide *Bibliogr. nostr.* Tom. III. pag. 328.

Et, ut vel ex hoc uno loco distant neocritici veteres Ecclesiasticos in pretio habere, neque illis vitiosam simplicitatem & levitatem adscribere, observare oportet, Papiam, qui Chiliastarum antesignanus fuit, libros V. scripsisse *De Explicatione Oraculorum Domini*, quæ se accepisse narrabat ab iis, qui Servatorem nostrum Jesum Christum sermocinantem audierant. In iis Opusculis, ex quibus præter fragmenta quædam, nihil superest, plurima à Majoribus sibi tradita miracula dicebat, & novas quasdam parabolas Salvatoris, & doctrinam de Corporali Christi regno in terris per mille annos futuro. Quis porro ambigeret de veritate dictorum, spectata dicentis auctoritate; præsertim cum videret cætera ab eo relata Evangelio & germanæ Apostolorum Traditioni esse consona? Nihilominus detecta illico fabula

fuit, rejectaque ut apocrypha asserta à Viro gravi Traditio: nec defuit tunc oculata sine Arte Critica, qua falsum veris admixtum dignosceretur, & uti tale exploderetur. Scilicet, norunt Veteres iudicio legitime uti, & absque Regulis Criticos agere, fuscaturumque Apostolica vel Divina Traditione figmentum dignoscere, & Auctorem specioso incognitæ & arcanae doctrinæ titulo deceptum fuisse demonstrare. Fuerunt quippè ab exordio nascentis Ecclesiæ spirituales ac mysticæ Apostolorum Traditiones, earumque verus ac sanus sensus spiritualibus cognitus, & per ipsos Ecclesiæ traditus, atque ab ea perpetuò custoditus.

Et quoniam quidam Nepos, Vir planè eruditus, & in Arfinoitica Ægypti Præfectura, ut Cavei suspicio fert, Præsul, de Chiliasmo librum scripserat, qui tanto plausu ac favore ab Ægyptiis exceptus fuerat, ut, schismate factò, integræ Ecclesiæ à recta Fide descivissent; Dionysius sese illis constantissimè opposuit, & tunc libris *De Promissionibus* pervulgatis, tum publica per triduum disputatione habita, Apocalypseos sensus, qui pro adversariis facere videbantur, clave germanæ Traditionis aperuit, & refragantes, eorumque signiferum Coracionem, hominem doctrina & meritis præstantem, ad resipiscentiam compulit, & ad solemnem veritatis orthodoxæ professionem coegit. Factum Eusebius disertissime descripsit *Histor. Eccles.* lib. 7. c. 22. Rufin. Verf.

ubi Dionysius absolutissimi Critici partes implens, hæc prudenter ait: *Est ergo etiam mihi erga eum (Nepotem) multa reverentia: & inde magis, quia jam præcessit ad Deum (h. e. obiit in Domino). Sed re verà plus omnibus & amanda & præferenda est veritas. Laudare oportet, & absque invidia amplecti, si quid rectè dictum est; discuti verò & discerni, si quid minus sanè scriptum est.*

Ergo primitivi Patres, qui veritatis amore flagrabant, & erroribus decipi maxime fugiebant, non se gnes, sed diligentissimi fuere Catholicorum Dogmatum investigatores, strenuissimique adversus insurgentes opinionum errores vindices: tanta etiam doctrinæ copia, & genuina Scripturarum intelligentia, verarumque Traditionum discretionè præditi ac notitia, ut nimium errare convincantur, qui posteriores hæc uberius possedisse, aut apertius tradidisse arbitrentur. In prioribus Ecclesiæ sæculis, & ipsa fermè Apostolorum ætate mille dolis ac fraudibus Evangelica doctrina impugnari cœpta est. Judaismus verbo Dei armatus, & quas Divinas credebat, Traditionibus fretus, vim faciebat, ut vel de nova Lege triumpharet, vel ei saltim amico foedere sociaretur. Gentilismus præstigiiosa sua ostentabat miracula, fallaciaque vaticinia, quibus aut ethnicam superstitionem credibilem redderet, aut Religionem Christianam minus fide dignam efficeret. In ipso Ecclesiæ gremio, &

in agro Dominico Zizania exorta sunt, quæ inimici homines superseminarunt. Surrexerunt enim pseudo-Christi & pseudo-Prophe-tæ, hoc est, mendacissimi Seduc-tores, innumeris ad fallendum artibus instructissimi. De libris quoque Canonicis, & eorum Authoribus multa vel apud ipsos fideles inquisitio & dissensio. Evangelia Evangelis fuerunt superaddita: Apostolis Opera falsò supposita: vulgata deniquè commentitiæ, vel certè non veræ & germanæ Traditiones, Revelationes, prædictiones, Leges, &c. Inter tot tenebras, & errorum fallacias vix veritatem detegeret vel acutissima & purgatissima mentis acies. Non rarò vel illustriores Magistri falsi dogmatis patrocinium susceperunt. S. Irenæus in Millenariorum illusionem utroque pede abiit. Tertullianus portenta novitatum docuit. S. Cyprianus Ecclesiæ Traditionem incautè oppugnavit. Origenes opinionum monstra confinxit. Polycrates, octavus Ephesiorum Episcopus, Victori Papæ cum Asiæ Conventu restitit, & Decretis ejus Traditionem de Paschate die 14. Lunæ celebrando opposuit, quam fluxisse ab Apostolis firmissimè assereret.

Si hæc probè discernere, & subtiliter dijudicare, opus est Critices absolutissimæ, fateri oportet, perfectos Criticos fuisse veteres Ecclesiæ Patres, quorum studio, sagacitate & ingenio errores cuncti detecti fuerunt & profligati; vindicati & suis Authoribus adscrip-

ti, qui Divinam habent Authoritatem, libri; rejecti apocryphi; confutatae Traditiones non verae; genuinae ac sinceræ stabilitæ; & asserta demum Fidei nostræ certissima Dogmata, & præcipua Christianæ doctrinæ Capita. Universa hæc ab Antiquis foeliciter præstita sunt, nec expectata ventura post tot ætates artificiosæ Critices adjumenta: imò hæc ipsa Recentiores à Majoribus accepere: vixque aliud sunt prudentiores novæ Critices Regulæ, Præcepta, Canones, quàm conceptæ ex usu & praxi Veterum observationes. Ab iis nisi neocritici declinassent, recta utique incederent. Sequerentur enim Majorum Traditiones, quæ in rebus magni momenti fallere nos minimè possunt, in aliis verò nullo nostro præjudicio fallunt. Nam Traditionibus vivere omninò necessarium est, ne alioquin dubitationibus mundum repleamus, & nos ipsos perplexitatibus implicemus. Traditione novimus Platonem, Aristotelem, Ci-

ceronem, Varronem, Hippocratem, & alios Libros conscripsisse, & eorum esse, quos ad manus habemus, & tamquam germana ipsorum Opera lectitamus. Traditione etiam futuris temporibus constabit, me authore hæc ipsa, quæ modò scribo, in lucem prodisse. Quæ adversus Traditiones nova Critica argumenta excitavit, nova non sunt, sed antiqua & vulgaria, ac nolentibus acquiescere passim obvia. Similia olim ab hæreticis objecta fuere Augustino, qui talia non refellenda, sed ridenda meritò judicavit. (lib. 33. *contr. Faustum*, c. 6.) Quisquis ergo, relicta sobria ac modesta Veterum Critica, eam sectari voluerit, quæ contentiosa est, morosa, severa & audax, is quidem perplexitatibus ac dubitationibus suis abditas & incertas veritates profundius abscondet, & hoc tantum assequetur nova arte, ut, scilicet, nec simplicia pateant, nec clara luceant.

F I N I S.



ELENCHUS RERUM NOTABILIUM, quæ in hoc Opusculo continentur.

Prior numerus paginam, posterior columnam indicat.

A

A *Cestres*, quid de eo Neocritici investigent, 85. 2.
Acta qualia Neocriticis sincera, 99. 2. & seq.
Acta Sanctorum vetera an feliciter à Neocriticis expurgata, 99. 2. & seq.
Acta S. Saturnini quam variè à Neocriticis excepta, 93. 2.
Acta S. Ursulæ subdititia, 131. 2.
Ægeonás idem cum *Briareone*, 83. 2.
Aneas, quales de eo Grammaticorum quæstiones, 85. 2.
Æsculapii filii qui, 30. 2.
Æsculapii Templum, 42. 2.
Affectuum dissimilitudo non solum in diversis ejusdem Scriptoris libris, sed in eodem quandoque observatur, 196. 1. & seq.
Algebra Arabum inventum, 20. 2.
Almansor Scholarum institutor, & Librorum Collector, 34. 1.
S. Ambrosius pessimè à Neocriticis habitus, 15. 2.
Amortius (*Eusebius*) operosissimè de notis stylum diversificantibus differuit, 185. 2. Ejus combinationum Regula summè difficiles, & non nisi sub quibusdam limitationibus probanda. Ibid. & 186. 1. & seq.
Anatomia Græcorum & Arabum quo sensu imperfecta, 38. 2. & seq.
Apocryphum. Hujus vocis notione pronutu suo Neocritici utuntur, 116. 1. & seqq. Item 199. 1. & seqq. *fuit.*

Apocryphorum classes quot ap. Euseb. 199. 2.

Arabes studia instaurarunt, & Scholas publicas in Asia, Africa & Hispania erexerunt, 34. 1. & seqq. Bibliothecas quoque instruxerunt. Ibid. Medicinam excoluerunt. Ibid. Aristotelis Philosophiam secuti sunt. Ibid. Anatomes ignari non fuerunt, 38. 1. & seq.

Arabica medicina qualis, ibid.

Arcani Disciplina an à veteribus Ecclesiæ Patribus observata, & in quo consisteret, 139. 2.

Archiatri Medicorum quomodo crearentur, 31. 1. Quanta *Archiatorum* Romæ antiquitas. Ibid. An eorum Collegium in Urbe fundatum, 30. 2. De eorum Præsule, sive de *Archiatorum* Comite ac Judice, 31. 1.

Aristio quis, 208. 2.

Aristoteles quantus Philosophus, 23. 2. Ejus Philosophia melius quam Platonica Sacræ Theologiæ famulatur, 109. 1. *Aristotelis* libri genuini an Parisiis aliquando igni traditi, 35. 2. Ejus stylus Platonico ad docendum longè aptior, 23. 2. Principatum in scientiis naturalibus jure præ Platone obtinuit, 23. 1. & seq.

Arts Critices, quo tempore mundo primum exorta, & à quibus propagata, 54. 1. & seq. Quanta Neocritici tribuant hujus *Artis* inventioni, 55. 1. & seqq. Quam multa, à Neocriticis Patres in veritatis præjudicium commisisse dicantur ob hujus *Artis* ignorantiam. Ibid. Quinam putentur idonei,

ut

ut hac in *Arte* plurimum proficiant, & successus habeant, 54. 1. & seqq. *Sec-tatorum* hujus *Artis* genius & indoles, 54. 1. & seqq. Cur Hispani & Itali inepti à Neocriticis judicantur, ut *Artem* hanc utiliter sectentur, 62. 2. & seqq. Quanta exindè Hispanorum & Italo-rum laus & commendatio, 62. 2. & seqq. An Christiana sapientia multis modis deformata, cum nondum *Ars critica* esset inventa. Ibid. Quando *Ars critica* ex fructibus agnita, 65. 2. *Ars Critices* ipsa genuinæ Critices fundamenta, elementa sive principia infirmavit, & magnum incredulitati ostium aperuit, 92. 1. & seqq. *Ars Critices* non modum sciendi, sed modum de omnibus dubitandi, hominibus præscribit, 54. 2. *Ars Critices* sophistica, 92. 1.

Artis alicujus aut scientiæ Principes qui jure dicendi, 101. 2.

Assuerus Esther maritus quisnam fuerit, quavè ætate vixerit, tam incertum Neocriticis, quàm aliis, 76. 2.

Astronomia. Quò fructu ejus studio Neocritici incubuerint, 174. 1. & seqq. Quanta *Astronomicarum* Tabularum certitudo, 175. 1. & seqq. Veteres *Astronomiam* neglexisse, aut ejus studio impares fuisse, nimis ineruditè videntur Neocritici supponere, 174. 2.

Atheus inter Christianos nullus antè inventionem Artificiose Critices, 65. 2.

Authoritas. Suprema absque omni examine suscipienda, 14. 1. SS. Patrum & priscorum Scriptorum *Authoritas* à Neocriticis multipliciter infirmata, 92. 2. & seqq. Nullius *Authoritas* per testimonium ejusdem constitui potest, 143. 1. & seqq. Quorum *Authoritas* idonea, benèque constituta prudenter judicanda, 144. 1. & seqq. Omnis humana *Authoritas*, non solum superna Fide, verum & evidenti inferior est ratione, 145. 1. & seqq. Infirma est illius *Authoritas*, qui frequenter labitur, 144. 2. & seqq. Quibus liceat, ac quodammodo necessarium sit Majorum

Authoritatem sine examine sequi, 147. 1. & seqq. *Authoritas* SS. Patrum à Neocriticis Eusebii, Rufini, Sozomeni, &c. *Authoritati* postponitur, 160. 2. S. *Augustinus* à Neocriticis injuria accusatus, 14. 2. & seqq. A Pherepono Critico heretico propter inconstantiam in opinando *Protheus* dicitur. Manichæis *Augustinum* aptè non respondisse, Richardus Simon non veretur affirmare, 15. 1. Idem asserit, S. Doctorem plenum fuisse præjudiciis, eorumque ipsius Opera esse referta, 14. 2. De eodem Jo: Clericus scribere audet, ipsum officiosa, & quæ utilia viderentur Religioni mendacia, aut usurpasse, aut dissimulasse, 58. 1.

B

Baptismus infusione aquæ ministratus nunquam in Ecclesia invalidus, & si antiquitus non fuerit in usu, 132. 2. *Baptismus* aspersione ab Apostolis collatus. Ibid.

S. *Barnabas* an verè conscripserit Epistolam, quam illum composuisse, scribit S. Hieronymus, 114. 2. Critica interpretatio verborum S. Doctoris. Ibid. & 115. 1. & seqq.

Briareo idem cum *Ægeona*, 83. 2.

C

Chalcis, quæ avis ap. superos ex sententia Poëtarum, 83. 2. Vide *Cymindis*.

Cicero cur *Platonis Socius* dictus, 24. 1.

Chronologia sive Sacra sive profana subsidiis *Artis criticæ* minimè perfecta, 175. 1. & seqq. Quæ incertæ olim fuerunt insigniores Epochæ, æquè modò incertæ sunt, 176. 1. & seqq. Profana à Neocriticis incertior reddita, 177. 1. & seqq. *Chronologia*, quæ Traditione regitur vel securior, vel certè non improbabilior, 75. 1.

Colchica arbor qualis, 86. 1.

Concilium Bracarense anni 411. vehementer de falsitate suspectum, 192. 1.

Conjectura secundum Critices fundamentum quid, 91. 1. An. medium locum teneat inter certitudinem & Sophisma. Ibid. Est familiarissimum Rationis instrumentum, passimque necessarium, 96. 1. Res est multiplex ac varia, atque lubrica humanæ mentis operatio. Ibid. Undè oriatur, quòd tam variè homines conjectare soleant, objecto & circumstantiis ejus non variatis, 96. 2. & seq. Magna ars est conjectare probè scire, 97. 1. Conjecturarum loci à Neocriticis minimè inventi, sed omni tempore ab hominibus agniti, 97. 2. Vera conjectandi ratione Veteres, & præsertim Ecclesiæ Patres usos esse, pluribus demonstratur, 101. 2. Quales esse solent *Conjecturae*, quibus moventur Neocritici ad deserenda aut etiam contemnenda Patrum Testimonia, 112. 1. & seqq. *Conjectura* ex possibilitate rei à Neocriticis desumpta omninò contemnenda, 122. 1. & seq. *Conjectura* ex silentio Scriptorum ut plurimum vana, ac sæpius periculosa, 123. 2. & seqq. *Conjectura* ex suppositione voluntaria, voluntaria & ipsa est, 127. 2. & seqq. *Conjectura* ex styli similitudine vel deformitate lubrica & fallax, 188. 1. & seqq. *Conjecturae* aliæ Neocriticis familiarissimæ recensentur, & fallaces plerumque esse exemplis demonstrantur, 193. 1. & seqq.

Contradictio etiam à Magnis Authoribus nonnumquam admittitur, 195. 1.

Coracio quis, 209. 2. A Dionysio Alex. publica disputatione victus. Ibid.

Crisis Grammaticorum de vocabulorum usu vana & superstitiosa, 191. 2.

Crisis in Medicina quid. 1. in Præf. *Crisis* quæ genuina est, in qualibet materia utilis. Ibid. Quæ ingeniorum vitia veram *Crisin* impediunt, 2. ibi.

Critice Prudentiæ opus est, 9. 1. & seq.

Ejus munus à quibusdam Criticis malè

explicatur, 10. 2. & seq. Omni ætate *Critice* floruit, & in Ecclesiæ Patribus & Doctoribus mirificè splenduit, 12. 2. & seqq. Vera *Critica* non est res nova, sed antiqua, & cum homine ipso velut exorta.

Critici quasi per excellentiam quinam nominati, 48. 1.

Cymindis ab hominibus nuncupatur avis, quæ *Cbalcis* à Divis dicitur, juxta nugamenta Poëtarum, & eruditionem Grammaticorum, 83. 2.

Cyriacum nullum in Petri Cathedra sedisse, non probatur argumento purè negativo ex silentio Scriptorum, 131. 2.

D

Danielis Hebdomades. Vide *Hebdomades.*

Dendranatomia à Galeno exculta, 40. 2.

Diplomatica à quibus illustrata, 181. 1. & seqq. Quanta ejus utilitas. Ibid.

Doctrina inconstantia an & quando suppositi Operis sit argumentum, 194. 1. Hoc vitio Neocritici laborare convincuntur, 193. 2. & seq.

Dodecatheon, herba fabulosa quæ, & quo nomine *vocata*, 84. 1.

Doxologia, glorificatio Trinitatis, non nova, sed ab Ecclesiæ exordio usu ap. Fideles recepta, 207. 2.

Dynastie Ægyptiorum obscuræ & involutæ Neocriticis æquè ac prisca Historiis, 177. 1.

E

Ecclesia ab initio accepit plenam Articulorum fidei notitiam, 207. 1.

Eidem tradita ab Apostolis Clavis sensuum scripturarum. Ibid. 206. 1.

Ecclesiæ in Galliis, Fides, & Martyria quando primum visa, 94. 1.

Ecclesiæ Romanæ Monumenta intacta relinquenda, 4. in Præf.

Ecclesiastica Hispaniæ Hierarchia à primis Chris-

Christianæ Religionis sæculis viget, 94. 1. & seqq. Qualis ab initio fuerit, 94. 2.

Ecclesiastica opinio quæ dicatur, 12. 1. Quanti à Fidelibus facienda. Ibid.

Epocha, duplex Imperii Tiberii an distinguenda, 182. 1. Incerta utriusque ap. Criticos initia, 182. 2.

Epochæ insigniores sive sacræ, sive profanæ etiam apud Neocriticos incertæ.

Eusebiana narrationes an Originalium loco habendæ, 160. 1.

Eusebio silenti perperam à Neocriticis fides adhibetur, quæ ipsi asserenti negatur, 136. 2.

Eusebius. An ejus in Historica fides etiam sine sponsoribus recipienda, 159. 2. & seqq.

Eusebius Theopachista fuit, & Carnem Christi conversam esse in Divinitatem asseruit, proindèque non admittit imagines vel ejus humanitatem exprimentes, 134. 1. & seqq.

F

F*leurius* cujus Critices genere usus in sua concinnanda Ecclesiastica Historia, 166. 2. An nimium deferat Eusebii Testimoniis, 160. 1. De sapore Critico *Fleurii*, 161. 1. & seq. An imprudens deprehensus, cum voluit videri prudentissimus, 167. 1. & seq. Pericula libertatis Criticæ *Fleurius* agnovit, sed non satis vitavit, 171. 2. Ejus solertia & œconomia. Ibid.

Forojulienfis Galliæ Ecclesia Eucharistiam sub utraque specie parvulis aliquandiù ministravit, 156. 2.

G

G*Alindonus* (Prudentius junior) quisnam fuerit, & an Author vitæ S. Mauri, 135. 2.

Geographia. Eusebio ac D. Hieronymo Sacra potissimum debetur, 177. 2. Vix

ulla ei per Neocriticos perfectio accessit, 178. 1. Quæ Neocritici adducunt Veteres emendando, nec firmiora sunt, nec certiora. Ibid. In Civili *Geographia* Veteres Recentioribus præferendi. Ibid. *Geographia* nova, non Critices, sed Navigationum & Peregrinationum fructus est, 178. 2.

Gradus per quos in pravum sensum & mentis caliginem quis labitur, 150. 2. & seq.

Grammatici, Critici cognominati, 48. 1. cujusmodi ut plurimum sint hujus professionis homines. Ibid. & seqq. Quàm sint inutilia & vana eorum studia, 50. 1. & seq. Quàm inepti Verborum Dei Interpretes, 51. 1. & seqq. solent futiles operosissimè disputare quæstiones, 51. 2. & seq. Item 83. 2. & seqq. An Deorum linguas etiam intelligere mentiantur. Ibid. & 84. 1. & seq.

Grammatici Hebræorum qui & quales, 72. 1. Utrum Nostri Hebraicè illis doctiores, 73. 1. & seq.

H

H*ebdomades Danielis* involutæ manent post exorta lumina novæ Critices, 176. 2.

Hermas an Author Libri Pastoris, 118. 1. *S. Hieronymus* qua Critica usus in perficienda Versione sua, 102. 1. & seqq. An Grotio & Draudio Hebraicè imperitior, 62. 1. A Simonio neocritico Interpreter describitur ineptus, 82. 1.

Hilduinus à Neocriticis contrario modo exceptus, 93. 2.

Historia. Sacram Neocritici non perfecerunt, sed suspectissimam, ferèque incredibilem, quantum in ipsis fuit, reddiderunt, 179. 1.

Homovision, vox antè Arii hæresim Orthodoxis probè nota, 207. 1.

Honoratus à S. Maria nimium exaggerare videtur *Neocritices fructus*, 45. 2. & seqq.

Hypercritici quavis ætate fuerunt, sed nos-

nostra peperit valdè plurimos, 49. 2.
Hystaspis divinationes an à Christianis
 confictæ, 56. 2.

I

S. *Jacobi* Ap. Reliquiarum Tolosa in
 Hispaniam Translatio conficta,
 193. 1.

Jacobo Minori an permissum ingredi in
Sancta Sanctorum, 113. 2.

Jacobus Sylvius, *Damasceni* Medici Inter-
 pres quid referat de magistro suo nova
 Anatom. inventa contentiosius negan-
 te, 39. 2.

Icelon quid ap. Grammaticos lingua Deo-
 rum, 84. 1.

Ichor quid sermone Deorum, 83. 2.

S. *Ignatii* Epistolæ an genuinæ, 118. 2.
 An tales modò habeamus, quales Vete-
 res habuerunt. Ibid. An explodendæ,
 quas Eusebius & S. Hieronymus non
 commemorant. Ibid.

Inscriptiones. Earum studium quinam po-
 tissimum illustrarint, 180. 1. Quos
 fructus ex eo collegerint, 180. 2.

Joannes Damascenus, *Mesue* filius, 39. 2.

Joly (*Claudius*) Scripturæ S. silentio in
 re gravissima abutitur, 124. 1.

S. *Isidori* Opusculum de *Vita & morte Sanc-*
torum supposititium, 192. 1. Vetus
 codex à Petro de Marca laudatus, in
 quo idem Opus *Isidoro* Hispalensi tri-
 buitur, an suspectus. Ibid.

L

L *Amy*, Astronomiæ calculationibus
 delusus, 175. 2.

Launojus Scriptorum silentio insigniter
 abutitur, & inficialibus argumentis
 quæcumque sibi non placent conatur
 evertere, 129. 2.

Leſio diversa ejusdem Textus Sacræ
 Scripturæ non probat Authoris diver-
 sitatem, 194. 2.

Liguſtrum quomodo vocetur inferorum

Deorum lingua, 84. 2.

Linguarum peritia quàm necessaria à Neo-
 criticis prædicetur, 66. 2. & seqq.
 Eam jaçantibus non facile credendum,
 67. 1. & seq. Solet arrogantes facere,
 non doctiores, 68. 2. Orientalium no-
 titia non inutilis prudenter ac sobriè
 ea utentibus, 69. 1. In præsumptuosis
 & liberioribus ingeniis *linguarum* stu-
 dium multa mala peperit, 70. 1. &
 seq. Hebraicæ cognitio in Neocriticis
 minimè plena est atque perfecta, 71.
 1. & seq. Vel in Rabbinis Neocritico-
 rum magistris talis non esse pluribus
 comprobatur, 71. 2. & seqq. He-
 bræam *linguam* Neocritici neque ref-
 tituerunt aut perfecerunt, neque resti-
 tuere aut perficere potuerunt, 73. 1.
 & seqq. Quanta sit hujus linguæ diffi-
 cultas, & ex quot capitibus proveniat,
 75. 1. & seqq. Pro *linguarum* inter-
 pretatione quas Regulas Neocritici
 præscribant, 153. 2. & seq. Earum
 Regularum observatione, omnia in
 dubitationes & perplexitates resolvi,
 consideranti facile liquet. Ibid.

Linguarum divisio humanæ superbiæ fruc-
 tus, 66. 2.

Linguæ superbiæ, & quare, 68. 2. & seq.

Linguosi seu *multilingues* plerumque su-
 perbi, fastosi & arrogantes, ac rarò
 solidè eruditi, 68. 1. & seq.

M

S. *Magdalena* & Socior. in Galliam
 adventus adhuc strenuè propugna-
 tur, 170. 2.

Mabumedes quidnam confinxerit de ha-
 bitatoribus septimi Coeli, 67. 1.

Majores qui & qua conditione sequendi,
 141. 1. & seqq. *Majorum* Authoritas
 quanta, & quorum examini subjicien-
 da. Ibid. Licèt homines communiter
 in *Majorum* suorum Authoritate con-
 quiescant, securi esse non possunt, nisi
 sciant, quibus credunt, 140. 1. &
 seqq. Quid Plato Neocriticos suos doceat

teat de reverentia & fide Majoribus debita, 195. 2.

S. *Martialis* Epistolæ utrum benè à Neocriticis fictitiæ probentur, 117. 2.

Masora Hebræorum quid, 75. 1. De ejus origine varia Scriptorum placita. Ibid. Quanta *Masoræ* autoritas, 75. 2. & seq.

Masorethica vocalia quibusdam Neocriticis inutilia, vel certè non necessaria, 77. 1. & seq.

S. *Mauri* in Gallias adventus Traditio à nova Critice falsa minimè demonstrata, 170. 2.

Mercurius. An fictitia quæ ejus nomine à Patribus laudantur scripta, 120. 1. Mercurium nunquam in mundo extitisse, sed ejus nomine ab Antiquis significatum spiritum universalem corporeum, qui rectè appellari potuerit *Trismegistus* sive ter maximus, Neocritice invenit, 129. 1. & seq.

Moly, herba Magica, quæ & quibus nominibus significetur, 83. 2. & seq.

N

Negativa seu inficialia argumenta à Neocriticis contemnuntur, & simul confidentissimè sæpius usurpantur, 125. 1. Undè hæc Neocriticorum inconsequentia, 123. 2. & seq. Plura sunt argumenta in speciem quidem *negativa*, quæ positivam probationem involvunt, 130. 1. & seqq.

Neocritice seu nova Critica. Vera ejus descriptio, & indoles eorum, qui illam sectantur, 54. 1. & seqq. Qualis fuisset Orbis literarius opinione *Neocriticorum* antè *Neocritices* inventionem, 55. 1. & seqq. *Neocritices* Regulæ in utramque partem versatiles, & contrariis earumdem usus, 65. 2. & sæpissimè alibi.

Nepos, Vetus Christianorum Doctor, quis, 20. 2.

Numisma *Norisanum* Æræ Christianæ initium an tutò designaverit, 181. 2. & seq.

Numismate nullo probatur Imperium Tiberii Proconsulare, 182. 1.

Numismatibus erroris convincitur *Spartianus*. Ibid.

Nummaria à quibus illustrata, 181. 1. Quanta ejus pro Chronologia restituenda utilitas, 181. 2.

O

O*Raculum* Delphis Augusto redditum an certò falsum, 58. 2. & seq.

Origenes à Neocriticis Hebraicè doctis vel sanctissimis & sapientissimis Patribus injuria præfertur.

Origenes etsi Hebraicè peritissimus, Interpretès fuit Scripturæ Sacræ in pluribus ineptus, vixque non stultus, 69. 2. Diversa de *Origene* S. Hieronymi judicia, ipsi à S. Augustino objecta, 194. 1.

Origenes Sapientis titulum amisit, 13. 1.

P

P*apias* falsarum Traditionum disseminator, 209. 1. Errores suos in Viros Apostolicos conjiciebat. Ibid. A prisca Patribus detectus & impugnatus, 209. 2. & seq.

Papissa. Hujus fabella non impugnatur negante solùm argumento, 131. 1.

Parisiensis Schola quando fundata, 33. 1. & seq.

Parvuli quòd invitis parentibus infidelibus non sint baptizandi, non probat S. Thomas ex eo solùm quòd non constet, id Ecclesiæ usum aliquando habuisse, 132. 2.

Parvulis numquam ex Divino præcepto Eucharistia ministrata, 156. 2. Vide *Forojulienfis*.

Patres latini voces sæpius usurpant, quas Grammatici ut barbaras reprehendunt, 190. 1. & seqq. Usus similitum vocum, nisi frequentissimus, non suppeditat probabile de suppositione Libri argumentum, 191. 2.

Patrum Critica optima, & Ecclesiæ utilis

lissima, 46. 1. 101. 2. & seqq. & 207. 1. & seqq.

Pimander an legitimum Trismegisti opus, 120. 2.

Plato, quo die Athenis natus, 24. 2. & seq.

Plato, quanti à Veteribus factus, 22. 1. & seq. Pythagoræorum auditor fuit, & Philolai librosemit, 23. 1. Interpres Sacræ Historiæ dictus. Ibid. *Plato* idolatriæ magister, 24. 2. *Platonis* Opera ordine carent, 24. 1. *Platonis* Dialectica in *Theateto*, & in *Sophista* qualis, 25. 1. & seqq. Qualis Metaphysica in *Parmenide*, 26. 2. & seq. Ejus Physica absurditatibus & erroribus plena, 28. 1. & seqq. Quid de ipsius Ethice & Politice sentiendum, 29. 1. & seqq. Anatomæ & Cosmographiæ videtur fuisse ignorantissimus. Ibid. De Tellure Atticæ stulte in *Menexeno* seu Epitaphio disserit, 28. 2. & seq. Homines è terra sponte nascentes, Ægyptiorum & Arabum errorem præveniens, insipienter confinxit, 29. 1. Mendacium & uxorum communionem Reipublicæ suæ, ratione refragante, permisit, 29. 2. *Platonis* stylus obscurus & figuratus, ambagiosaque methodus, 24. 1. & 29. 2.

Platonis stupenda in re gravissima contradictio, 195. & seq.

S. Polycarpus an Author *Epistole*, quæ ejus nomine circumfertur, 116. 1. & 118. 1.

Polycrates falsa Traditione delusus Victori Papæ cum Asiæ conventu restitit, 210. 2.

Possessio stat pro Traditionibus, & cum possessione prudens de veritate Præsumptio, 163. 1. & seq.

Q

Quinones (Cardinalis) non benè *S. Jacobi* in Hispaniis prædicationem in unum *S. Isidorum* conjecit, 192. 2.

R

Regula Neocriticorum ad nutum verfatiles, & nihil non vulgare continentés, 122. 1. & alibi passim. *Regula* à nobis præscriptæ pro usu negantium argumentorum, 130. 1. & seqq. Quæ solidiores videntur ad ferendum tutius de Scriptorum Autoritate judicium, 140. 1. & seqq. Quæ videntur jure observandæ pro Traditionibus recipiendis aut rejiciendis, 156. 1. & seqq.

S

Sancta Sanctorum qualis locus in Templo Jerosolymitano, juxta placita Neocriticorum, 113. 1. An licuerit Jacobo fratri Domini in eum locum ingredi, 113. 2. & seq.

Sapor criticus fallax & varius, 11. 2. 162. 1.

Scamander fluvius an Cælitum lingua *Xanthus*, Grammatici quærunt, 83. 2.

Scriptura Sacra qua dispositione legenda, 86. 1. & seq.

Septuaginta. Vide *Versio Græca*.

Sibyllina Oracula Neocriticis supposititia, 119. 1. Quam temerè à quibusdam illorum suppositionis ætas & Authores designentur, 119. 2.

Silentium Scriptorum ut nihil dicendo loquatur, quanta requirantur, 128. 2. & seq.

Socrates, an profanorum omnium Sapientissimus, 21. 2. & seq. An Author doctrinæ, quæ ejus nomine à Platone in Dialogis traditur. Ibid. An melius à malo, quàm à bono Genio edoctus credatur. Ibid.

Stratagemata Ecclesiastica qualia Patres usurpasse, Phereponus Neocritices magister affirmet, 58. 1.

Studia eorum, qui ap. Neocriticos Critici audiunt, vana ut plurimum fuerunt, inutilia, ac sæpè noxia, 48. 1. & seqq.

Studia quo tempore, quavè occasione languere cæperint.

Superstitiones non tam Aristotelis, quam Platonis Philosophia in Orbem induxit, 44. 1. & seqq. *Superstitiosi* possunt esse, nec rarò sunt novi Critici, 45. 2.

Stylus seu propria uniuscujusque eloquutio an facies Scriptoris, 184. 1. An ut filii parentum, ita libri similitudinem præferant Authorum. Ibid. Ex *stylo* magni Authores faciliùs cognoscuntur; & tamen falluntur sæpè Neocritici in discernendis illorum scriptis, 184. 2. & 188. 1. & seq. *Styli* color varius & fallax. Ibid. *Styli* elementa sunt propè infinita, 184. 2. & seq. An sit moraliter impossibile, ut unius *stylus* conveniat cum *stylo* alterius in plusquam 128. elementis, 189. 2. & seq. Argumentum ex *stylo* desumptum vel oculatissimos Neocriticorum in errorem induxit, 188. 2. & 189. 1. & seq.

Symbolum Apostolorum quo critico argumento negetur ab Apostolis compositum, 118. 2.

Synedrii Præses quot linguis responsa daret, 68. 1.

Synopsis doctrinæ catholicæ non scriptæ in Ecclesiæ sensu est, & ab ea quærenda quæ in Scripturis Sanctis sunt obscura, 87. 1.

T

T*heodorus*, Iriensis Episcopus, S. Jacobi Apt. Reliquiarum inventor, 193. 1.

Theologi qui Vulgò appellantur *Scholastici* cur adoptaverint Philosophiam Aristotelis, & eam Platonicæ prætulerint, 21. 2. & seqq. Eorum defensio & responsio ad criminationes Antischolasticorum.

Theologia quotuplex, 18. 2. & seq.

Theologia, quæ *Scholastica* nuncupatur, perperam à Neocriticis vitia tribuuntur, quæ quorundam sunt professorum, 16. 1.

Theologia priscorum Patrum ex immediata SS. Scripturarum lectione desumpta, 16. 2. & seqq. *Theologia* Recentiorum tum ex Scriptura ipsa, tum ex antiquis Patribus delibata, 17. 2. & seqq. *Theologia methodica* quando & à quibus primùm tradita, 19. 1. Qua occasione inventa. Ibid.

Theologica Critice S. Thomæ de Aquino, quæ in Scholis viget, qualis, & quibus Regulis innitatur, 106. 1. & seqq.

Theopachistæ qui, & eorum error, 134. 1.

Theotocos Maria Virgo nominata antè Nestorii blasphemiam, 207. 1. & seq.

Traditio multiplex explicatur, 151. 1. & seq. Omnis *Authoritatem* supponit. Ibid. Ad Divinam plura Fidei Dogmata sunt referenda, 151. 2. & seq. Apostolica dupliciter consideranda, 152. 1. & seq. Ecclesiastica præsertim quæ toti Ecclesiæ est communis, Apostolica censeri ac nominari jure optimo potest, 154. 2. & seq. Nulla *Traditio* admittenda, quæ Ecclesiæ sensui repugnet, 151. 1. & seqq. Nulla item humana cui vel ratio evidens, vel communis hominum sensus resistat, 157. 1. Nulla ab antiquo recepta ex eo solum rejicienda, quòd coæva aut ferè pro illa Testimonia non suppetant, 157. 1. & seq. Ad quæ teneatur quisquis *Traditiones* impugnat, 163. 1. & seqq. Orthodoxi neocritici, qui Divinas & Apostolicas recipere debent *Traditiones*, & ea solvere argumenta, quæ ex adverso hæretici objiciunt, nimis incautè solent eisdem argumentis uti ut humanas rejiciant & impugnent, 153. 1. & seq.

Trisagion, ius Trinitatis in Scriptura Sacra contenta, & ab antiquo in Ecclesia usitata, 107. 2.

Trojanum bellum cur Homero multa mentienti credatur, 205. 2.

V

V*ecchietus* (*Hieronymus*) usque ad infaniam Astronomiæ deditissimus nihil omninò profecit, 175. 1.

Versio Græca 72. Seniorum quàm vitiosa describatur à Richardo neocritico, 79. 2. Quid Neocritici sentiant de variis ejusdem Editionibus, 80. 1.

Versio Aquilæ qualis, 80. 2. *Versio Theodotionis* an à Literæ sensu nimium recedat. Ibid. *Versio Symmachi* non sincerior creditur à Neocriticis. Ibid. *Versio duplex* ab Origene Hexaplis suis inserta, an in odium veritatis à suis Authoribus elaborata, 81. 1.

Versio omnium perfectissima & absolutissima ope Regularum novæ Critices utrum possibilis, 89. 1. Talem *Versionem* Simonius nobis promisit, 13. 2.

Versiones seu potius Correctiones Luciani, Hesychii, Pamphili & Eusebii quales Neocriticis, 81. 1. & seq.

Versiones Protestantium quo spiritu conditæ, 83. 1. & seqq.

Vertumno iniquo cur nova Critice nata esse videatur, 122. 1.

Visbius, qualis Scriptor Neocriticis, 93. 2.

Vulgata veteris Latine, quæ & *Italica* dicta est, censura à Richardo neocritico lata, 81. 2.

Vulgata latina authentica magna ex parte S. Hieronymo debetur, 81. 2. & seq. Eum tanto operi imparem fuisse, non

dubitant Neocritici affirmare, 82. 1. Quanta debeat esse *Vulgatae latine* auctoritas apud Catholicos, 87. 1. Quæ ratione liceat, vel non, illam privata auctoritate emendare, 87. 2. Non videtur probandum eorum consilium, qui, quòd Græcè & Hebraicè docti sint, licere sibi putant, *Vulgatam authenticam* sæpius emendare, quasi non dubitent, meliorem se ipsos Scripturæ S. versionem posse nobis condere ac tradere, 89. 2. & 90. 2. An qui, cum Orthodoxi sint, ita se erga *Vulgatam* gerunt, non parùm faveant intentioni Protestantium, 90. 2.

X

X *Anthus*, ut Poëtæ fingunt, à superis vocatur fluvius, quem *Scamandrum* homines appellant, 83. 2.

Z

Z *Zootomia* à Græcis, & præsertim Galieno, minimè neglecta, 40. 2.

LAUS DEO.

1911

1912

1913

1914

1915